FATHER'S LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionescat0003vari

POUGET.

INSTITUTIONES

CATHOLICÆ.

III.

FATHER'S LIBRARY

TOMUS III. CONTINET

I. Part. Sect. II.

Cap. 3. *De Ecclesia.*

Conclusio I. Partis. *De Symbolo Apostolorum.*

P862

INSTITUTIONES
CATHOLICÆ
IN MODUM CATECHESEOS,

IN QUIBUS QUIDQUID AD RELIGIONIS HISTORIAM ET ECCLESIÆ DOGMATA, MORES, SACRAMENTA, PRECES, USUS ET CÆREMONIAS PERTINET, TOTUM ID BREVI COMPENDIO EX SACRIS FONTIBUS SCRIPTURÆ ET TRADITIONIS EXPLANATUR;

EX GALLICO IDIOMATE IN LATINUM SERMONEM TRANSLATÆ:

ADJECTIS SINGULIS È SCRIPTURA ET TRADITIONE PETITIS PROBATIONIBUS ET TESTIMONIIS.

AUCTORE EODEM ET INTERPRETE FRANCISCO-AMATO POUGET, MONTISPESSULANÆO, PRESBYT. CONGREGATIONIS ORATORII GALLICANI, SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORE THEOLOGO.

EDITIO NOVA, CUM EMENDATIONIBUS ET APPENDICE.

ALMA COLLEGE 254 LIBRARY P862 Alma, California

TOMUS TERTIUS.

APUD PERISSE FRATRES, BIBLIOPOLAS,

LUGDUNI
in priori domo
VIA MERCATORIA, 49,
ET VIA CENTRALI, 60.

PARISIIS
in recentiori domo
VIA SANCTI-SULPITII, 38.

1857

1066
Rev. James Vila P.P.

Avenione, Typis Fr. Seguin, via dicta Bouquerie, 13.

INSTITUTIONES CATHOLICÆ

IN MODUM CATECHESEOS.

PRIMÆ PARTIS SECTIO ALTERA.

CAPUT TERTIUM.

De Ecclesiâ.

§. 1. Quid sit Ecclesia Christi : Quæ ejus Visibilitas. Qui Characteres eam discernant ab aliis Societatibus, quæ Ecclesiæ nomen falsò sibi vindicant.

Int. Disc. QUOD nomen est societati eorum qui Christi Religionem amplexi sunt ?

Resp. Huic Ecclesia Christiana, Catholica, aut simpliciter Ecclesia nomen est.

Christi Discipuli Christiani dicti sunt primùm Antiochiæ, quæ urbs erat ex primariis Orientis ; ad quam venerant prædicandi Evangelii causâ Apostolorum Discipuli, dispersi à tribulatione quæ facta fuerat sub Stephano Proto-martyre. Ibi Petrus Apostolorum Princeps posuit ad tempus Apostolatûs sui sedem, quam deinde Romæ in perpetuum fixit. (A)

(A) ACT. XI. 26. Et annum totum conversati sunt ibi in Ecclesiâ, (*Barnabas et Saulus*) et docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primùm Antiochiæ discipuli, Christiani.

S. AUG. *Lib.* 2. *contra Litt. Petil. c.* 60. *n.* 135. Petilianus dixit : Quâ igitur lege vos Christianos ostenditis, cùm legi contraria faciatis ?

N. 136. Augustinus respondit : Litigare vis, non disputare.

Epist. 53. *aliàs* 165. *ad Generosum, c.* 1. *n.* 1. Cùm tu teneas Christianitatem non civitatis tuæ tantùm, nec tantùm Africæ vel Afrorum, sed totius orbis terræ, quæ annuntiata est et annuntiatur omnibus gentibus.... Evangelizatum tibi est per Propheticas et Apostolicas litteras, quòd Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus, quod est Christus, cùm ei diceret Deus : *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* (*Gen.* XXII. 18.) Has ergo promissiones tenenti, si tibi Angelus de cœlo diceret, Dimitte Christianitatem orbis terræ, et tene partes Donati, anathema esse deberet : quia te à toto præcidere, et in partem contrudere conaretur, et alienare à promissis Dei.

N. 2. Si enim ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certiùs et verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius

Ecclesia, vox Græca est, quæ juxta propriam significationem idem sonat quod convocatio, congregatio, societas: et quæ juxta communem acceptionem sumitur quoque pro loco ubi fit conventus et congregatio.

I. Quid est Ecclesia?

R. Ecclesia est societas fidelium et Pastorum, qui ita in Christo adunantur, ut cum ipso unum corpus efficiant, cujus ipse caput est.

Hæc definitio convenit Ecclesiæ in genere, quatenùs in suâ universalitate complectitur tum Beatos, qui in cœlis regnant, tum Justos, qui pœnas Purgatorias patiuntur, tum fideles, qui in terris degunt in quocunque tempore et loco vivant. Omnes enim Christum habent caput; omnes in Christo sic adunantur, ut corpus unum efficiant, ut infrà (*hujusce Cap.* §. 2 *et* 5.) explicabimus, ubi de unitate et catholicitate Ecclesiæ.

Hoc corpus unum pluribus membris constat: hæc societas in Christo adunata ex pluribus veluti ramis coalescit. Complectitur enim Ecclesiam triplicem, Cœlestem nimirum, Patientem, et Militantem. Hæc in terris degit etiamnum, potestque considerari vel ante legem Moysi, vel sub lege Moysi, vel post Christi adventum. Nonnisi post Evangelii prædicationem huic societati propriè Ecclesia nomen fuit. De Ecclesiâ hoc sensu acceptâ, hoc est, de Ecclesiâ Christianâ, nunc sermonem instituimus; non agimus de aliis, nisi in quantùm conferunt ad hujus cognitionem.

Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: * *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam.* (*Matth.* XVI. 18.) Petro enim successit Linus; Lino, Clemens; Clementi, Anacletus; Anacleto, Evaristus; Evaristo, Alexander; Alexandro, Sixtus: Sixto, Telesphorus; Telesphoro, Hyginus; Hygino, Anicetus; Aniceto, Pius; Pio, Soter; Soteri, Eleutherius; Eleutherio, Victor; Victori, Zephyrinus; Zephyrino, Calixtus; Calixto, Urbanus; Urbano; Pontianus; Pontiano, Antherus; Anthero, Fabianus; Fabiano, Cornelius; Cornelio, Lucius; Lucio, Stephanus; Stephano, Xystus; Xysto, Dionysius; Dionysio, Felix; Felici, Eutychianus; Eutychiano, Gaius: Gaio, Marcellinus; Marcellino, Marcellus; Marcello, Eusebius; Eusebio, Melchiades; Melchiadi, Silvester; Silvestro, Marcus; Marco, Julius; Julio, Liberius; Liberio, Damasus; Damaso, Siricius; Siricio, Anastasius, etc. In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur.

N. 3. In illum autem ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc eamdem cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ et innocentibus Christianis: quibus Dominus providens, ait de præpositis malis: *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, nolite facere: dicunt enim, et non faciunt:* (*Matth.* XXIII. 3.) ut certa sit spes fidelis, quæ non in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur: sicut isti dissipati sunt, qui legunt in codicibus sanctis Ecclesias, quibus Apostoli scripserunt, et nullum in eis habent Episcopum.

Cap. 3. *n.* 6. Quanquam nos non tam de istis documentis præsumamus, quàm de Scripturis sanctis, ubi hæreditas Christi usque ad terminos terræ promissa est in omnibus gentibus.

I. Quid ergo est Ecclesia Christiana ?

R. Ecclesia Christiana est societas fidelium, qui coadunantur unius fidei professione, eorumdem sacramentorum participatione, ejusdem spei vinculo, sub auctoritate Pastorum legitimorum, quorum caput visibile est summus Pontifex Romanus Episcopus, Petri Apostoli successor, Christi in terris Vicarius. (B)

Societas, inquam, *fidelium ;* id est, eorum qui in Christum credunt.

Qui coadunantur ; id est, unum corpus efficiunt.

Unius fidei professione. Nam Ecclesia repellit à sinu suo, nec recipit in filiorum suorum numerum eos, qui fidem Ecclesiæ vel adulterant vel dividunt : una est in omnibus membris fides.

Eorumdem sacramentorum participatione. Per hoc enim fideles Christo incorporantur, et inter se in unum corpus sensibile religionis coadunantur.

Sub auctoritate Pastorum legitimorum, quorum caput visibile est summus Pontifex. Neque enim ad corpus Ecclesiæ pertinet qui positis à Christo Pastoribus ad regendum corpus non subditur.

Porrò infrà (*hujusce Cap.* §. 7.) fusiùs explicabimus qui sint Pastores legitimi, et cur necesse sit summum Pontificem Romanum Episcopum agnoscere, velut Pastorum Ecclesiæ caput.

I. Est-ne visibilis hæc societas ?

R. Est utique. Comparatur enim in Scripturis monti præcelso, ad quem nationes omnes debent accurrere. Et quidquid in Scripturis de Ecclesiâ dicitur, id visibilem et conspicuam societatem indicat. (C) Ait Christus audiendam esse Ecclesiam, obtemperandum esse Ecclesiæ, quædam

(B) S. Cyprianus *Epist.* 66. *edit. Oxon. aliàs* 69. *ad Pupian. non longè à fine.* Ecclesia tamen à Christo non recedit, et illi sunt Ecclesia plebs Sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhærens. Undè scire debes Episcopum in Ecclesiâ esse, et Ecclesiam in Episcopo ; et si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesiâ non esse ; et frustrà sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt : quandò Ecclesia, quæ catholica una est, scissa non sit, neque divisa ; sed sit utique connexa, et cohærentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata.

S. Aug. *Lib.* 19. *contra Faustum, c.* 10. Respondeo, Tabernaculum Dei fideles ejus esse, in quibus charitate sociatis et quodam modo compactis habitare dignatur.

(C) Isal. II. 2. Et erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.

Daniel. II. 35.... Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram.

Michææ IV. 1. Et erit : In novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles ; et fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob : et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus : quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem.

esse ad Ecclesiæ tribunal adducenda. (D) Monet Timotheum Apostolus (1. *Epist.* III. 15.) quomodo gerere se debeat in Ecclesiâ, quam vocat *columnam et firmamentum veritatis.* (E) Idem Apostolus ait (*Act.* XX. 28.) *à Spiritu sancto positos esse Episcopos ad regendam Ecclesiam Dei.* (F) Huic Ecclesiæ data potestas est docendi, baptizandi, judicandi, excommunicandi. Quomodo possunt hæc omnia societati invisibili convenire? (G)

I. Sed nunquid Ecclesia est societas electorum, et præ-

(D) MATTH. XVIII. 17. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.

(E) 1. TIM. III. 15.... Scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.

(F) ACT. XX. 28. Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

(G) MATTH. XVIII. 17. *Vide suprà litt.* (D) *hocce 2.*

XXVIII. 19. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti: 20. Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.

S. AUG. *Enarr.* 2. *in Ps.* XVIII. *n.* 6. *In sole posuit tabernaculum suum:* in manifestatione Ecclesiam suam, non in occulto, non quæ lateat, non velut operiam: ne fortè fiat sicut operta super greges hæreticorum.... Idem ipse ergo sponsus.... posuit *in sole*, hoc est, in manifestatione, *Tabernaculum suum*, hoc est, sanctam Ecclesiam suam.

Lib. 3. *contra Epist. Parmeniani*, *c.* 5. *n.* 28. Nulla est igitur securitas unitatis, nisi ex promissis Dei Ecclesia declarata, quæ super montem.... constituta abscondi non potest: et ideo necesse est, ut omnibus terrarum partibus nota sit.

Lib. 2. *contra litt. Petil. c.* 104. *n.* 239. *in fine....* Discernat te Deus à parte Donati, et in Catholicam revocet.... Non estis in montibus Sion; quia non estis in civitate super montem constitutâ, quæ certum signum hoc habet, quod abscondi non potest. Nota est ergo omnibus Gentibus: pars autem Donati ignota est pluribus gentibus: non est ergo ipsa.

Contra Donatistas Epistola, vulgò de Unitate Ecclesiæ c. 16. *n.* 40.... Neque enim duæ, sed una est (Ecclesia).... Non est autem ista operta, quia non est sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Et de illâ dictum est, *Non potest civitas abscondi super montem constituta* (*Matth. v.* 14.) Sed Donatistis velut operta est, qui.... malunt clausis oculis offendere in montem, quàm in eum ascendere, qui cùm esset lapis præcisus de monte sine manibus, crevit, et factus est mons ingens, et implevit universam terram. (*Dan.* II. 34. 35.)

Lib. 2. *contra Cresconium*, *c.* 36. *n.* 45.... Exstat Ecclesia cunctis clara, atque conspicua; quippe civitas quæ abscondi non potest super montem constituta, per quam dominatur Christus *à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terræ*, (*Ps.* LXXI. 8.) tanquam semen Abrahæ multiplicatum sicut stellæ cœli, et sicut arena maris, in quo benedicuntur omnes gentes. Hanc etiam beatus Cyprianus ita commendat, ut eam dicat Domini luce perfusam, radios suos per orbem terrarum porrigere, ramos suos per universam terram copiâ ubertatis extendere.

Lib. 13. *contra Faustum*, *c.* 13. Docet Propheta Ecclesiam Christi ipsam esse prædictam, quæ omnibus eminet et apparet. Ipsa enim est sedes gloriæ, de quâ dicit Apostolus. (1. *Cor.* III. 17.) *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos....* Manifestationem claritatis Ecclesiæ Dominus prævidens ait; *Non potest civitas abscondi supra montem constituta:* (*Matth.* v. 14.).... Cùm illa civitas super montem sit: quem montem, nisi eum, qui secundùm Prophetiam Danielis (II. 35.) ex parvo lapide crevit, et factus est mons magnus, ita ut impleret universam terram?

destinatorum ; societas utique soli Deo nota , ideoque invisibilis ?

R. Electi quidem efficiunt nobiliorem Ecclesiæ partem. Omnes electi vel fuerunt vel erunt ante suum obitum in Ecclesiâ , extra quam nulla salus : sed Ecclesia Militans , de quâ hic sermo est , non est societas solorum electorum. Jam constat ex bonis et malis , ex electis et reprobis , ex frumento et paleâ. Nonnisi post consummationem seculi à sordibus omnibus purgata , fiet societas solorum electorum. (H)

I. Si Ecclesia est visibilis , cur ergo in Symbolo dicimus : *Credo Ecclesiam.* Quod videmus, id non credimus , ubi professio fidei superflua ?

R. Aliud videtur , aliud creditur. Videtur societas visibilis : creditur hæc societas esse Ecclesia Dei , juxta Christi promissiones semper permansura , sine ullâ maculâ et rugâ , sine ullâ in fide corruptione. Videbatur Jesus ; et credebatur esse Christus. Videmus Sacramenta ministrari :

(H) S. Aug. *Lib.* 2. *contra litt. Petil. c.* 31. *n.* 71. Tu doce potiùs , universus orbis terrarum , quo diffusa est hæreditas Christi , et illa tot Gentium multitudo , ubi Apostoli Ecclesias fundaverunt , quando baptizandi amiserit potestatem. Nunquam docebis.... Non potest quorumlibet malorum scelus , sive ignotorum , sive fallacium , sive ut zizania vel palea tolerandorum , evertere promissa Dei , ut non in semine Abrahæ benedicantur omnes gentes : à quibus promissis vos alienos facitis , qui cum omnibus gentibus communionem unitatis habere non vultis.

Cap. 107. *n.* 245.... Et hoc est quod Catholica docet , multùm interesse inter consentientes (*malis*) quibus hæc placent , et tolerantes quibus hæc displicent. Illi enim palea fiunt , dùm paleæ sequuntur sterilitatem : illi triticum sunt , exspectent , ut segregentur , Christum ventilatorem.

Ad Donatistas post Collationem , c. 7. *n.* 10. Quæcunque testimonia divinarum Scripturarum Episcopi vestri commemorare potuerunt , quibus ab omni malorum hominum permixtione pura prænuntiatur Ecclesia , non qualis nunc est illis testimoniis prænuntiabatur , sed qualis post istam mortalitatem in vitâ æternâ futura est.

Cap. 8. *n.* 11. Nos autem utraque accipientes testimonia , demonstrabamus utrorumque concordiam. Nam et illud accipiebamus , quod in suis litteris commemoraverunt Ecclesiæ dictum esse , *Nec adjiciet ultrà per te transire incircumcisus , et immundus :* (*Isai.* LII. 1.) et illud quod scriptum est , *Sinite utraque crescere usque ad messem* (*Matth.* XIII. 30.) Sed hoc esse in agro , illud futurum in horreo. Denique et ipsi qui diù contenderunt , dicentes , *Zizania , quæ cum tritico simul crescere usque ad messem permissa sunt , non in Ecclesiâ , sed in mundo esse ,* contra intellectum martyris Cypriani , qui dixit , *etsi videntur in Ecclesiâ esse zizania , non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra , ut quoniam zizania esse in Ecclesiâ cernimus , ipsi de Ecclesiâ recedamus....* Tamen ex illâ similitudine , quam ex Evangelio commemoravimus , quod et boni et mali pisces , quousque in littore , hoc est , in fine seculi separentur , intra eadem permixti retia continentur , victi evidentiâ veritatis malos in Ecclesiâ usque in finem seculi permixtos esse confessi sunt....

De Baptismo contra Donatistas , lib. 1. *c.* 17. *n.* 26. Itaque sive intùs versari videantur , sive apertè foris sint , quod caro est , caro est : sive in aream in sua sterilitate perseverent , sive occasione tentationis tanquam vento extrà tollantur , quod palea est , palea est. Et semper ab illius Ecclesiæ , quæ sine maculâ et rugâ est , (*Ephes.* v. 27.) unitate divisus est , etiam qui congregationi sanctorum in carnali obdurationis miscetur.

credimus per hæc conferri peccatorum remissionem. (I)

I. Multæ societates, Ecclesiæ Christi sibi nomen usurpant. Id Græci, quos Schismaticos dicimus ; id Lutherani, id Calvinistæ, id Anglicani sibi tribuunt. In hâc tantâ contentionum varietate, quibus notis et caracteribus dignosci potest vera Christi Ecclesia ?

R. Notæ et characteres quatuor sunt, quibus ex Scripturis et totâ adeo Traditione certissimè dignoscitur Ecclesia Christi, et distinguitur ab societatibus Hæreticis et Schismaticis. Christi Ecclesia est *Una, Sancta, Catholica, et Apostolica*, juxta Symbolum Constantinopolitanum, ab omnibus Conciliis œcumenicis, quin et ab illis ipsis quoque societatibus omnibus, quas hæreticas seu schismaticas dicimus, receptum.

Itaque societas, cui quatuor illi characteres conveniunt, est Ecclesia Christi ; cui non conveniunt, est falsi nominis Ecclesia.

Quænam illa sit non erit arduum et difficile dignoscere, ubi singuli illi characteres explicati fuerint. Ex hac explicatione luce meridianâ clariùs constabit, non aliam esse Christi Ecclesiam quàm eam, quam nos Romano-Catholicam dicimus. (K)

(I) *Lege omnes, qui de Ecclesiâ adversùs Heterodoxos scripserunt*, BELLARMINUM *in primis, etc.*

CONFÉRENCE *avec M. Claude, sur la matière de l'Eglise, par* MESSIRE JACQUES-BENIGNE BOSSUET, Evêque de Meaux, *Edit. Paris.* 1682. *in*-12. *pag.* 28. L'Enfer ne prévaudra pas contre les prédestinés ; il est certain : car s'il n'a point de force contre cette société extérieure, à plus forte raison n'en aura-t-il pas contre les Elus de Dieu, qui sont la partie la plus pure et la plus spirituelle de cette Eglise. Mais parla même raison qu'il ne peut pas prévaloir contre les Elus, il ne peut pas prévaloir contre l'Eglise qui les enseigne, où ils confessent l'Eglise et où ils reçoivent les Sacremens.

C'était cette société extérieure, où les Elus servent Dieu, qu'il fallait entendre par le mot d'Eglise, et admirer en même temps la force invincible des promesses de Jésus-Christ, qui a tellement affermi la société de son peuple, quoique faible en comparaison des infidèles qui l'environnaient au dehors, quoique déchirée par les hérétiques qui la divisaient au dedans, qu'il n'y a pas un seul moment où cette Eglise n'ait été vue par toute la terre.

Pag. 335. Et parce que Jésus-Christ voulait qu'elle fût toujours visiblement subsistante, il l'a revêtue de marques sensibles qui doivent toujours durer. Car voici comme il envoie ses Apôtres, et ce qu'il leur dit en montant aux Cieux : *Allez, et enseignez toutes les Nations, les baptisant au Nom du Père, du Fils, et du Saint-Esprit, et leur apprenant à garder tout ce que je vous ai commandé. Et voici, je suis toujours avec vous jusqu'à la fin du monde.* (*Matth.* XXVIII. 19. 20.) Avec vous enseignant, avec vous baptisant, avec vous apprenant à mes Fidèles à garder tout ce que je vous ai commandé, avec vous par conséquent exerçant dans mon Eglise un ministère extérieur : c'est avec vous, c'est avec ceux qui vous succéderont, c'est avec la société assemblée sous leur conduite que je serai dès maintenant jusqu'à ce que le monde finisse ; toujours sans interruption : car il n'y aura pas un seul moment où je vous délaisse ; et quoique absent de corps, je serai toujours présent par mon Saint-Esprit.

(K) S. AUG. *contra Faustum, lib.* 13. *cap.* 12. Porro si hoc gentilis ille moveretur, cur etiam ipsi qui appellantur Christiani, in multas hære-

§. 2. De Unitate Ecclesiæ, et de variis ejus membris.

I. Cur ais Ecclesiam unam esse?

R. Quia fidelibus omnibus, ex quibus constat Ecclesiæ societas, unum est corpus, unum caput, unus spiritus vivificans et corpus et singula corporis membra viventia, una fides, una spes, bona eadem sunt. (A)

ses variasque discedunt: neque hoc à Prophetis Hebræis prætermissum esse doceremus. Tanquam enim esset consequens, ut Judæis in suâ cæcitate demonstratis, hoc illi veniret in mentem, quod etiam multi sub nomine Christiano ab ipsâ Christianâ societate deviarent, ipse Jeremias, velut catechizandi ordinem nobis insinuans, continuò subjecit (XVII. 11.) Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit, faciens divitias suas non cum judicio... Non enim disputare amant hæretici, sed quoquo modo superare impudentissimâ pervicaciâ, ut congregent... quæ non pepererunt. Christianos enim, quos maximè Christi nomine seducunt, jam per ipsius Christi Evangelium natos inveniunt, et faciunt illos divitias suas: non sanè cum judicio, sed cum temeritate inconsideratâ. Non enim intelligunt ibi esse veram et salubrem et quodam modo germanam atque radicalem Christianam societatem, undè istos separaverunt, quos ad suas divitias congregârunt, et quia de talibus dicit Apostolus: (2. *Tim.* III. 8. 9.) *Sicut enim Jamnes et Mambres restiterunt Moysi, sic et isti resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, sed ultrà non proficient: dementia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit.*

Cap. 13. Quo ergo signo manifesto, adhuc parvulus et nondùm valens liquidam discernere à tot erroribus veritatem? Quo manifesto indicio tenebo Ecclesiam Christi, in quem jam credere tantâ rerum anteà prædictarum manifestatione compellor?... Docet eum Ecclesiam Christi ipsam esse prædictam, quæ omnibus eminet et apparet, etc. *Vide suprà litt.* (G) *hocce* §.

(A) EPHES. IV. 4. Unum corpus, et unus Spiritus, sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ. 5. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.

S. EPIPHAN. *in expositione fidei catholicæ, n.* 6. Siquidem Ecclesia ab unâ fide genita, ac per Spiritum sanctum in lucem edita, unica est una, genitricique suæ. Tum verò quotcunque post illam, vel antè prodierunt, pellices nominantur. Quæ licèt à testamento, et hæreditate non prorsus alienæ fuerint, nullam tamen à Verbo dotem obtinuerunt, nec infundentem se Spiritum sanctum in seipsis exceperunt... Superest una, nimirùm sancta et Catholica Ecclesia, quæ verè Christiana Religio dicitur: quæque jam tum olim, et cum Adamo; imò ante Adamum ipsum, adeòque ante omnia secula cum Christo floruit, de Patris, ac Filii, et Spiritûs sancti voluntate. Cui quidem eorum omnium, qui in quâlibet generatione Deo placuerunt, tempore fides est habita, et adveniente in hunc mundum Christo Domino manifestè est patefacta.

S. CYPRIAN. *de Unitate Eccles. aliquantò post init. pag.* 78. *Edit. Oxon.* Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur et resistit, in Ecclesiâ se esse confidit? Quando et beatus Apostolus Paulus hoc idem doceat et sacramentum unitatis ostendat, dicens: (*Ephes.* IV. 4. 5. 6.) Unum corpus, et unus Spiritus, una spes vocationis vestræ, unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus. Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesiâ præsidemus, ut Episcopatum quoque ipsum, unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat; nemo fidei veritatem perfidâ prævaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur: quomodò solis multi radii, sed lumen unum: et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum: et cùm de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licèt diffusa videatur

I. Quis est caput Ecclesiæ?

R. Christus caput est Ecclesiæ invisibile ; summus Pontifex, Christi vices in terris gerit, in quantùm est Petri Apostoli successor; ideoque est caput Ecclesiæ visibile.

Jam demonstravimus (*hujusce Sect.* 6. *Cap.* 1. §. 24.) Christum esse caput Ecclesiæ invisibile ; infrà (§. 7. *huj. Cap.*) demonstrabimus summum Pontificem esse caput ejus visibile.

I. Quo spiritu vivificatur corpus Ecclesiæ ?

R. Ipso Christi spiritu, spiritu veritatis, spiritu capitis, qui in membra diffluit eaque inter se connectit : spiritu, quo totum Ecclesiæ corpus vivificatur et regitur, et juxta Christi promissionem vivificabitur ad consummationem usque seculorum. *Unum* est in Ecclesiâ *corpus*, inquit Apostolus, (*Ephes.* IV. 4.) *unus Spiritus.* (B)

I. Cur ais unam esse omnibus Ecclesiæ membris fidem ?

R. Verba sunt Apostoli (*Ephes.* IV. 5.) *una Fides.* Ideoque eos semper è sinu suo expulit Ecclesia, qui alienam vellent fidem inducere. Nulla eâ in re fuit aut esse potest exceptio; nulla pacifica compositio ; unam vult eamdemque in singulis membris Ecclesia fidem.

I. Cur ais unam esse in singulis Ecclesiæ membris spem ?

R. Id Apostolus ait : (*Ephes.* IV. 4.) *Vocati estis*, inquit, *in unâ spe vocationis vestræ.* Id est, eadem omnibus proposita felicitas est, hanc unam omnes exspectamus, adeoque una omnibus spes est.

I. Cur ais eadem singulis fidelibus esse bona?

R. Quia gratiæ divinæ, sacramenta, preces, bona opera, sunt bona toti Ecclesiæ communia, ad quæ singuli Ecclesiæ membra jus habent.

I. Si Ecclesia una est, cur ergo plures Ecclesiæ nominantur ; Ecclesia Gallicana, Ecclesia Germanica, Ecclesia Narbonensis, Parisiensis, Montispessulanensis, etc.

R. Plures sunt particulares Ecclesiæ. Unaquæque societas fidelium sub Pastore legitimo adunata, Ecclesia dicitur. (C) Sed singulæ Ecclesiæ particulares inter se perfectè connexæ pars sunt Ecclesiæ universalis, et unum cum eâ corpus efficiunt, cujus caput visibile summus Pontifex, caput summum ipse Christus est.

exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit : ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit : à fonte præcide rivum, præcisus arescet. Sic Ecclesia Domini luce perfusà per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur : ramos suos in universam terram copiâ ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latiùs expandit : unum tamen caput est, et origo una, et una mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur.

(B) JOAN. XIV. 16. Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.

(C) *Vide* §. *præcedenti litt.* (B) S. CYPRIANI *Epist. ad Puppiam.*

Hoc ut perfectiùs intelligatur, operæ pretium est in memoriam revocare quod jam diximus superiori paragrapho, Ecclesiam generatim sumptam corpus esse, cujus partes sunt Ecclesia Triumphans, Ecclesia Patiens, et Ecclesia Militans : Ecclesiæ militantis plures sunt veluti rami. Vel enim consideratur ante legem Moysi, vel sub lege, vel sub gratiâ Christi. Ex quo Christus elegit Petrum in Principem Apostolorum, summus Pontifex Petri successor, caput est Episcoporum, adeoque Pastorum Ecclesiæ. Quilibet Episcopus gregi suo adunatus particularem Ecclesiam constituit, quæ pars est Ecclesiæ universalis. Omnes istæ particulares Ecclesiæ in uno capite Romano Pontifice adunantur, et unum corpus efficiunt. (D) Corpus hoc pars est Ecclesiæ

(D) S. Leo. *Epist.* 10. *aliàs* 89. *ad Episcopos per Provinciam Viennensem constitutos, anno Domini* 445. *c.* 1.... Hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, principaliter collocarit : et ab ipso quasi quodam capite, dona sua velit in corpus omne manare : ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo : *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam :* (*Matth.* xvi. 18.) ut æterni templi ædificatio, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri soliditate consisteret ; hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent. Verùm hanc petræ istius sacratissimam firmitatem. Deo (ut diximus) ædificante constructam, nimis impiâ vult præsumptione violare, quisquis ejus potestatem tentat infringere, favendo cupiditatibus suis, et id quod accepit à veteribus, non sequendo : cùm nulli se subditum legi, nullis institutionis Dominicæ credit regulis contineri, à vestro nostroque, per novæ usurpationis ambitum, more desciscens, præsumendo illicita, et quæ custodire debuit negligendo.

Epist. 12. *aliàs* 84. *ad Anastasium, c.* 11. *et alt.* Si autem in eo quod cum fratribus tractandum definiendumve credideris, diversa eorum fuerit à tua voluntate sententia ad nos omnia sub gestorum testificatione referentur, ut remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat, decernatur. Ad hunc enim finem, omnem affectum nostrum curamque dirigimus, ut quod ad unitatem concordiæ, et quod ad custodiam pertinet disciplinæ, nullâ dissensione violetur, nullâ desidià negligatur... Nec enim poterit unitatis nostræ firma esse compago, nisi nos ad inseparabilem soliditatem vinculum charitatis adstrinxerit : quia *sicut in uno corpore multa membra habemus ; omnia autem membra non eumdem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* (*Rom.* xii. 4. 5.) Connexio totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit : et hæc connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit, sed præcipuè exigit concordiam Sacerdotum. Quibus etsi dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis : quoniam et inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, et cùm omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præemineret. De quâ formâ Episcoporum quoque est orta distinctio, et magnâ ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent : sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia : et rursùs quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura confluereret, et nihil unquam à suo capite dissideret. Qui ergo scit se quibusdam esse præpositum, non molestè ferat, aliquem sibi esse prælatum : sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat : et sicut non vult gravis oneris sarcinam ferre, ita non audeat alii importabile pondus imponere.

sumptæ modo generaliori, quatenus Ecclesia societas est omnium membrorum Christi, quorum pars militat in terris, pars purgatur, pars regnat in cœlis cum Christo. Christus caput est illius societatis, cujus membra jam dispersa in fine seculorum adunabuntur.

I. Quod nomen est societati fidelium, qui regnant in cœlis cum Christo?

R. Dicitur Ecclesia triumphans, Jerusalem cœlestis, Civitas Dei, Ecclesia prædestinatorum.

Ecclesia Triumphans, quia societas est eorum, qui triumphant in cœlis cum Christo.

Jerusalem cœlestis, quia civitas et templum Jerusalem typus fuere hujus societatis.

Civitas Dei, quia ibi gloria et majestas Dei splendet augustiùs. Ideoque dicitur Deus in cœlis habitare.

Ecclesia prædestinatorum, quia soli prædestinati locum habent in illâ societate.

I. Ex quibusnam constat societas Ecclesiæ triumphantis?

R. Ex Deo et Christo et Beatissimâ Virgine Deiparâ et Angelis et Sanctis.

De hâc beatissimâ societate agemus in fine hujus Capitis, (§. 20.) ubi sermo erit de vitâ æternâ.

I. Quod nomen est societati animarum, quæ patiuntur pœnas purgatorias?

R. Dicitur Ecclesia patiens, qui justitiæ Divinæ debitas pœnas solvit.

I. Ex quibus constat hæc societas?

R. Ex illis, qui mortui sunt quidem in statu gratiæ, nec tamen satis purgati sunt ab omni sorde, ut possint ad cœlestem patriam admitti.

Ignis purgatorii veritatem, (*Part.* 3. *Sect.* 1. *Cap.* 5. §. 17.) Deo dante, demonstrabimus.

I. Quod nomen est societati fidelium, qui in terris degunt?

R. Dicitur Ecclesia militans: *militia* enim *est vita hominis super terram.* (*Job.* VII. 1.)

De præliis Ecclesiæ militantis agemus infrà. (§. 8. 9. 10. *et* 11. *hujus Cap.*)

I. Ex quibus constat Ecclesia militans?

R. Huic quæstioni ut planè satisfiat, ponenda est Ecclesia, id est, societas fidelium in triplici temporum differentiâ. 1. Ante peccatum Primorum Parentum. 2. Post peccatum ante Christum. 3. Post Christum.

Ante peccatum, omnes omnino homines, nemine excepto, futuri erant membra Ecclesiæ. Omnes ad æternam salutem conditi fuerant. Nihil erat, si non peccassent, quod posset eos ab hujus supremæ felicitatis consecutione repellere.

Adamus et Eva peccando perdiderunt sibi et suis posteris quidquid juris haberent ad vitam æternam, Expulsi sunt ex

Paradiso voluptatis. Sed misertus eorum Deus promisit illis Redemptorem, cujus meritis potuerunt deinceps reconciliari cum Deo, et jus ad vitam æternam adipisci; modò sanctè viverent et Redemptorem exspectarent. Ideoque ante Christi adventum quisquis vitam ad naturæ leges componens exspectabat Redemptorem, is utpote verè fidelis ad Ecclesiam Christi pertinebat.

Sed post vocationem Abrahæ, circumcisionis lege obstricti sunt omnes posteri ejus masculi. Et post scriptam legem Mosaïcam, Israëlitæ sub lege vivere tenebantur.

Itaque tunc temporis Ecclesia Christi duplex hominum genus complectebatur. Primò Judæos, qui ita sub lege vivebant, ut ejus præcepta servarent, (si qui enim legem professi, non ex lege viverent, hi non ad Christi Ecclesiam, sed ad Synagogam solùm pertinebant.)

Secundò Gentiles, qui, ut diximus, et Redemptorem exspectabant, et vitam ad naturæ leges componebant. Ex his aliqui circumcidebantur, et subjiciebant se legi Mosaïcæ, tùmque Proselyti dicebantur, et tenebantur in omnibus legem sequi. Sed alii omnes, etiam incircumcisi carne, salvari poterant, poterant esse membra Ecclesiæ Christi, modò unum Deum colerent, et juxta Deum vivendo, Redemptorem exspectarent. Ideoque in templo Jerosolymitano locus erat, Atrium Gentium dictus, quo admittebantur Gentiles ad fundendas Deo preces. Atrium illud interposito pariete separabatur ab eo, in quo Israëlitæ ad orandum in eodem templo conveniebant. Talis fuit status Ecclesiæ ante Christum.

Sed post Christi mortem et resurrectionem nullum ampliùs discrimen exstitit inter Judæos et Gentes. Christus utriusque populi *inimicitias*, ut Apostoli (*Ephes.* II. 14. 15. 16.) verbis utar, *interficiens, et medium parietem maceriæ solvens*, fecit ex utroque populo unum, qui Christianus populus dicitur; nec quisquam jam potest Ecclesiæ membrum esse, nisi ad novum hunc populum pertineat. Ut quis autem ad illum pertineat, duæ sunt conditiones requisitæ.

1. Baptismi susceptio. *Nisi* enim *quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* (*Joan.* III. 5.) Peccatum originale nonnisi per baptismum remittitur; itaque quisquis non est hoc sacramento regeneratus, is ad Christum non pertinet, non est ejus membrum, extra Ecclesiam est.

2. Oportet non esse à corpore Ecclesiæ segregatum, quemadmodum segregantur ab Ecclesiâ matre filii rebelles et non subditi. Christus enim dedit hanc Ecclesiæ potestatem in filios non subditos: et si quis auctoritate legitimâ pulsus sit è sinu Ecclesiæ, vult Christus hunc non haberi pro Christiano. *Si quis*, inquit, *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* (*Matth.* XVIII. 17.)

Itaque Ecclesia militans in suo sinu jam complectitur omnes et solos baptizatos, non excommunicatos.

Hinc sequitur primò Infideles et Judæos non esse membra Ecclesiæ, non sunt enim baptizati.

2. Hæreticos et Schismaticos et Apostatas, non esse membra Ecclesiæ, quia ipsi se segregaverunt ab Ecclesiæ societate, ipsi dixerunt in se excommunicationis sententiam. Qui sint autem Hæretici, qui Schismatici, qui Apostatæ, infrà dicemus, §. *seq.*

3. Excommunicatos non esse membra Ecclesiæ quandiu in statu excommunicationis perseverant. Ipsi enim ab Ecclesiâ pulsi sunt.

4. Infantes vel ab Infidelibus vel ab Hæreticis vel à Schismaticis vel à quocunque excommunicato baptizatos, esse membra Ecclesiæ. Validus est enim talis baptismus et confert remissionem peccatorum, ut videbimus. (*Part.* 3. *Sect.* 1. *Cap.* 2. §. 2.)

5. Christianos baptizatos quantumlibet peccatores, esse membra Ecclesiæ, quandiu non sunt excommunicati; docet enim sæpiùs in Evangelio Christus Ecclesiam suam, quandiu in terris degit, mixtam esse ex frumento et paleis, et complecti in suo sinu bonos et malos, nec nisi in fide secularum faciendam esse frumenti à paleis, bonorum à malis segregationem. (E)

1. Si quis à corpore Ecclesiæ injustâ sententiâ pelleretur, sicque pulsus et excommunicatus, servaret debitam Ecclesiæ illiusque Pastoribus subjectionem; talis-ne desineret esse Ecclesiæ membrum?

(E) *Vide Auctoritates suprà allatas ex* S. Aug. 2. *super. litt.* (H)

S. Aug. *de verâ Religione, c.* 5. *n.* 9. Posset enim eos (Hæreticos) area Dominica usque ad tempus ultimæ ventilationis velut paleas sustinere, nisi vento superbiæ nimiâ levitate cessissent, et sese à nobis ultra separassent... Quæ cùm ita sint, neque in confusione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schismaticorum, neque in cæcitate Judæorum quærenda est Religio; sed apud eos solos, qui Christiani, Catholici, vel Orthodoxi nominantur, id est, integritatis custodes, et recta sectantes.

Cap. 6. *n.* 10. Hæc enim Ecclesia Catholica per totum orbem validè latèque diffusa, omnibus errantibus utitur ad proveclus suos, et ad eorum correctionem, cùm evigilare voluerint. Utitur enim Gentibus ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Judæis ad comparationem pulchritudinis suæ. Alios ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit: Omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat potestatem; sive illi formandi sint adhuc, sive reformandi, sive recolligendi, sive admittendi. Carnales autem suos, id est, viventes aut sentientes carnaliter, tanquam paleas tolerat, quibus in areâ frumenta tutiora sunt, donec talibus tegminibus exuantur. Sed quia in hâc areâ pro voluntate quisque vel palea, vel frumentum est, tandiu sustinetur peccatum aut error cujuslibet, donec aut accusatorem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animositate defendat. Exclusi autem aut pœnitendo redeunt, aut in nequitiam malè liberi defluunt, ad admonitionem nostræ diligentiæ; aut Schisma faciunt, ad exercitationem nostræ patientiæ; aut hæresim aliquam gignunt, ad examen sive occasionem nostræ intelligentiæ. Hi sunt exitus Christianorum carnalium, qui non potuerunt corrigi aut sustineri.

R. Minimè verò. Ruptis incassùm exterioribus vinculis, is nihilominùs ad spiritum Ecclesiæ pertineret ; pertineret ad Christum ut membrum vivens, proindeque ad Ecclesiam. Non potest Ecclesia à corpore Christi pellere membra viva, sed mortua duntaxat. Nulla est ante supremi judicii tribunal sententia, quâ quis è corpore Christi injustè pellitur : tunc solùm, ut ait S. Gregorius, rata est sententia præsidentis, cùm summi arbitrium sequitur judicis. (F)

(F) S. Aug. *de verâ Religion. cap.* 6. *n.* 11. Sæpe etiam sinit divina providentia, per nonnullas nimiùm turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de congregatione Christianâ, etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam suam cùm patientissimè pro Ecclesiæ pace tulerint, neque ullas novitates, vel schismatis, vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines, quàm vero affectu et quantâ sinceritate charitatis Deo serviendum sit. Talium ergo virorum propositum est, aut sedatis remeare turbinibus ; aut si id non sinantur, vel eadem tempestate perseverante, vel ne suo reditu talis aut sævior oriatur, tenent voluntatem consulendi, etiam eis ipsis, quorum motibus perturbationibusque cesserunt, sine ullâ conventiculorum segregatione usque ad mortem defendentes, et testimonio juvantes eam fidem, quam in Ecclesiâ Catholicâ prædicari sciunt. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns. Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt : immo plura sunt quàm credi potest. Ita omnibus generibus hominum et exemplorum ad animorum curationem, et ad institutionem spiritalis populi, utitur divina providentia.

Epist. 78. *aliàs* 137. *clero et plebi Ecclesiæ Hipponensis*, *n.* 3... Cùm viderem Bonifacium nolle quibuslibet infirmis et ad suspicionem propensis de vitæ suæ dubitatione scandalum fieri, paratumque esse honoris sui apud homines damnum perpeti potiùs quàm in eâ contentione, in quâ non posset ignorantibus, et dubitantibus vel ad malè suspicandum proclivioribus suam demonstrare conscientiam, usque ad Ecclesiæ perturbationem inaniter progredi....

N. 4. Nomen autem Presbyteri propterea non ausus sum de numero collegarum ejus vel supprimere vel delere, ne divinæ potestati, sub cujus examine causa adhuc pendet, facere viderer injuriam, si ejus judicium meo vellem præjudicio prævenire : quod nec in negotiis secularibus judices faciunt, quando causæ dubitatio ad majorem potestatem refertur, ut pendente relatione aliquid audeant commutare... Bonifacius tamen hanc humilitatem suscepit, ut nec litteras acciperet, quibus in peregrinatione honorem suum quæreret, ut in eo loco, ubi ambo ignoti sunt, circa ambos æqualitas servaretur. Et nunc si vobis placet ut nomen ejus non recitetur, ne iis, qui ad Ecclesiam accedere nolunt, sicut ait Apostolus, (2. *Cor.* xi. 12.) demus occasionem quærentibus occasionem ; non erit nostrum hoc factum, sed eorum, quorum causâ fuerit factum. Quid enim obest homini, quòd ex illâ tabulâ non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro vivorum non eum delet iniqua conscientia ?

N. 5. 6. 7. *et* 8. *Vide infrà* §. xi. *hujusce Cap. litt.* (D)

N. 8. Quantumlibet enim vigilet disciplina domus meæ, et inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit quàm arca Noë, ubi tamen inter octo homines reprobus unus inventus est : aut melior sit quàm domus Abrahæ, ubi dictum est, *Ejice ancillam et filium ejus :* (*Gen.* xxi. 10.) aut melior sit quàm domus Isaac, cujus de duobus geminis dictum est, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui :* (*Malach.* i. 2. *Rom.* ix. 13.) aut melior sit quàm domus Jacob, ubi lectum patris filius incestavit : aut melior sit quàm domus David, cujus filius cum sorore concubuit ; cujus alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellavit ; aut melior quàm cohabitatio Pauli Apostoli, qui tamen si inter homines bonos habitaret, non diceret (2. *Cor.* vii. 5.) *foris pugnæ, intus timores :* nec diceret (*Philip.* ii. 20.) cùm de sancti-

§. 3. De Communione Membrorum Ecclesiæ, quæ Communio Sanctorum dicitur.

I. Varia hæc Ecclesiæ membra sunt-ne aliquâ ratione inter se connexa ?

R. Sunt utique. Omnia enim unum corpus efficiunt, cujus caput Christus. Sunt ergo verè membra corporis Christi mystici, sunt membra Christi.

I. Quibus vinculis et nexibus omnia membra Ecclesiæ inter se copulantur ?

R. Vinculis internis et externis. Vincula interiora sunt participatio ejusdem spiritûs, subjectio eidem capiti invisibili, communicatio gratiarum. Vincula externa sunt professio ejusdem fidei, ejusdem spei, eorumdem sacramentorum participatio, subjectio iisdem Pastoribus, et eidem capiti visibili.

His vinculis externis non connectuntur inter se omnia prorsùs membra Ecclesiæ, sed ea solùm, quæ simul in tate et fide Timothei loqueretur, * *Neminem habeo qui germanè de vobis sollicitus sit : omnes enim sua quærunt, non quæ Jesu Christi :* aut melior quàm cohabitatio ipsius Domini Christi, in qua undecim boni perfidum et furem Judam toleraverunt : aut melior sit postremò quàm cœlum, undè Angeli ceciderunt.

N. 9. Simpliciter autem fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo servire cœpi, quomodò difficilè sum expertus meliores, quàm qui de monasteriis profecerunt : ita non sum expertus pejores, quàm qui in monasteriis ceciderunt. Ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum, (XXII. 11.) * *Justus justior fiat, et sordidus sordescat adhuc.* Quapropter etsi contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam, quâ oculi vestri ostenduntur, torcularia detestari, unde apothecæ Dominicæ fructu olei luminosioris implentur.

Fragment. ex Epistolâ ad Classicianum apud Aug. ante Epist. 251. *edit. PP. BB.* Ego propter eos, qui pro peccato unius animæ, totam domum ejus, id est, plurimas animas anathemate ligant, maximè ne ibi quisquam sine baptismate de corpore abscedat ; et utrùm non etiam de Ecclesiâ pellendi sunt, qui eò confugiunt quò fidem fidejussoribus frangant, adjuvante Domino, et in concilio nostro agere cupio, et si opus fuerit ad sedem Apostolicam scribere : ut in his causis quid sequi debeamus concordi omnium auctoritate constituatur, atque firmetur. Illud planè non temerè dixerim, quod si quisquam fidelium fuerit anathematus injustè, ei potiùs oberit qui faciet, quàm ei qui hanc patietur injuriam. Spiritus enim sanctus habitans in sanctis, per quem quisque ligatur, aut solvitur ; immeritam nulli pœnam ingerit : per eum quippe diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ non agit perperàm.

Lib. 1. *de Baptismo contra Donatistas, c.* 17. *n.* 26. De nullo tamen desperandum est, sive qui intùs talis apparet, sive qui foris manifestiùs sadversatur. Spirituales autem sive ad hoc ipsum pio studio proficientes non eunt foràs ; quia et cum aliquâ vel perversitate, vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quàm si intùs permaneant, cùm adversùs Ecclesiam nullatenùs eriguntur, sed in solidâ unitatis petrâ fortissimo charitatis robore radicantur.

Qui ea, quæ ad unitatis Ecclesiæ doctrinam spectant penitiùs scrutari voluerint, legant S. CYPRIANI *librum* de Unitate Ecclesiæ, *cujus infrà* § 4. *litt.* (F) *hujusce Cap. testimonium adducimus, Libros* S. AUGUSTINI contra Donatistas ; *et eruditorum virorum* R. P. THOMASSINI *Cong. Oratorii Gallic. Presbyteri et* D. NICOLE de Unitate Ecclesiæ *Tractatus doctissimos Gallicè scriptos.*

terris vivunt. Judæis enim, verbi gratiâ, non erant eadem sacramenta quæ Christianis, non Pastores iidem. Nec Christiani ipsi post suum obitum subjecti sunt jurisdictioni Pastorum, qui in terris degunt. Tandem fides et spes non locum habent in cœlo, ubi sancti facie ad faciem vident quod credimus, possident quod speramus.

Sed tria sunt quibus inter se communionem habent omnia prorsùs membra Ecclesiæ, in quocunque temporis spatio, in quocunque loco vixerint aut vivant. 1. Subjectio eidem capiti Christo; omnia enim trium Ecclesiarum membra Christum caput habent. 2. Participatio ejusdem spiritûs; omnia enim Christi spiritu vegetantur, si viva membra sunt. 3. Bona eadem omnibus proposita, quæ ab aliis possidentur, ab aliis exspectantur. Videmus enim ex parte et possidemus quod Judæi crediderunt et exspectârunt. Sancti perfectè vident et possident quod nos credimus et speramus. 4. Christi merita, quæ unicuique applicantur, ut bona illa possideat aut possidere possit: neque enim potuit quisquam salvari nisi per Christum. Hoc tamen de solis hominibus intelligendum est. (A) Nam de Angelis beatis, utrùm per Christi merita salutem consecuti sint, quæstio est inter Theologos, hinc indè sine præjudicio fidei ventilata.

(A) S. Aug. *Epist.* 157. *aliàs* 89. *ad Hilarium*, *n.* 14. Sciamus etiam antiquos justos, quicunque esse potuerunt, non nisi per eamdem fidem liberatos, per quam liberamur et nos, fidem scilicet Incarnationis Christi, quæ illis prænuntiabatur, sicut nobis facta annuntiatur..... Ideò idem Christum hominem dicit, cùm sit et Deus, ne quis existimet antiquos justos per Deum tantummodò Christum, id est, per Verbum, quod erat in principio, non etiam per fidem incarnationis ejus, quâ et homo Christus dicitur, potuisse liberari..... Hæc ergo fides etiam antiquorum justorum fuit. Undè et Apostolus dicit, (2. *Cor.* iv. 13.) *habentes autem eumdem spiritum fidei*..... Non diceret, eumdem spiritum fidei; nisi admonens etiam antiquos justos habuisse ipsum spiritum fidei; hoc est Incarnationis Christi. Sed quia illis futura prænuntiabatur, quæ jam facta nobis annuntiatur, et tempore veteris testamenti revelabatur, quæ tempore novi testamenti revelatur.

Epist. 187. *aliàs* 57. *ad Dardanum*, *c.* 11. *n.* 34. Erat autem antiquis justis aliquod occultum, (*Sacramentum*) cùm tamen et illi eâdem fide salvi fierent, quæ fuerat suo tempore revelanda..... Sicut illi..... credebant Christi incarnationem futuram, sic et nos credimus factam: et à nobis autem et ab illis futurus exspectatur ad judicium ejus adventus. Non est enim aliud Dei mysterium, nisi Christus, in quo oporteat vivificari mortuos in Adam.

Lib. 19. *contra Faustum*, *Cap.* 14. Verumtamen si antiqui Justi, qui sacramentis illis intelligebant venturam prænuntiari revelationem fidei, ex quâ licèt adhuc opertâ et absconditâ, munere tamen pietatis intellectâ, etiam tunc ipsi vivebant; quia in hâc vitâ nemo esse potest justus nisi qui ex fide vivit..... Tunc ergo et occulta erat fides; nam eadem credebant, eademque sperabant omnes justi et sancti etiam temporum illorum..... et quod fidelibus promittitur in judicio, jam completum est in exemplo.

Cap. 15... Quæritur quidem inter scrutatores sanctarum Scripturarum, utrùm tantùm profuerit antiquis justis fides passuri et resurrecturi Christi, quam vel revelationibus discebant, vel in Prophetis intelligebant; quantùm nunc prodest fides passi et resucitati: an ipsa effusio

I. Quo nomine insignitur communio illa membrorum Ecclesiæ ?

R. Communio Sanctorum. *Communio*, quæ vox idem significat quod nexus, societas, communicatio. *Sanctorum*, quo nomine designantur omnia Christi membra ; quia omnia per baptismum sanctificata sunt. Omnia sancta sunt, quandiù baptismi innocentiam vel illibatam servant, vel amissam recuperârunt per pœnitentiam. Omnia vocata sunt ad sanctitatem. Ideò Apostolus sanctos appellat fideles, de quibus loquitur, vel ad quos scribit. (B)

I. In quo posita est Sanctorum communio ?

R. In duobus maximè. 1. In vinculis illis seu internis, seu externis quibus mox diximus omnia Christi membra esse inter se connexa.

2. In communicatione mutuâ bonorum spiritualium : quæ sic uniuscujusque membri propria sunt, ut et in alia membra diffundantur. (C)

I. Quæ bona spiritualia hîc narras ?

R. Preces, bona opera, divina auxilia, Sacramenta.

sanguinis agni Dei, quæ facta est, sicut ipse dicit, (*Matth.* XXVI. 28.) pro multis in remissionem peccatorum, aliquid utilitatis et purgationis vel dederit vel addiderit, etiam iis, qui hoc futurum credentes antequàm fieret ex hâc vitâ emigraverant.

Cap. 16. Interim adversùs calumniosam imperitiam Fausti demonstrare suffecerit, quanto errore delirent, qui putant signis, sacramentisque mutatis, etiam res ipsas esse diversas, quas ritus Propheticus prænuntiavit promissas, et quas ritus Evangelicus annuntiavit impletas : aut qui censent, cùm res eædem sint, non eas aliis sacramentis annuntiari debuisse completas, quàm iis, quibus adhuc complendæ prænuntiabantur... Quid mirum si aliis mysteriorum signaculis passio et resurrectio Christi futura promissa est : aliis jam facta annuntiatur.... virtus quæ per sacramenta operatur, jugiter manet, et donum spiritale, quod per ista insinuatur, æternum est.

Cap. 17... Primus itaque populus Dei, antequàm Christus veniret legem Prophetasque adimplere, illa omnia, quæ hunc promittebant, observare jubebatur : liber in eis, qui hæc quò pertinerent intelligebant : servus autem in eis, qui hoc non intelligebant. Posterior verò populus accedens ad fidem, quà jam Christus venisse, passus esse, ac resurrexisse prædicabatur, in iis quidem hominibus, quos jam talibus sacramentis institutos eadem fides invenerat, nec cogebatur ista observare, nec prohibebatur : in iis autem, qui talibus vacui, nullâ generis, nullâ consuetudinis vel congruentiæ necessitudine retenti crediderant, etiam prohibebatur ; ut per eos jam inciperet apparere, illa omnia propter promittendum Christum fuisse instituta ; quo veniente, atque hæc promissa adimplente, jam oportere cessare.

Cap. 18. Hæc præcepta sunt morum, illa sacramenta sunt promissorum : hæc implentur per adjuvantem gratiam, illa per redditam veritatem : utraque per Christum et illam semper gratiam donantem, nunc etiam revelantem ; et hanc veritatem tunc promittentem, nunc exhibentem : *Quia lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est.* (*Joan.* 1. 17.)

Vide etiam infrà hujusce Cap. 2. 5. *litt.* (A) *et* (B) *auctoritates* S. AUG. *Lege librum Gallicè scriptum* de necessitate fidei in Christum : *qui vulgò Doctissimo viro* D. ARNALDO *Doctori Sorbonico tribuitur.*

(B) ROM. 1. 7. Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis Sanctis. 1. COR. 1. 2. Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, *Et sic in aliis ferè D. Pauli Epistolis.*

(C) S. AUG. *Lib.* 1. *alias* 2. *contra Maximinum Arianum, c.* 9... *Et ipse*

I. Fit-ne hæc bonorum communicatio inter membra Ecclesiæ militantis duntaxat ?

R. Fit inter membra triplicis Ecclesiæ, triumphantis nimirùm, patientis, et militantis. Omnes unum corpus sunt, omnes iisdem bonis participant, quantùm competit unicuique pro suo statu.

I. Quomodò fit hæc communicatio inter membra Ecclesiæ triumphantis et Ecclesiæ militantis ?

R. Per preces et supplicationes, quas Sanctis fundimus, et per auxilia Dei, quæ nobis Sancti intercessionibus suis impetrant.

De Sanctorum invocatione agemus in serie hujus Operis, (*Part.* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 2. §. 3.)

I. Quomodò fit hæc communicatio inter membra Ecclesiæ militantis et Ecclesiæ patientis ?

R. Per bona opera, preces, et sacrificia Ecclesiæ militantis, quibus Ecclesia patiens sublevatur.

De oratione et sacrificio pro mortuis agemus in serie hujus Operis, (*Part.* 3. *Sect.* 1. *Cap.* 5. §. 17. *et Sect.* 2. *Cap.* 7. §. 13.)

I. Quomodò fit hæc communicatio inter membra Ecclesiæ militantis ?

R. 1. In eo quòd omnes participes sunt precum, sacrificii, bonorum operum, auxiliorum, sacramentorum, fidei Ecclesiæ. (D)

2. Auxilia ab uno accepta et bona opera singulorum aliis membris prosunt. (E)

Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus : (*Rom.* VIII. 26.) ne credamus Spiritum sanctum nunquam esse sine gemitibus posse, quoniam nullus dies, nulla hora, nullum momentum temporis invenitur, quo non à sanctis orationes Deo ubicumque fundantur, ab aliis hîc, ab aliis alibi. Cùm tamen ab orationibus sanctorum nullum sit tempus immune, quandoquidem diebus ac noctibus cùm alii cibo potuque reficiuntur, alii quodlibet aliud agunt, alii dormiunt, non utique desunt quos desiderium sanctum orare compellat : ita fit ut Spiritus sanctus, qui ubique omnibus adest, aliquantulùm cessare à gemitibus non sinatur, quod est extremæ miseriæ, cùm pro quibuscunque orantibus cogitur gemere : nisi gemitibus inenarrabilibus interpellare sic intelligatur... id est, quia gemitibus sanctorum desideriorum interpellare sanctos facit, quibus affectum pium gratiæ spiritalis infundit.

(D) S. AUG. *Lib.* 3. *de Baptismo contra Donatistas, n.* 22. *c.* 17. Nam quòd in typo unitatis Petro Dominus dedit potestatem, ut *id solveretur in terris quod ille solvisset*, (*Matth.* XVI. 19.) manifestum est quòd illa unitas etiam una columba perfecta sit dicta... An fortè per orationes sanctorum spiritualium, qui sunt in Ecclesiâ, tanquam per columbæ creberrimum gemitum, magnum geritur sacramentum, et occulta dispensatio misericordiæ Dei, ut eorum etiam peccata solvantur, qui non per columbam, sed per accipitrem baptizantur, si ad illud sacramentum cum pace Catholicæ unitatis accedunt ? Nec in hæresi aut schismate constitutum sanctorum orationes, id est, illius unicæ columbæ gemitus poterunt adjuvare ; sicut nec intùs positum possunt, si adversùm se ipse per vitam pessimam teneat debita peccatorum, non solùm si per accipitrem, sed etiam per ipsius columbæ pium ministerium baptizetur.

(E) S. AMBROS. *Serm.* 8. *in Psal.* CXVIII. *n.* 54.... Sicut enim membrum particeps esse dicimus totius corporis : sic conjunctum omnibus

I. Quodnam principium, quæ causa est ejus tam miræ communicationis bonorum spiritualium, quæ in singula Ecclesiæ membra diffunduntur?

R. Spiritus sanctus, spiritus Christi, qui à capite in membra diffunditur: quemadmodùm anima in singula corporis membra vitam et spiritus vitales diffundit. Quo quidem exemplo utitur Apostolus, ut admirabilem hanc communicationem explicet. (F)

timentibus Deum, qui non dicat alteri: Non es de corpore meo: hoc est, non dicat pauperi dives, non ignobili nobilis, non ægro sanus, non fortis debili, non imperito sapiens dicat: Non estis mihi necessarii; particeps corporis Christi est, quæ est Ecclesia. Sed qui sciat quòd ii, qui videntur in Ecclesiâ debiles, pauperes, imprudentes, etiam peccatores abundantiori indigeant honestate, et majore præsidio fulciendi sint. Qui hoc noverit, iste potest dicere: *Particeps ego sum omnium timentium te.* (*Ps.* CXVIII. 63.) Qui compatiatur infirmis, ut sciat quia unum corpus omnes sumus, et membris membra connexa; ut alterum sine altero esse non possit: et cùm alterum dolet, compatiatur alteri.

Lib. 1. *Officiorum c.* 29. *n.* 142. Fides omnium Christus: Ecclesia autem quædam forma justitiæ est. Commune jus omnium: in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur.

Lib. 1. *de Pœnit. c.* 15. *n.* 80. Benè ait: (1. *Cor.* v. 7.) *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi.* Velut enim operibus quibusquam totius populi purgatur, et plebis lacrymis abluitur, qui orationibus et fletibus plebis redimitur à peccato, et in homine mundatur interiore. Donavit enim Christus Ecclesiæ suæ, ut unum per omnes redimeret, quæ Domini Jesu meruit adventum, ut per unum omnes redimerentur.

N. 81. Consideremus ipsum Apostoli sermonem: *Expurgate, etc...* Sive quòd tota Ecclesia suscipiat onus peccatoris, cui compatiendum et fletu, et oratione, et dolore est; et quasi fermento ejus se totam conspergat; ut per universos ea, quæ superflua sunt in aliquo pœnitentiam agente, virilis misericordiæ aut compassionis velut collativâ quâdam admixtione purgentur.

S. AUG. *Tract.* 32. *in Joan. n.* 7... In hâc Ecclesiâ qui non est, nec modò accipit Spiritum sanctum. Præcisus enim et divisus ab unitate membrorum, quæ unitas linguis omnium loquitur, renuntiet sibi: non habet. Nam si habet, det signum quod tunc dabatur. Quid est, det signum, quod tunc dabatur? Loquatur omnibus linguis. Respondet mihi, Quid enim, tu loqueris omnibus linguis? Loquor planè, quia omnis lingua mea est, id est, ejus corporis cujus membrum sum. Diffusa Ecclesia per gentes loquitur omnibus linguis. Ecclesia est corpus Christi, in hoc corpore membrum es: cùm ergo membrum sis ejus corporis, quod loquitur omnibus linguis, crede te loqui omnibus linguis. Unitas enim membrorum charitate concordat: et ipsa unitas loquitur, quomodo tunc unus homo loquebatur.

Tract. 32. *in Joan. n.* 8. Accipimus ergo et nos Spiritum sanctum si amamus Ecclesiam, si charitate compaginamur, si catholico nomine et fide gaudemus. Credamus, fratres, quantùm quisque amat Ecclesiam Christi, tantùm habet Spiritum sanctum... si amas, non nihil habes; si enim amas unitatem, etiam tibi habet quisquis in illâ habet aliquid. Tolle invidiam, et tuum est quod habeo: tollam invidiam, et meum est quod habes. Livor separat, charitas jungit... Habemus ergo Spiritum sanctum, si amamus Ecclesiam: amamus autem, si in ejus compage et charitate consistimus..... Ipsam habeto, et cuncta habebis: quia sine illâ nihil proderit, quidquid habere potueris.

(F) ROM. XII. 4. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: 5. Ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.

I. Qui peccati mortalis labe tenentur veniunt-ne in partem communionis Sanctorum ?

R. Antequàm huic quæstioni respondeam, adverte ad pleniorem dicendorum intelligentiam, Spiritum sanctum non habitare in animâ subditâ peccato mortali, adeòque ejusmodi animam esse spiritualiter coram Deo mortuam.

Qui peccati mortalis labe tenetur, non pertinet ergo ad Christum ut membrum vivens ; sed pertinere tamen ad eum potest ut membrum mortuum adhuc connexum cum corpore per vincula exteriora superiùs tradita ; et aliquatenùs per interiora, nimirùm per fidem, spem, etc. Si verò peccator ab Ecclesiæ communione segregatus est per excommunicationem majorem, tunc non pertinet propriè ad Ecclesiam, quæ est corpus Christi mysticum. Non pertinet, inquam, propriè, nec per vincula interiora, quæ omnia

1. Cor. VI. 15. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi ?... 17.. Qui adhæret Domino, unus spiritus est... 19. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, et non estis vestri ? 20. Empti enim estis pretio magno. Glorificate et porttae Deum in corpore vestro.

XII. 4. Divisiones verò gratiarum sunt, idem autem Spiritus : 5. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus : 6. Et divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus : 7. Unicuique autem datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem. 8. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ : alii autem sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum : 9. Alteri fides in eodem Spiritu : alii gratia sanitatum in uno Spiritu : 10. Alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. 11. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. 12. Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa ; omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum tamen corpus sunt ; ita et Christus. 13. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi : et omnes in uno Spiritu potati sumus. 14. Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. 15. Si dixerit pes : Quoniam non sum manus, non sum de corpore : nùm ideò non est de corpore ? 16. Et si dixerit auris : Quoniam non sum oculus, non sum de corpore : nùm ideo non est de corpore ? 17. Si totum corpus oculus : ubi auditus ? Si totum auditus : ubi odoratus ? 18. Nunc autem posuit Deus membra, unum quodque eorum in corpore sicut voluit. 19. Quòd si essent omnia unum membrum, ubi corpus ? 20. Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. 21. Non potest autem oculus dicere manui : Operâ tuâ non indigeo ; aut iterùm caput pedibus : Non estis mihi necessarii. 22. Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt : 23. Et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus : et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. 24. Honesta autem nostra nullius egent : sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem. 25. Ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra. 26. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra : sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. 27. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro.

Ephes. IV. 15. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus : 16. Ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.

ferè soluta sunt per peccatum mortale ; nec per vincula exteriora , quæ rupta sunt per excommunicationem.

Hoc posito, dico Christianos etiam peccati mortalis reos, in multis participes esse communionis Sanctorum , quandiù non sunt excommunicati. Sunt quidem membra mortua , sed adhuc connexa corpori , quandiù resecata non sunt. Membra sunt, ut ita dicam, paralytica , omni ferè motu destituta , sed tamen connexa Ecclesiæ per professionem ejusdem fidei , ejusdem spei ; per subjectionem externam Pastoribus iisdem, non amiserunt jus ad sacramenta ; et per ministerium et orationes Ecclesiæ , multis donantur et externis et internis ad conversionem auxiliis. Itaque multò plura adsunt iis ad salutem præsidia et adjumenta, quàm peccatoribus iis , qui omninò segregati sunt à communione Ecclesiæ.

Quin et indiget aliquâ explicatione quod dixi excommunicatum *excisum omninò esse à corpore Ecclesiæ , nec pertinere amplius ad Ecclesiam :* neque enim excommunicatus privatur omnibus omninò bonis , ad quæ jus habebat ante excommunicationem. Sunt bona quædam quæ potest Ecclesia et auferre , et reddere ; iis privatur excommunicatus : sunt quæ auferri nequeunt , his minimè privatur. Non potest Ecclesia auferre et delere characterem Baptismi , Confirmationis , Ordinationis : his characteribus vel filii , vel milites , vel ministri Ecclesiæ sumus. Hoc nomine pertinent semper ad Ecclesiam excommunicati : pertinent , inquam , ut filii , ut milites , ut ministri ; quanquam exhæredes , rebelles è domo pulsi. Et si quando revocentur ad domum et restituantur in Communionem Ecclesiæ , non confertur eis denuò character ejusmodi sacramentorum.

Est ergo nonnihil æquivoci in hàc loquendi formulâ : *Excommunicatus excisus est à corpore Ecclesiæ , non pertinet amplius ad Ecclesiam , non pertinet ad Christum.* Si per hæc verba intelligatur excommunicatum , quandiù permanet in excommunicatione , nullum habere jus ad bona Ecclesiæ , ad ejus conventus , ad sacramenta , ad suffragia , ad bona fidelium opera , ad societatem Christianorum ; non esse ipsi partem cum Jesu Christo , utpotè qui sit palmes excisus de vite , quæ Christus est. Si juxta eum sensum accipiantur illæ loquendi formulæ , tunc accuratæ et propriæ sunt. Si verò per hæc verba intelligatur excommunicatus non esse amplius sub potestate Christi et Ecclesiæ , falsa omninò sunt. Pertinet semper excommunicatus ad Christum et ad Ecclesiam ut filius rebellis , ut servus fugitivus. Excidit ipse quidem omni jure ad bona Christi et Ecclesiæ : sed non excidit Christus , non excidit Ecclesia , nec excidere possunt jure suo in filium rebellem et exhæredem.

I. Quinam illi sunt , qui nullam habent cum fidelibus communionem sive externam sive internam ?

R. 1. Qui nunquam fuerunt membra Ecclesiæ. 2. Qui segregârunt semetipsos à communione Ecclesiæ. 3. Quos Ecclesia segregavit à communione suâ : seu ut clariùs loquar, 1. Judæi et Infideles ; 2. Hæretici, Schismatici, Apostatæ ; 3. Excommunicati. (G)

I. Quid intelligís per Hæreticos ?

R. Eos intelligo qui pertinaciter adhærent doctrinæ ab Ecclesiâ damnatæ ; vel qui pertinaciter nolunt credere quod Ecclesia definiit habendum esse pro fidei articulo. (H)

I. Quid intelligis per Schismaticos ?

R. Eos intelligo, qui segregant se ab Ecclesiæ commu-

(G) S. Aug. *de verâ Religione, c.* 5. *et* 6. *Vide suprà* 2. *superiori litt.* (E) *et* (F)

(H) S. Aug. *Lib.* 4. *de Baptismo contra Donatistas, Cap.* 16. *n.* 23. Istum nondùm hæreticum dico, nisi manifestatâ sibi doctrinâ Catholicæ fidei resistere maluerit, et illud, quod tenebat, elegerit ; quod antequàm fiat, manifestum est illum, qui foris baptizatus est esse pejorem. Itaque in hoc sola falsa opinio, in illo autem etiam ipsa divisio corrigenda est ; sed in neutro ipsorum sacramenti veritas repetenda. Quòd si quisquam idem sentiat quod illi, et esse noverit hæresim ab unitate Catholicâ separatam ubi hoc docetur et discitur, alicujus secularis emolumenti causà, in Catholicà unitate baptizari voluerit, vel in eà Baptizatus propter hoc exire indè noluerit, non solùm separatus habendus est, verùm etiam tantò sceleratius, quantò magis errori hæresis et divisioni unitatis fallaciam simulationis adjungit. Quamobrem cujusque hominis pravitas, quantò periculosior, et tortusior est, tantò instantiùs et operosiùs corrigenda est.

Lib. 18. *de Civ. Dei, c.* 51. *n.* 1. Videns autem diabolus templa dæmonum deseri, et in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, hæreticos movit, qui sub vocabulo Christiano doctrinæ resisterent Christianæ.., Qui ergo in Ecclesiâ Christi morbidum aliquid, pravumque sapiunt, si correpti ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera et mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt ; hæretici fiunt, et foràs exeuntes habentur in exercentibus inimicis. Etiam sic quippè veris illis Catholicis membris Christi malo suo prosunt, dùm Deus utitur et malis benè, et diligentibus cum omnia cooperantur in bonum. Inimici enim omnes Ecclesiæ, quolibet errore cæcentur, vel malitiâ depraventur, si accipiant potestatem corporaliter affligendi, exercent ejus patientiam : si tantummodò malè sentiendo adversantur, exercent ejus sapientiam : ut autem etiam inimici diligantur, exercent ejus benevolentiam, aut etiam beneficentiam, sive suadibili doctrinâ cum eis agatur, sive terribili disciplinâ. Ac per hoc diabolus princeps impiæ civitatis, adversùs peregrinantem in hoc mundo Civitatem Dei vasa propria commovendo, nihil ei nocere permittitur.

Libro Quæst. septemdecim in Matth. quæst. 11. *n.* 1...Hæretici non societate unius Ecclesiæ, vel unius fidei, sed societate solius nominis Christiani in hoc mundo permiscentur bonis... Inter Hæreticos et malos Catholicos hoc interest, quòd hæretici falsa credunt, illi autem vera credentes, non vivunt ita ut credunt.

Libro de Fide et Symbolo, n. 21. *c.* 10. Si autem ista fides congregationem societatemque hominum non teneat, in quâ fraterna charitas operetur, minùs fructuosa est. Credimus et sanctam Ecclesiam, utique Catholicam : nam et Hæretici et Schismatici congregationes suas Ecclesias vocant. Sed Hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant ; Schismatici autem discissionibus iniquis à fraternâ charitate dissiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec hæretici pertinent ad Ecclesiam Catholicam, quæ diligit Deum ; nec Schismatici, quoniam diligit proximum : et ideò peccatis proximi facile ignoscit, quia sibi precatur ignosci ab illo, qui nos reconciliavit sibi, delens omnia præterita, et ad vitam novam nos vocans.

nione, qui non habent Pastores legitimos Ecclesiæ pro legitimis Pastoribus, qui vivunt omninò extra eorum subjectionem. (I)

I. Quid intelligis per Apostatas ?

R. Eos intelligo, qui deserunt palàm et apertè et abjiciunt fidem Ecclesiæ Catholicæ, quam anteà professi fuerant.

I. Cur Hæretici, Schismatici, et Apostatæ alieni sunt à communione fidelium ?

R. Quia volunt unitatem Ecclesiæ rescindere, tùm subvertendo necessariam gregis erga Pastores subjectionem, tum dividendo fidem, quæ una est. Ideòque ipsi discedunt ab Ecclesiâ, quæ suâ nunquam potest unitate privari. (K)

§. 4. De Sanctitate Ecclesiæ.

I. Est-ne Ecclesia sancta ?

R. Est utique. Id patet ex verbis apertissimis Scripturæ sacræ. *Christus dilexit Ecclesiam*, inquit Apostolus, (*Ephes.* v. 25. 26. 27.) *et semetipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* *Vos*, inquit Petrus Apostolus ; (1. *Epist.* II. 9.) *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.*

I. De quâ Ecclesiâ verba isthæc intelligenda sunt ? De Ecclesiâ militante, an de triumphante ?

R. De utràque sanctitas hìc incipit : in cœlo perficitur. Nec triumphat in cœlis sancta Ecclesia, nisi quia sancta fuit in terris : in terris sanctificatur et mundatur, ut exhibeatur in cœlis gloriosa, non habens maculam aut rugam. (A)

(I) S. Aug. *Libro quæst. septemdecim in Matth. Quæst.* 11. *n.* 2. Solet etiam quæri, Schismatici quid ab Hæreticis distent, et hoc inveniri, quòd Schismaticos non fides diversa faciat, sedcommunionis dirupta societas... Nec tamen consequens est, ut omnis hæreticus, vel schismaticus corporaliter ab Ecclesiâ separetur. Si enim falsa de Deo credit, vel de aliquâ parte doctrinæ, quæ ad fidei pertinet ædificationem, ... hæreticus est, et foris est animo, quamvis corporaliter intùs videatur.... Item quicunque invident bonis, ita ut quærant occasiones excludendi eos, aut degradandi, vel crimina sua sic defendere parati sunt, si objecta vel prodita fuerint, ut etiam conventiculorum segregationes, vel Ecclesiæ perturbationes cogitent excitare ; jam schismatici sunt, et ab unitate corde discissi, etiam si non inventis occasionibus, aut occultatis factis suis sacramento Ecclesiæ corporali conversatione socientur.

Vide S. Aug. *Lib. de Fide et Symb. c.* 10. *suprà litt.* (H) *Si qui verò quæ de Schismate à Theologis dicuntur rescire penitiùs cupiunt, legant Illustrissimi* D. D. Tomeriarum Episcopi Instructiones de Schismate ; *et eruditi* D. Nicole *Libros, quorum unus inscribitur,* Calvinistæ de Schismate convicti, *aliter*, de Unitate Ecclesiæ.

(K) *Hæc suprà multis argumentis, testimoniisque probata sunt hocce 2. præsertim litt.* (H) *et* (I).

(A) Conference de M. l'Évêque de Meaux *avec* M. Claude, *pag.* 21. La sainte Société des Prédestinés n'en est pas exclue (de l'Église), à Dieu ne plaise ; ils en sont la plus noble partie : mais ils sont compris dans ce tout.... Il les faut donc regarder, non comme faisant un corps à part, mais comme faisant la plus belle et noble partie de cette Société exté-

I. In quo sancta est Ecclesia ?

R. In multis. 1. Sanctus est Christus caput ejus ; quin et fons est totius sanctitatis.

2. Doctrina Ecclesiæ sancta est et erit semper.

3. Sancta sunt plurima ex membris ejus.

4. Nullus extra Ecclesiam sanctus est. Extra Ecclesiam nulla salus.

I. Cur ais doctrinam Ecclesiæ esse sanctam ?

R. 1. Quia Ecclesia nihil docet tanquam ad fidem pertinens, quod non acceperit à Christo per Apostolos.

2. Doctrina Ecclesiæ sanctificat animas.

I. Quâ ratione cognoscere possumus et certò intelligere accepisse Ecclesiam à Christo per Apostolos quidquid docet tanquam pertinens ad fidem ?

R. Id viâ duplici cognosci et intelligi potest : quarum prima pertinet ad solos eruditos ; altera nullius quantumvis idiotæ captum superat.

I. Dic, quæso, primùm quæ sit prima ratio id cognoscendi ?

R. Via examinis : si nimirùm singula Ecclesiæ dogmata ad lanceam et trutinam Scripturæ et Traditionis expendantur. Hâc enim viâ duplici doctrina Apostolorum ad nos usque pervenit.

In serie hujus Operis (*Parte* 2. *Sect.* 2. *Cap.* 2. §. 3. *et* 4.) demonstrabimus quæ sit auctoritas Scripturæ et Traditionis in rebus fidei ; simul et Traditione certissimè dijudicari, nùm doctrina Ecclesiæ ab Apostolis manaverit, necne.

Et in toto hocce Opere demonstramus Scripturâ et Traditione ad nos reverâ ab Apostolis manasse quidquid Ecclesia docet tanquam fidei dogma. Id de singulis dogmatibus, ubi se dat occasio, demonstramus.

I. Cur ais viam hanc et methodum esse eruditorum propriam ?

R. Id ratio, id experientia liquidò demonstrant. Quomodò idiotæ et litterarum rudes possent singula dogmata ad Scripturæ et Traditionis lanceam ponderare ? Qui litteras nescit potest-ne scrutari Scripturas et Traditionem omnium seculorum ? Qui singula dogmata singulorum fidelium examini subjicienda esse somniârunt, næ illi, ut ipsa experientia docuit, tentârunt rem impossibilem, et non

rieure, que l'Apôtre nomme Eglise. Jésus-Christ l'aime sans doute : .... Cette Eglise est glorieuse, parce qu'elle glorifie Dieu publiquement, parce qu'elle annonce par toute la terre la gloire de l'Evangile et de la Croix de Jésus-Christ.

Cette Eglise est sainte, parce qu'elle enseigne toujours constamment et sans varier la saine doctrine, qui enfante continuellement des Saints dans son unité. Cette Eglise *n'a ni tache, ni ride*, parce qu'elle n'a ni erreur, ni aucune mauvaise maxime, et encore parce qu'elle instruit et contient dans son sein les Elus de Dieu, qui, quoique pécheurs sur la terre, trouvent dans sa communion des moyens extérieurs de se purifier, en sorte qu'ils viendront un jour en un état très-parfait devant Jésus-Christ.

Scripturarum solùm auctoritati, sed et ipsi rectæ rationis lumini contrariam, et ab omnibus omninò, qui hactenùs sanctitate et eruditione maximè floruerunt, planè reprobatam. Id Deo dante demonstrabimus, (*Parte 2. Sect. 2. Cap. 2. §. 2.*) ubi de necessariâ auctoritate Ecclesiæ in rebus fidei agemus.

I. Quânam ergo alterâ viâ disgnosci potest, quidquid docet Ecclesia, id ab Apostolis traditum ad nos usque manasse?

R. Consideranda sunt quæ Christus promisit Ecclesiæ. Promissiones illæ certissimæ sunt, ipsis Heterodoxis non dissentientibus : et verbis apertissimis evidentissimisque expressæ sunt, ut cuilibet legenti patet. At ex illis constat et constabit semper, fieri non posse ut Ecclesia unquam deficiat, vel erret, vel non perseveret ad finem usque seculorum in doctrinâ Christo traditâ et ab Apostolis transmissâ ad omnes gentes.

I. Quid ergo Christus promisit Ecclesiæ?

R. 1. Hanc esse continuo nec unquam interrupto Spiritùs sancti afflatu regendam et vivificandam.

2. Potestates inferni nunquam adversùs Ecclesiam prævalituras ; sed Christum cum eâ fore omnibus diebus ne cadat in errorem.

Sed verba ipsa Christi subjicienda sunt, quæ nec potuerunt esse clariora nec significantiora.

Ego rogabo Patrem, inquit (*Joan.* XVI. 16. 17.) *et alium Paracletum dabit vobis*, UT MANEAT VOBISCUM IN ÆTERNUM, *Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum : vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit....*

(*Id.* XVI. 16.) *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Si Spiritus sanctus mansurus est cum Ecclesiâ in æternum, et docturus est eam omnem veritatem : ergo ab eâ procul erit in æternum omnis error, omnis falsitas.

Tu es Petrus, inquit Christus (*Matth.* XVI. 18.) *et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam : et portæ*, id est, potestates, *inferi non prævalebunt adversùs eam.*

(*Id.* XXVIII. 18. 19. 20.) *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti : docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.*

Singula hæc Christi verba expendenda sunt, singula enim vim habent eximiam.

Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam : habes hîc Petrum fundamentum Ecclesiæ, centrum unitatis. Sed de hoc alibi posteà fusiùs.

Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Sive per

portas inferi intelligantur portæ mortis, sive intelligantur omnis dæmoniorum potentia, omnes insultus diaboli: ex his verbis duo manifestissimè colliguntur: 1. Ecclesiam Christi nunquam esse perituram, sed in æternum esse permansuram: 2. Ecclesiam nunquam esse à dæmone vincendam, nunquam ullâ Satanæ vi dejiciendam; sed fore semper adversùs omnes impiorum et dæmoniorum insidias et insultus, adversùs omnium Hæreticorum fraudes et subterfugia inconcussam et firmam in fide Christi. Sanè si periisset Ecclesia, si lapsa esset in errorem, jam portæ inferi prævaluissent adversùs eam.

Jam alia Christi verba expendamus. *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas in cœlo et in terrâ.* Ad quid illa verba? Nisi ut Apostoli intelligant, ex omnipotentiâ suâ manare quod illis mox promittit, se illis ad finem usque mundi affuturum. Si ad finem usque seculi aderit cum Ecclesiâ, ergo nunquam discedet ab eâ. Omnipotenti Deo quis resistit? Ergo Ego, *cui omnis potestas data est in cœlo et in terrâ*, Ego impero: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, etc.* Confidenter ite, confidenter docete, confidenter baptizate omnes gentes. EGO VOBISCUM SUM; Euntibus, docentibus, baptizantibus, cætera sacramenta ministrantibus adero; Per vos ipse docebo, per vos baptizabo. OMNIBUS DIEBUS ne timeatis; sine ullâ intermissione adero. Nulla dies, punctum temporis nullum erit, quo dici non possit, *vobiscum sum*, USQUE AD CONSUMMATIONEM SECULI: Non quandiù vixeritis solùm, ô Apostoli, sed quandiù mundus stabit.

Itaque verba illa Christi non ad solos Apostolos pertinent, sed et ad eorum in ministerio successores usque ad consummationem seculorum. Vi illius promissionis erit Christus ad consummationem usque seculi cum Ecclesiâ docente, baptizante, cætera Sacramenta ministrante. Ab hâc Ecclesiâ Christus non recedet unquam, adversùs hanc portæ inferi non prævalebunt. Id enim promisit is, cui omnis potestas data est in cœlo et in terrâ, et qui non potest non stare promissis. (B)

(B.) S. CYPRIANUS *Lib. de Unit. Eccles.* (*Ad errorem deflectitur*) dùm ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cœlestis doctrina servatur. Quæ si quis consideret et examinet, tractatu longo atque argumento opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: *Ego tibi dico*, inquit (*Matth.* XVI. 18.) *quia tu es Petrus, et super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam.*

S. AUG. *Serm.* 2. *in Ps.* CI. *v.* 23. *n.* 8. Ecclesiæ unitas, ... illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit: hoc dicunt qui in illâ non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illâ non es. Vide ne tu ideò non sis: nam illa erit, etsi tu non sis. Hanc vocem abominabilem, detestabilem, præsumptionis et falsitatis plenam, nullâ veritate suffultam, nullâ sapientiâ illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam, prævidit Spiritus Dei. Impletæ sunt Scripturæ, crediderunt omnes gentes, sed apostatavit et periit Ecclesia de omnibus gentibus. Quid est hoc, *Exiguitatem dierum*

I. Ex his Christi promissis sequitur-ne doctrinam Ecclesiæ eamdem nunc esse, quam Apostoli tradiderunt, nec ullo potuisse errore vitiari ?

R. Sequitur omninò. Si enim Spiritus veritatis mansurus est cum Ecclesiâ in æternum, si docturus est omnem veritatem, si portæ inferi non prævalebunt adversùs Ecclesiam, si Christus ad finem usque seculorum aderit Eccle-

meorum annuntia mihi? (*Ps.* CI. 24.) Et annuntiavit, nec vacavit ista vox. Quis annuntiavit mihi, nisi ipsa via? Quomodò annuntiavit? *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi* (*Matth.* XXVIII. 20.)

N. 9. Audite quid dicat : Quæ Ecclesia ? Quæ congregavit Populos in unum. Quæ Ecclesia ? Quæ congregavit regna, ut serviant Domino. Mota vocibus vestris et falsis opinionibus vestris, quærit à Deo ut exiguitatem dierum suorum annuntiet sibi, et invenit Dominum dixisse, Ecce ego vobiscum sum, usque in consummationem seculi. Hîc vos dicitis, De nobis dixit, nos sumus, nos erimus usque in consummationem seculi. Interrogatur ipse Christus, cui dictum est : *Exiguitatem dierum meorum annuntia mihi : Et prædicabitur*, inquit, (*Matth.* XXIV. 24.) *hoc Evangelium in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus : et tunc veniet finis.* Quid est quod dicebas : Hoc certè fuit et periit ? Dominum audi annuntiantem exiguitatem dierum meorum. Prædicabitur, inquit, hoc Evangelium. Ubi ? In toto orbe terrarum. Quibus ? In testimonium omnibus gentibus. Quid posteà ? Et tunc veniet finis.

N. 10. Non ergo blandiantur sibi contra me hæretici, quia dixi, *exiguitatem dierum meorum*, quasi non permansuram in finem seculi..... Perfice mihi dies exiguos, ut dones mihi posteà dies æternos. Quare ergo de exiguitate dierum requisisti ? Quare ? vis audire ? *In generatione generationum anni tui.* (*Ps.* CI. 25.) Ideò ergo de diebus exiguis quæsivi, quia licèt usque in finem seculi durent mecum isti dies, exigui sunt in comparatione dierum tuorum : *id est, dierum Dei.*

Mre. JACQUES-BENIGNE BOSSUET Evêque de Meaux, *Instruction Pastorale sur les promesses de l'Église, l'an* 1700. *n.* 2. *pag.* 3. L'Eglise sera sur la terre *établie sur le fondement des Apôtres et des Prophètes, et sur la pierre angulaire qui est Jésus-Christ.* (*Ephes.* II. 20.) Les vents soufleront, les tempêtes ne cesseront de s'élever, l'enfer frémira par toutes sortes de tentations, de persécutions, d'impiétés, d'hérésies, sans qu'elle puisse être ebranlée, ni la succession visible interrompue d'un moment : c'est ce qu'on verra toujours de ses yeux, et un objet si merveilleux ne manquera jamais aux fidèles.

N. 4. (*pag.* 10.) *Toute puissance m'est donnée*, etc. (*Matth.* XXVIII. 18.) Ces paroles n'ont pas besoin de commentaire, ce qu'il dit est grand et incroyable ; qu'une société d'hommes doive avoir une immuable durée, et qu'il y ait sous le Soleil quelque chose qni ne change pas : mais il donne aussi à sa parole cet immuable fondement : *Toute Puissance m'est donnée dans le Ciel et sur la terre :* Allez donc sur cette assurance où je vous envoie aujourd'hui, et portez-y par l'autorité que je vous en donne le témoignage de mes vérités ; vous ne demeurerez pas sans fruit : vous enseignerez, vous baptiserez, vous établirez des Eglises par tout l'Univers...

Pag. 13. *Je suis avec vous ;* (*Id. Ibid.* 20.) c'est une façon de parler consacrée en cent endroits de l'Ecriture, pour marquer une protection assurée et invincible de Dieu. (*Judic.* VI. 12. *et* 13.) *Le Seigneur est avec vous, ô le plus courageux de tous les hommes ? Si le Seigneur est avec nous*, reprit Gédéon, *d'où vient que nous nous voyons accablés de tant de maux...* (*Id. Ibid.* 16.) *Je serai avec vous*, lui dit le Seigneur ; *et vous détruirez Madian, comme si ce n'était qu'un seul homme :* Ce mot, *je suis avec vous*, tient lieu de tout, et il n'y a ni secours, ni puissance qu'il ne contienne. *Quand je marcherais*, disait David, (*Ps.* XVII. 4.) *au milieu de l'ombre de la mort, je ne craindrais aucun mal, parce que vous êtes avec moi.* Cent passages de cette sorte dans toutes les pages de l'Ecriture, nous marquent cette expression comme la plus claire, pour exclure tout sujet de crainte. (*Isai.* XLIII. 2.) *Quand vous passerez par les eaux, je serai avec*

siæ docenti et sacramenta ministranti : ergo fieri non potest, ut Ecclesia non doceat veritatem, ut non ministret sanctè Sacramenta, ut ullo unquam in fide errore vitietur; adeòque docet Ecclesia et docebit semper quod à Christo per Apostolos accepit. Si res aliter se haberet, non servaret Christus promissa : quod sine Christi ipsius injuriâ et contumeliâ dici nequit.

I. Id si ita est, hinc sequi videtur non posse quemquam in Ecclesiâ errores docendo spargere, vel Sacramenta perperàm ministrare ?

R. Nego id sequi. Promissiones enim illæ, corpus Ecclesiæ, non singula membra respiciunt. Fuerunt et erunt semper in Ecclesiâ non pauci, qui falsa dogmata spargere et corruptos mores in Ecclesiam invehere, modis omnibus tentaverunt : sed ii nunquam adversùs Ecclesiam prævaluerunt, nec prævalebunt unquam : repressa semper fuit eorum audacia. Errare possunt singuli ministri sive in doctrinæ traditione, sive in Sacramentorum administratione; sed corpus Ecclesiæ errare nequit sive in fidei definitionibus, sive in traditis regulis ad mores sanctè componendos, ad Sacramenta sanctè ministranda. Nam ipse Spiritus Christi, Spiritus veritatis, Christus ipse, veritas ipsa per Ecclesiam loquitur, ipse adest Ecclesiæ docenti et fidei et morum regulas tradenti, ut promisit ipse. Hinc Ecclesiam vocat Apostolus (1. *Tim.* III. 15.) *columnam et firmamentum veritatis.* Ergo Ecclesia docebit semper veritatem, et Sacramenta sanctè semper administrabit; licèt possint singula Ecclesiæ membra à vero rectoque deficere. (C)

vous, et les fleuves ne vous couvriront pas : vous marcherez au milieu des feux ardens, sans que leur ardeur vous blesse : nul complot, nul accablement, nulle persécution ne pourra vous nuire : défiez hardiment tous vos ennemis, dites-leur avec le Prophète : *Tenez conseil, et il sera dissipé : parlez ensemble* pour conspirer notre perte, *il n'en sera rien, parce que le Seigneur est avec nous.* Mais qu'est-ce encore, *avec vous?* Dans la promesse de Jésus-Christ, avec vous *enseignans et baptisans ?* Ceux qui veulent être *enseignés de Dieu*, n'auront qu'à vous croire, comme ceux, qui voudront être baptisés, n'auront qu'à s'adresser à vous.

N. 6. Mais peut-être que cette promesse (*Matth.* XXVIII. 20.) *je suis avec vous*, souffrira de l'interruption ? Non : Jésus-Christ n'oublie rien : *je suis avec vous tous les jours.* Quelle discontinuation y a-t-il à craindre avec des paroles si claires? Enfin de peur qu'on ne croie qu'un secours si présent et si efficace ne soit promis que pour un temps : *Je suis*, dit-il, *avec vous tous les jours jusqu'à la fin des siècles :* ce n'est pas seulement avec ceux à qui je parlais alors, que je dois être, c'est-à-dire, avec mes Apôtres; le cours de leur vie est borné, mais aussi ma promesse va plus loin, et je les vois dans leurs Successeurs. C'est dans leurs Successeurs que je leur ai dit, *je suis avec vous : Des enfans naîtront au lieu des pères : Pro patribus nati sunt filii :* (*Ps.* XLIV. 17.) ils laisseront après eux des héritiers : ils ne cesseront de se substituer des Successeurs les uns aux autres, et cette race ne finira jamais.

Has illustrissimi Episcopi de Promissionibus Christi ad Ecclesiam Instructiones ad populum suum integras perlegere operæ pretium est.

(C) S. AUG. *De Symbolo, Sermone ad Catechumenos, c. 6. n. 13....* Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica contra omnes hæreses pugnans : pugnare potest, expugnari tamen non po-

I. Cur ais hanc viam et methodum cognoscendi sanctitatem et veritatem doctrinæ, quæ ab Ecclesiâ traditur, ex Christi promissis petitam, nullius captum superare?

R. Quia non est hæc investigatio difficilis. Perspicua sunt, nec cujusquam captum superant verba, quibus supradictæ promissiones continentur. Verba hæc à Christo fuisse prolata nemo vel ex Heterodoxis negat. Ad hæc verba tenenda et capienda nec studio nec ratiocinio opus est. At ubi de veritate et certitudine promissionis constat, hinc certissimè colligitur vel à rudioribus sine ullo negotio, sanctitas et perpetuitas et falsi nescia auctoritas Ecclesiæ. Quisquis voluerit cavillationibus Christi promissionem tam perspicuam obscurare, næ is inter eos reputandus est qui, ut ait Apostolus, (*Tit.* III. 11.) sunt *proprio judicio condemnati.* (D)

I. Cur ais Doctrinâ Ecclesiæ sanctificari animas?

R. Quia Doctrina Ecclesiæ est ipsa Christi Doctrina, nec potest alia esse, ut jam demonstravimus. At nemo sanctificatur nisi qui doctrinæ huic fide et opere adhæserit. *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.* (*Joan.* XVII. 17.) Verba sunt Christi in suâ ad Patrem oratione. Et in Psalmo (XVIII. 8. 9.) hæc leguntur. *Lex Domini immaculata convertens animas : testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis. Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda ; Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* (E)

test. Hæreses omnes de illâ exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa : ipsa autem manet in radice suâ, in vite suâ, in charitate suâ. Portæ inferorum non vincent eam.

(D) TIT. III. 10. Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita : 11. Sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus.

(E) S. AUG. *Lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ, c. 30. n. 62.* Meritò Ecclesia Catholica mater Christianorum verissima, non solùm ipsum Deum, cujus adeptio vita est beatissima, purissimè atque castissimè colendum prædicans, nullam nobis adorandam creaturam inducens, cui servire jubeamur; et ab illâ incorruptâ et inviolabili æternitate, cui soli homo subjiciendus est, cui soli rationalis anima cohærendo non misera est, excludens omne quod factum est, quod obnoxium commutationi, quod subditum tempori; neque confundens, quod æternitas, quod veritas, quod denique pax ipsa distinguit; nec rursùm separans quod majestas una conjungit : sed etiam proximi dilectionem atque charitatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus propeccatis suis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat.

N. 63. Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quietè senes, prout cujusque non corporis tantùm, sed et animi ætas est, exerces ac doces. Tu fœminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, castâ et fideli obedientiâ subjicis. Tu viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus præficis. Tu parentibus filios liberâ quâdam servitute subjungis : parentes filiis piâ dominatione præponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quàm sanguinis nectis. Tu omnem generis propinquitatem et affinitatis necessitudinem, servatis naturæ voluntatisque nexibus, mutuâ charitate constringis. Tu dominis servos, non tam conditionis necessitate, quàm officii delectatione doces adhærere. Tu dominos servis, summi Dei communis Domini consideratione placabiles, ad consulendum quàm coercendum propensiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus, et prorsùs homines pri-

I. Cur ais neminem extra Ecclesiam sanctum esse ?

R. Quia extra Ecclesiam nulla salus. Perit quisquis moritur extra Ecclesiam ; quemadmodùm aquis diluvii submersi periêre quicunque mortui sunt extra Arcam. (F)

morum parentum recordatione non societate tantùm, sed quàdam etiam fraternitate conjungis. Doces Reges prospicere populis, mones populos se subdere Regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus supplicium, sedulò doces ; ostendens quemadmodùm et non omnibus omnia, et omnibus charitas, et nulli debeatur injuria.

N. 64. Meritò apud te divina præcepta latè diffusèque servantur. Meritò apud te benè intelligitur, quàm sit gravius cognitâ quàm incognitâ lege peccare.... Meritò apud te visum est, quàm sit sub lege operatio vana, cùm libido animum vastat, et cohibetur pœnæ metu, non amore virtutis obruitur. Merito tibi tam multi hospitales, multi officiosi, multi misericordes, multi docti, multi casti, multi sancti, multi usque adeò Dei amore flagrantes, ut eos in summâ continentiâ, atque mundi hujus incredibili contemptu etiam solitudo delectet.

Vide suprà S. CYPRIAN. *de Unit. Ecclesiæ hujusce Cap.* §. 2. *litt.* (A)

(F) S. CYPRIAN. *Lib. de Unit. Eccles. pag.* 78. *Edit. Oxon.* Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est et pudica : unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo servat, hæc filios regno, quos generavit, assignat. Quisquis ab Ecclesiâ segregatus adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur : nec pervenit ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi : alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam qui extra arcam Noë fuit ; et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadet. Monet Dominus et dicit : (*Matth.* XII. 30.) *Qui non est mecum, adversùs me est : et qui non mecum colligit, spargit.* Qui pacem Christi et concordiam rumpit, adversùs Christum facit. Qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit... Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet ; Patris et Filii fidem non tenet, et veritatem non tenet ad salutem. Hoc unitatis sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis ostenditur, quando in Evangelio tunica Domini Jesu Christi non dividitur omninò, nec scinditur...et incorrupta atque individua vestis possidetur :... possidere non potest indumentum Christi, qui scindit et dividit Ecclesiam Christi : Christi populus non potest scindi, tunica ejus per totum textilis et cohærens, divisa à possidentibus non est : individua, copulata, connexa, ostendit populi nostri, qui Christum induimus, concordiam cohærentem ; sacramento vestis et signo declaravit Ecclesiæ unitatem. Quis ergo sic est sceleratus et perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus ; ut aut credat scindi posse aut audeat scindere unitatem Dei ? Vestem Domini ? Ecclesiam Christi ? Monet ipse in Evangelio suo et docet dicens : .... (*Joan.* X. 16.) Et esse posse uno in loco aliquis existimat aut multos pastores aut multos greges. Apostolus item Paulus hanc eamdem nobis insinuans unitatem, obsecrat et hortatur dicens : *Obsecro*, inquit, (1. *Cor.* I. 10.) *vos fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata : sitis autem compositi in eodem sensu et in eâdem sententiâ.* Et iterùm dicit : (*Eph.* IV. 2. 3.) Sustinentes invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem spiritûs in conjunctione pacis. Stare tu et vivere putas posse de Ecclesiâ recedentem ? Sedes sibi alias et diversa domicilia condentem ? Cùm dictum sit ad Raab, (*Jos.* II. 18. *et* 19.) in qua præformabatur Ecclesia : Patrem tuum et matrem tuam, et fratres tuos, et totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam, et erit, omnis qui exierit ostium domûs tuæ foràs, reus sibi erit. Item sacramentum Paschæ nihil aliud in Exodi lege continet, quàm ut agnus, qui in figurâ Christi occiditur, in domo unâ edatur.... Caro Christi et sanctum Domini ejici foràs non potest, nec alia ulla credentibus, præter unam Ecclesiam, domus est. Hanc domum, hoc unanimitatis hospitium designat et denuntiat Spiritus sanctus in Psalmo (LXVII. 7.) dicens : Deus qui inhabitare

Hujus responsionis veritas ut planiùs innotescat, paulò fusiùs inquirendum est, quid sit esse extra Ecclesiam.

Extra Ecclesiam sunt, 1. qui nunquam fuerunt membra Ecclesiæ : 2. qui ultrò segregaverunt se à corpore Ecclesiæ : 3. qui expulsi sunt ab Ecclesiâ. At facillimum est demonstrare triplex hoc hominum genus esse alienum à salute.

1. Nonnisi per baptismum, ut jam §. 2. *hujusce Cap.* diximus, patet aditus ad Ecclesiam ; nondùm sunt membra Ecclesiæ quicunque nondùm sunt aquis baptismi renati. *At nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, ut ait Christus ipse. (*Joan.* III. 5.) Itaque sunt alieni à salute quicunque nondùm sunt membra Ecclesiæ.

2. Quicunque ultrò segregant semetipsos à corpore Ecclesiæ, ii vel sunt hæretici vel schismatici, vel apostatæ. At manifestè colligitur ex Apostolo hujusmodi homines esse proprio judicio condemnatos. *Hæreticum hominem*, inquit Apostolus, (*Tit.* III. 10. 11.) *post unam et secundam correptionem devita : sciens quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus.*

Hæc Apostoli verba videntur dicta de solo hæretico homine, in hæresi obstinato ; sed omnibus quoque schismaticis et apostatis hæc convenire per se patet. Siquidem ideò vult Apostolus devitari hominem hæreticum, quia is, obstinatus in hæresi et spernens correptiones Ecclesiæ, adversùs Ecclesiam insurgit et fert judicium, eoque ipso judicio semetipsum condemnat. Cùm enim Christus solemniter promiserit se nunquam defuturum Ecclesiæ, nec unquam recessurum ab eâ Spiritum veritatis (G), qui Ecclesiam

facit unanimes in domo. In domo Dei, in Ecclesiâ Christi unanimes habitant, concordes et simplices perseverant.

S. HIERON. *Epist.* 57. *ad Damas. non longè à principio.* Ego nullum primum, nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior : super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio, quicunque extra hanc domum comederit, profanus est. Si quis in arcâ Noë non fuerit, peribit regnante diluvio.

Epist. 16. *ad Damas. Pap. aliàs* 58. *tom.* 4. *part.* 2. *pag.* 22. Hinc enim præsidiis fulta mundi Ariana rabies fremit. Hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat. Monachorum circa manentium antiqua in me surgit auctoritas. Ego interim clamito, Si quis cathedræ Petri jungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt, possem credere, si hoc unus assereret. Nunc aut duo mentiuntur, aut omnes..... Idcirco obtestor beatitudinem tuam, ... ut mihi litteris tuis, apud quem in Syriâ debeam communicare significes.

(G) MATTH. XXVIII. 18. Et accedens Jesus locutus est eis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terrâ. 19. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti ; 20. Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis : Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.

JOAN. XIV. 16. Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, 17. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum ; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit.

erroris accusat, is Christum accusat violatæ promissionis: minùs itaque insurgit adversùs Ecclesiam quàm adversùs Christum ipsum Ecclesiæ caput, Pontificem, et ducem. Atqui seipsum proprio judicio condemnat quisquis Christum audet condemnare. Atque hoc quidem est Apostoli ratiocinium adversùs hæreticos.

Quod quidem et adversùs Schismaticos et Apostatas urgeri nihil vetat. Nam ipsi sicut et Hæretici *segregantes semetipsos* ab Ecclesiâ, hâc ipsâ suâ segregatione condemnant Ecclesiam : ergo sunt proprio judicio condemnati. Ergo alieni sunt à viâ salutis. De his ita loquitur Judas Apostolus : (*Judæ.* 19. 22.) *Hi sunt* QUI SEGREGANT SEMETIPSOS, *animales, spiritum non habentes. Hos arguite judicatos.* (H)

XVI. 13. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem ; non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.

(H) *Instruction pastorale par* Messire JACQUES BENIGNE BOSSUET Evêque de Meaux, *sur les promesses de l'Eglise n.* 9. *p.* 20. De là suivent ces deux vérités qui sont deux dogmes certains de notre foi : l'une qu'il ne faut pas craindre que la succession des Apôtres tant que Jésus-Christ sera avec elle (et il y sera toujours sans la moindre interruption, comme on a vu) enseigne jamais l'erreur, ou perde les Sacremens : car il faut juger des autres par le Baptême qui en est l'entrée et le fondement. La seconde, qu'il n'est permis en aucun instant, de se retirer d'avec cette succession Apostolique ; puisque ce serait se separer de Jésus-Christ, qui nous assure qu'il est toujours avec elle. Voilà deux Dogmes, et deux fondemens très-certains de notre foi ; et qu'aussi le Fils de Dieu nous a proposés en termes exprès, et par des paroles qui ne pouvaient être plus claires. Il est le seul qui a construit sur la terre un édifice immortel, contre lequel aussi il promet ailleurs (*Matth.* XVI. 18.) que l'enfer ne prévaudra pas : et en assurant à ses Apôtres (*ib.* XXVIII. 20.) d'être *tous les jours* avec leurs successeurs comme avec eux-mêmes, *jusqu'à la fin du monde*, il ne laisse à ceux qui seront tentés de sortir de cette suite sacrée aucun endroit où ils puissent trouver un légitime commencement de leur secte, ni placer une interruption, quand elle ne serait que d'un jour ou d'un moment.

N. 10. De là est venu aux Hérétiques et aux Schismatiques, jusqu'à la fin du monde, ce mauvais et malheureux caractère marqué par saint Jude : *Ce sont ceux qui se séparent eux-mêmes* : et afin de réciter le passage entier : *Souvenez-vous*, dit-il, (*v.* 17. 18. 19.) *mes bien-aimés, de ce qui a été prédit par les Apôtres de Notre-Seigneur-Jésus-Christ, qui vous disoient qu'aux derniers temps* (dans le temps de la loi Evangélique) *il y aurait des imposteurs qui suivraient leurs passions pleines d'impiétés : ce sont ceux qui se séparent eux-mêmes ; gens livrés aux sens, et destitués de l'Esprit de Dieu.* Remarquez ici que saint Jude, un des Apôtres, cite à la fois tous les Apôtres ses collègues, et les compagnons de son ministère, comme établissant tous d'un commun accord, le caractère de tous les trompeurs qui devoient paraître jusqu'à la fin des siècles. Ce caractère est de les montrer comme *ceux qui se séparent eux-mêmes.* Mais de qui se sépareront-ils, sinon d'un corps déjà établi, et dont l'unité est inviolable ; puisqu'on donne pour marque sensible de leur imposture, la hardiesse de s'en séparer ? Ils seront éternellement connus par leur désertion, et il est clair, dit saint Jude, que c'est par ce caractère que tous les Apôtres les ont voulu désigner. Comme ils ont ouï tous ensemble Jésus-Christ qui leur promettait en commun, *d'être tous les jours avec eux jusqu'à la consommation des siècles ;* (*Matth.* XXVIII. 20.) ils ont aussi jugé tous ensemble, que se séparer de cette chaine, c'était se séparer d'avec Jésus-Christ ; pendant qu'il leur promettait de son côté de ne les quitter jamais, ni eux ni la suite de leurs successeurs.

N. 11. De là suit avec la même évidence un autre caractère marqué par saint Paul, (*Tit.* III. 11.) de *l'homme hérétique : c'est qu'il se condamne lui-*

5. Nec minùs certum est extra viam salutis esse excommunicatos. Neminem enim excommunicat Ecclesia nisi peccatorem, et adversùs Ecclesiam rebellem et obstinatum; atqui in Christum ipsum rebelles sunt qui Pastores Ecclesiæ spernunt, juxta illud Christi: (*Luc.* x. 16.) *Qui vos spernit, me spernit. Et* qui *Ecclesiam non audiunt* debent esse nobis *sicut Ethnici et Publicani;* quos certum est extra viam salutis esse. (1) Tandem *tradere Satanæ* ait Apostolus

même par son propre jugement : proprio judicio condemnatus : puisque dès lors qu'il paroît en tête, comme le premier de sa secte, sans pouvoir nommer son prédécesseur dans le temps qu'il commence à s'élever, il se condamne en effet lui-même comme novateur manifeste, et il porte sa condamnation sur son front.

N. 12. Or cela arrive en deux façons, qui ont paru l'une et l'autre dans le dernier schisme. Premièrement lorsque les Evêques qui succédaient aux Apôtres, sans quitter leurs siéges, renoncent à la foi de ceux qui les y ont établis, et qui les ont consacrés : secondement, et d'une manière encore plus sensible, lorsque les peuples se font un nouvel ordre de Pasteurs, qui viennent d'eux-mêmes; et qu'en s'ingérant dans le ministère sacré sans pouvoir nommer leurs prédécesseurs, ils se voient contraints, pour sauver leur entreprise, de se dire *suscités de Dieu d'une façon extraordinaire, pour dresser de nouveau l'Eglise qui étoit en ruine et désolation.* Que veulent-ils dire par cette *désolation* et cette *ruine?* Quoi, qu'il y avait en général de la corruption et du déréglement dans les mœurs de ceux qui conduisaient le troupeau? Ce n'est pas de quoi il s'agit, puisque cette *désolation* et cette *ruine* qui obligeait *à dresser de nouveau l'Eglise*, regardait la foi : on supposait donc que la foi n'était plus avec ceux qui étaient en place, ni dans le peuple qui leur demeurait attaché, puisqu'il se fallait séparer de tout ce corps : ou qu'étant encore avec eux, selon sa promesse, on pouvait néanmoins s'en détacher, et se faire de nouveaux Pasteurs, qui dans l'ordre de la succession ne tinssent rien des Apôtres : ou qu'enfin on peut être avec Jésus-Christ, sans être avec ceux avec qui il a promis d'être toujours.

N. 13. Ceux-là donc manifestement font une plaie à l'Eglise et une rupture dans l'unité; c'est ce qu'on a vu arriver en Allemagne et en France, au commencement du siècle passé, dans le schisme de Luther et de Calvin. Mais ceux qui environ dans le même temps ont rompu dans d'autres Royaumes en demeurant dans les siéges où ils se trouvaient établis Evêques, ne sont pas plus demeurés unis avec la succession apostolique : puisque tout d'un coup ils ont renoncé à la doctrine de ceux qui les ont consacrés, et qu'ils ont appris à leurs peuples à désavouer pareillement la foi de ceux qui leur avaient donné le Baptême. Car il faut ici remarquer que la dissention dont il s'agit ne regardait pas des choses indifférentes. Les Réformateurs prétendus ne reprochaient rien moins à l'Eglise et à leurs consécrateurs, qu'un culte idolâtre, un sacrifice profane et sacrilége, un oubli de la grâce et de la justification chrétienne, et cent autres qui regardent visiblement les fondemens de la foi et de la substance du nom chrétien. Que leur servait donc de garder leurs siéges, si publiquement et par expresse déclaration ils cessaient de persister dans la foi qu'on y professait avant eux, et qu'ils professaient si bien eux-mêmes lorsqu'on les a installés et consacrés, que leur changement aux yeux du soleil, et par un fait positif est demeuré pour constant? Il n'est pas besoin de remonter plus haut : dès ce moment la chaîne est rompue; le caractère de séparation est ineffaçable : il n'y a qu'à se souvenir en quelle foi on était lorsqu'ils sont entrés dans leurs siéges, et dans quelle foi ils étaient eux-mêmes.

Vide eadem ferè argumenta, sed fusiùs deducta ab eodem Doctissimo DD. BOSSUET *Meldensium Episcopo in suâ Collatione cum* D. CLAUDIO *Ecclesiæ Carentoniensis Ministro.*

(1) MATTH. XVIII. 17. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.

(1. *Cor.* V. 5.) pro eo quòd nos dicimus excommunicare. (K) Quanquam non desunt qui asserant hoc verbo uti Apostolum adversùs Incestuosum Corinthium, ut significet obsessionem corporalem, quæ annexa fuerat excommunicationi illius hominis; quod innuere videntur verba sequentia Apostoli, *In interitum carnis:* Aliam certè interpretationem affert S. Augustinus. (L) Quidquid sit, hæc omnia planè demonstrant excommunicatos sicut et Hæreticos et Schismaticos et Apostatas extra viam salutis esse; tandemque posse neminem extra Ecclesiam salvari. Quod erat demonstrandum. (M)

I. Sunt-ne sancta omnia et singula Ecclesiæ membra?

R. Omnia ad sanctitatem vocata sunt, sed non omnia sancta sunt. *Multi vocati*, inquit Christus, (*Matth.* XX. 16.) *pauci verò electi.* Multi corruptione vitæ sanctitatem suæ vocationis polluunt. Sunt in Ecclesiâ militante frumenta et paleæ, (N)

(K) 1. COR. V. 5. Judicavi.... tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.

1. TIMOTH. I. 20. Ex quibus est Hymenæus, et Alexander: quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.

(L) S. AUG. *Lib.* 3. *contra Epist. Parmeniani, cap.* 1. *n.* 3.... Tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. (1. *Cor.* V. 5.) Quid ergo agebat Apostolus, nisi ut per interitum carnis saluti spiritali consuleret, ut sive aliquâ pœnâ vel morte corporali, sicut Ananias et uxor ejus ante pedes Apostoli Petri ceciderunt, sive per pœnitentiam, quoniam Satanæ traditus erat, interimeret in se sceleratam carnis concupiscentiam? Quia ipse item dicit, (*Coloss.* III. 5.) *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram:* inter quæ et fornicationem commemorat. Et iterùm: (*Rom.* VIII. 13.) *Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Non tamen ab eo fraternam separat charitatem, quem de fraternâ congregatione præcipit separari. Hoc enim apertiùs (2. ad Thessalonicens. (III. 14. 15.) dicit, Si quis autem non obaudit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, et non commisceamini cum illo, ut erubescat: et non ut inimicum eum æstimetis, sed corripite ut fratrem.

(M) S. CYPRIANUS *de Unitate Ecclesiæ, initio. Vide suprà litt.* (F) *hocce* §.

S. AUG. *Epist. ad Catholicos contra Donatistas, vulgò de Unitate Ecclesiæ, c.* 2. *n.* 2. Utique manifestum est, eum, qui non est in membris Christi, Christianam salutem habere non posse. Membra verò Christi per unitatis charitatem sibi copulantur, et per eamdem capiti suo cohærent, quod est Christus Jesus.

Lib. 4. *de baptismo contra Donatistas, c.* 16. *n.* 23. *Vide suprà hujus capitis* §. 3. *litt.* (H)

Serm. ad Cæsareens. Eccles. plebem Emerito præsente habit. tom. 9. *p.* 226. *n.* 6. Extra Ecclesiam Catholicam totum potest præter salutem:.... nusquam nisi in Ecclesiâ Catholicâ salutem poterit invenire.... Foràs ab Ecclesiâ Christi inimicus Christi.... sanguinem fundere potest, coronam accipere non potest.

S. HIERONYM. *Epist.* 18. *ad Eust. de custod. virginit. aliàs* 22. Grandis labor, sed grande præmium, esse quod Martyres, esse quod Apostoli, esse quod Christus est. Quæ quidem universa tunc prosunt, cùm in Ecclesiâ fiunt; cùm in unâ domo pascha celebramus; si arcam ingredimur cum Noë; si peruente Jericho, Rahab meretrix justificata nos continet.

(N) MATTH. III. 12. Cujus ventilabrum in manu suâ: et permundabit aream suam: et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

XIII. 25. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et su-

boni et mali, membra mortua et membra viventia : (O) et mortuorum quidem longè major est numerus quàm viven-

perseminavit zizania in medio tritici, et abiit. 26. Cùm autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. 27. Accedèntes autem servi patris-familias, dixerunt ei : Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo ? undè ergo habet zizania ? 28. Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei : Vis, imus, et colligimus ea ? 29. Et ait : Non : ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. 30. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus : Colligite primùm zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

(O) MATTH. XXII. 10. Et ingressi servi ejus (Patris-familias) in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos et bonos : et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

S. AUG. *in breviculo collationis cum Donatistis habitæ Carthagine ann.* 411. *collatione diei tertiæ, c. 9. n.* 16.... Responderunt (*Donatistis Catholici*) ostendentes multis sanctarum Scripturarum testimoniis et exemplis, malos in Ecclesiâ nunc sic esse permixtos, ut quamvis debeat vigilare Ecclesiastica disciplina, ad eos non solùm verbis, sed etiam excommunicationibus et degradationibus corripiendos, tamen non solùm in eâ latentes nesciantur, sed plerumque propter pacem unitatis etiam cogniti tolerentur : Sic ostendentes divina testimonia consonare, ut et illa quibus commendaretur Ecclesia cum malorum commixtione, hoc tempus ejus significarent, qualis est in præsenti seculo, et illa testimonia, quibus commendatur non habere commixtos malos, illud ejus tempus significarent, qualis venturo seculo in æternum futura est. Sicut nunc mortalis est, id est, ex mortalibus hominibus constat : tunc autem immortalis erit ; quando in eâ nemo morietur : Sicut ipse Christus isto tempore fuit pro illâ mortalis, post resurrectionem autem (*Rom.* VI. 9.) jam non moritur, et mors illi ultrà non dominabitur ; quod etiam Ecclesiæ suæ ipse præstiturus est. Hæc duo tempora Ecclesiæ, quæ nunc est, et qualis tunc erit, significata esse etiam duabus piscationibus : unâ ante resurrectionem Christi, quando mitti jussit retia, (*Luc.* V. 4.) nec sinistram, nec dexteram nominans partem, ut nec solos malos, nec solos bonos, sed commixtos bonis malos intra retia suorum sacramentorum futuros doceret : post resurrectionem autem quando jussit retia mitti in dexteram partem, (*Joan.* XXI. 6.) ut post resurrecrectionem nostram bonos solos in Ecclesiâ futuros intelligeremus, ubi ulteriùs hæreses et schismata non erunt, quibus modò retia disrumpuntur. Nam et Evangelium non tacuit in primâ piscatione commemorare retia esse disrupta : et in novissimâ dictum est, et cùm tam magni essent pisces, retia non sunt disrupta. De tali Ecclesiâ dictum esse quod per illam non erat transiturus incircumcisus et immundus. Ad immundos enim pertinere schismaticas separationes, quæ tunc non erunt, quia retia non sunt disrupta. Hoc etiam significasse, quòd corvus avis immunda exierit de arcâ, et non redierit. (*Gen.* VIII. 7.) Quæ tamen arca exeunte corvo non utique omnibus immundis animalibus caruit, sed in eâ fuerunt et munda et immunda usque ad diluvium, sicut in Ecclesiâ boni et mali usque ad seculi finem. Sed sicut non de immundis, sed de mundis animalibus Noë obtulit sacrificium ; (*Gen.* VIII. 20.) ita non ii qui mali sunt in Ecclesiâ, sed ii qui boni sunt, perveniunt ad Deum.

N. 17. Responderunt Catholici, quòd unum templum fuerit, quo universi utebantur, nec quemquam Prophetarum, qui tanta dixerunt in malos, constituisse sibi aliud templum, sacrificia, Sacerdotes.... Commemoratum est etiam testimonium Propheticum (*Ezech.* IX. 4.) ubi signati sunt, ne cum malis perirent, qui gemebant facinora, quæ fiebant in medio eorum ; nec tamen corporaliter separati.

N. 18. Deindè ibi commemoratum est qualis separatio bonis hoc tempore ab impiis, et malis fieri debeat, ne communicetur peccatis alienis, corde videlicet, et vitæ morumque dissimilitudine ; nec aliter in-

tium. Sed extra Ecclesiam nec sanctitas est, nec salus. (P)

I. Nonne in corpus Ecclesiæ redundat corruptio membrorum, maximè Pastorum ? Nonne dici potest Ecclesia corrupta, cùm regitur à Pastoribus corruptis, et positis ad destructionem potius quàm ad ædificationem fidelium ?

R. Non ex Privatorum hominum, vel etiam ex Pastorum singularium corruptione æstimanda Ecclesia est. Apostolus ipse de Pastoribus sui temporis loquens ait (*Philip.* II. 21.) *omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.* Et tamen vocat Ecclesiam *sanctam*, aitque (2. *Tim.* III. 15.) eam esse *columnam et firmamentum veritatis.* Hanc filiorum suorum corruptionem luxit semper et damnavit Ecclesia. Non ergo ex vitâ et moribus singulorum fidelium, sed ex Ecclesiæ doctrinâ et fide et canonibus æstimanda est Ecclesiæ sanctitas. Quod malum est reprobavit et damnavit semper Ecclesia ; quod bonum est probavit semper et auctoritate suâ firmavit. *Ecclesia Dei*, inquit S. Augustinus (*Epist.* 55. *alias.* 119. *ad Januarium cap.* 19. *n.* 35.) *inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat ; et tamen quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.* (Q) Legantur Canones Conciliorum et scripta Pa-

telligi debere quod scriptum est (*Isai.* LII. 11.) " *Exite de medio eorum, recedite indè, et immundum ne tetigeritis ;* id est, discernimini aliter vivendo, et immunditiæ non consenseritis.

Ad Donatistas post collationem, c. 7. *n.* 10. *Vide suprà hujusce capitis* §. 1. *litt.* (H)

(P) S. Aug. *Epistola contra Donatistas vulgò de Unitate Ecclesiæ, c.* 2. *n.* 2. *Vide suprà, litt.* (M) *hocce* §.

(Q) S. Aug. *Lib.* 1. *de moribus Ecclesiæ Catholicæ, c.* 30. *n.* 62. 63. *et* 64. *Vide suprà littera* (E) *hocce* §.

Cap. 31. *n.* 65. Accipite perfectorum Christianorum, quibus summa castitas, non laudanda tantùm, sed etiam capessenda visa est, mores et continentiam singularem.... Quis enim nescit summæ continentiæ hominum Christianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magisque diffundi, et in Oriente maximè atque Ægypto.

N. 66. Nihil de iis dicam.... qui secretissimi penitùs ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, et aquâ contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, et hujus pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil, inquam, de his loquar : videntur enim nonnullis res humanas plus quàm oportet deseruisse, non intelligentibus quantùm nobis eorum animus in orationibus prosit, et vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur.... Hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non suâ sponte miraudum et honorandum videtur, oratione nostrâ videri qui potest;

N. 67. Sed si hoc excedit nostram tolerantiam, quis non illos miretur et prædicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus ; nullâ superbiâ tumidi, nullâ pervicaciâ tumulenti, nullâ invidentiâ lividi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intentissimam in Deum gratissimum munus ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt. Nemo quidquam possidet proprium ; nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea, quibus et corpus pasci possit et à Deo mens impediri non possit. Opus autem suum tradunt eis, quos Decanos vocant, eò quòd sint denis præpositi, ut neminem illorum cura

trum, qui quolibet seculo pietate et doctrinâ floruerunt, et liquidò patebit quod hîc dicimus. Etiamsi in Senatu aliquo reperirentur Judices corrupti moribus, et iniqui et parùm periti; si tamen æqua sunt omnia Senatûs-consulta, non sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est, vel quotidianæ necessitati, vel mutatæ ut adsolet valetudini. Illi autem Decani cum magnâ sollicitudine omnia disponentes, et præstò facientes, quidquid illa vita propter imbecillitatem corporis postulat, rationem tamen etiam ipsi reddunt uni, quem Patrem appellant. Hi verò Patres non solùm sanctissimi moribus, sed etiam divinâ doctrinâ excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nullâ superbiâ consulunt iis, quos filios vocant magnâ suâ in jubendo auctoritate, magnâ illorum in obtemperando voluntate. Conveniunt autem diei tempore extremo de suis quisque habitaculis, dùm adhuc jejuni sunt, ad audiendum illum Patrem, et conveniunt ad singulos Patres terna ut minimùm hominum millia, nam etiam multò numerosiores sub uno agunt. Audiunt autem incredibili studio, summo silentio, affectiones animorum suorum, prout eos pepulerit disserentis oratio, vel gemitu, vel fletu, vel modesto et omni clamore vacuo gaudio significantes. Corpus deindè reficitur, quantùm saluti et salubritati satis est, coërcente unoquoque concupiscentiam, ne se profundat, vel in ea ipsa, quæ præstò sunt parca et vilissima. Ita non solùm à carnibus et vino abstinent pro abstinentiâ domandarum libidinum; sed ab iis etiam, quæ tantò concitatius ventris et gutturis provocant appetitum, quantò quasi mundiora nonnullis videntur: quo nomine solet turpe desiderium exquisitorum ciborum, quod à carnibus alienum est, ridiculè turpiterque defendi. Sanè quidquid necessario victui redundat (nam redundat plurimùm ex operibus manuum, et epularum restrictione) tantâ curâ egentibus distribuitur, quantâ non ab ipsis, qui distribuunt, comparatum est. Nullo modo namque satagunt ut hæc sibi abundent, sed omni modo agunt, ut non apud se remaneat quod abundaverit, usque adeò ut oneratas etiam naves in ea loca mittant, quæ inopes incolunt.

N. 68. Hæc est etiam vita fœminarum Deo sollicitè castèque servientium, quæ habitaculis segregatæ ac remotæ à viris quàm longissimè decet, piâ tantùm illis charitate junguntur, et imitatione virtutis: ad quas juvenum nullus accessus est, neque ipsorum quamvis gravissimorum et probatissimorum senum, nisi usque ad vestibulum, necessaria præbendi, quibus indigent, gratiâ. Lanificio namque corpus exercent atque sustentant, vestesque ipsas fratribus tradunt, ab iis invicem quod victui opus est resumentes. Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque dignè valeo, et vereor ne judicare videar per scipsum tantummodò expositum placere non posse.

Cap. 32. *n.* 69.... Quàm multos Episcopos optimos viros, sanctissimosque cognovi, quàm multos Presbyteros, quàm multos Diaconos et hujuscemodi ministros divinorum sacramentorum, quorum virtus eò mihi mirabilior et majore prædicatione dignior videtur, quò difficilius est eam in multiplici hominum genere et in istâ vitâ turbulentiore servare. Non enim sanatis magis quàm sanandis hominibus præsunt. Perpetienda sunt vitia multitudinis ut curentur, et priùs toleranda quàm sedanda est pestilentia. Difficillimum est hîc tenere optimum vitæ modum et animum pacatum atque tranquillum, quippè ut breviter explicem, hi agunt ubi vivere discitur, illi ubi vivitur.

Cap. 33. *n.* 70. Nec ideò tamen laudabile Christianorum genus contemperim, eorum scilicet qui in civitatibus degunt à vulgari vitâ remotissimi. Vidi ego diversorium Sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus unus Presbyter præerat vir optimus et doctissimus. Romæ etiam multa cognovi, in quibus singuli gravitate atque prudentiâ et divinâ scientiâ præpollentes, cæteris secum habitantibus præsunt, Christianâ charitate, sanctitate, et libertate viventibus: ne ipsi quidem cuiquam onerosi sunt, sed Orientis more et Pauli Apostoli auctoritate manibus suis sese transigunt. Jejunia etiam prorsùs incredi-

Impediet privatorum Judicum corruptio et iniquitas et imperitia, quominùs suscipiatur et colatur Senatus ut sanctuarium justitiæ.

bilia multos exercere didici non quolidiè semel sub noctem reficiendo corpus, quod est usquequaque usitatissimum, sed continuum triduum vel amplius sæpissimè sine cibo ac potu ducere. Neque hoc in viris tantùm, sed etiam in fœminis, quibus item multis viduis, et virginibus simul habitantibus et lanâ ac telâ victum quæritantibus præsunt singulæ gravissimæ, probatissimæque non tantum in instituendis, componendisque moribus, sed etiam instituendis mentibus peritæ ac paratæ.

N. 71. Atque inter hæc nemo urgetur in aspera, quæ ferre non potest, nulli quod recusat, imponitur, nec ideò condemnatur à cæteris, quòd in eis se imitandis fatetur invalidum : meminerunt enim quantopere Scripturis omnibus commendata sit charitas.... Concupiscentiæ perdomandæ, et dilectioni fratrum retinendæ invigilat omnis industria....

N. 72. Christiani sunt, non hæretici : intelligunt Scripturas secundùm Apostolicam disciplinam, non secundùm superbum et commentitium nomen Apostoli :.... quòd viliore victu vivere placet, minimeque sumptuoso corporis sustentaculo ætatem tranquillissimam ducere.... Ita multi neque vescuntur carnibus.... Itaque iidem ipsi, qui sani temperant, si ratio valetudinis cogat, ægroti sine ullâ formidine accipiunt. Multi vinum non bibunt.... et quibusdam languidioribus, et prorsùs omnibus, qui sine illo nequeunt salutem corporis obtinere, humanissimè ac modestissimè præberi faciunt, et stultè nonnullos recusantes fraternè admonent, ne vanâ superstitione debiliores citiùs quàm sanctiores fiant : legunt eis Apostolum discipulo præcipientem, ut aliquantùm vini sumat propter frequentes infirmitates suas. Ita pietatem sedulo exercent.

N. 73. Continent se igitur ii qui possunt, qui tamen sunt innumerabiles, et à carnibus et à vino.... Charitas præcipuè custoditur; charitati victus, charitati habitus, charitati vultus aptatur ; coitur in unam conspiraturque charitatem : hanc violare tanquam Deum nefas dicitur : huic si quid resistit, expugnatur atque ejicitur; hanc si quid offendit, unum diem durare non sinitur. Sciunt ita commendatam esse à Christo et Apostolis, ut si hæc una desit, inania, si hæc adsit, plena sint omnia.

Cap. 34. *n.* 74. Manichæi si potestis, obsistite; istos intuemini; istos sine mendacio, si audetis, et cum contumeliâ nominate : istorum jejuniis vestra jejunia, castitati castitatem, vestitum vestitui, epulas epulis, modestiam modestiæ, charitatem denique charitati, et quod res maximè postulat, præceptis præcepta conferte. Jam videbitis quid inter ostentationem et sinceritatem, inter viam rectam et errorem, inter fidem atque fallaciam, inter robur et tumorem, inter beatitudinem et miseriam, inter unitatem et conscissionem, postremò quid inter superstitiones sirenas et portum religionis intersit.

N. 76. Nunc vos (*ô Hæretici*) illud admoneo, ut aliquando Ecclesiæ Catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos et ipsa condemnat, et quos quotidiè tanquam malos filios corrigere studet. Sed quicunque illorum bonâ voluntate Deique auxilio corriguntur, quod amiserant peccando, pœnitendo recuperant. Qui autem voluntate malâ in vitiis perseverant, aut etiam addunt graviora prioribus, in agro quidem Domini sinuntur esse, et cum bonis seminibus crescere, sed veniet tempus, quo zizania separentur. Aut si jam propter ipsum Christianum nomen magis in paleâ quàm in spinis esse arbitrandi sunt, veniet etiam qui aream purget, et à frumentis paleam separet, et singulis partibus pro suo cujusque merito, quod oportet, summa æquitate distribuat.

Epist. 208. *aliàs* 209. *ad Feliciam*, *n.* 2. Te admoneo ne gravius perturberis his scandalis.... Nam hæc ipse Dominus in Evangelio ita prædixit; (*Matth.* XVIII. 7.) *Væ mundo à scandalis : oportet venire scandala : væ autem homini illi, per quem scandalum venit.* Qui sunt isti homines, nisi de quibus dicit Apostolus, (*Philip.* II. 21.) *sua quærentes, non quæ Jesu Christi.* Alii sunt ergo qui propterea tenent pastorales cathedras, ut

§. 5. Cur Ecclesia dicitur Catholica.

I. Quid significat vox, *Catholica?*

R. Vox græca est, quæ latinè idem sonat quod generalis et universalis.

I. Cur ergo Ecclesia dicitur Catholica seu universalis?

R. Quia ad omnia tempora et ad omnia loca extenditur; quod quidem solius Ecclesiæ proprium est.

I. Cur ais Ecclesiam ad omnia tempora extendi?

R. Quia quolibet tempore fuit et erit societas fidelium in Christi gregibus consulant; alii verò qui propterea in eis sedent, ut suis honoribus temporalibus et commodis secularibus gaudeant.

N. 3. Sicut autem sunt Pastores boni et mali, sic etiam in ipsis gregibus sunt et boni et mali. Boni, ovium nomine significantur; mali verò, hædi appellantur; sed commixti pariter pascunt, donec veniat Princeps Pastorum, qui dictus est, (*Joan.* x. 16.) *unus Pastor;* et quemadmodùm ipse promisit, separet sicut Pastor oves ab hædis. Nobis enim imperavit congregationem, sibi autem servavit separationem: quia ille debet separare, qui nescit errare. Nam qui separare ante tempus, quod sibi Dominus servavit, superbi servi facilè ausi sunt, ipsi potiùs ab unitate Catholicà separati sunt. Nam schismate immundi mundum gregem undè habere potuerunt?

N. 4. Ut ergo in unitate maneamus, nec offensi scandalis palearum aream Dominicam deseramus, sed potiùs usque in finem ventilationis frumenta perseveremus, et comminutam stipulam firmo charitatis pondere toleremus; ipse Pastor noster in Evangelio de Pastoribus bonis nos admonet, ut propter bona opera eorum, nec in eis ipsis nostram spem ponamus, sed eum, qui talem illos fecit, Patrem qui in cœlis est, glorificemus: et de Pastoribus malis, quos nomine Scribarum et Pharisæorum significare voluit, docentes bona, et facientes mala.

N. 5. Nam de bonis Pastoribus ita loquitur; (*Matth.* v. 14. *et seq.*) *Vos estis lumen mundi. Non potest civitas abscondi super montem constituta: neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* De malis autem Pastoribus oves admonet, dicens: (*Matth.* xxiii. 2. 3.) *Super cathedram Moysi sedent: quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, et non faciunt.* His auditis, oves Christi etiam per malos doctores vocem ipsius audiunt, et unitatem illius non relinquunt: quia bonum, quod eos audiunt dicere, non est ipsorum, sed illius: et ideò securæ oves pascuntur, quia et sub malis Pastoribus pascuis dominicis nutriuntur. Non autem faciunt malorum facta Pastorum, quia talia opera non sunt illius, sed ipsorum. Quos autem bonos vident, non solùm audiunt bona, quæ dicunt: sed etiam imitantur bona, quæ faciunt. De talibus erat Apostolus, qui dicebat, (1. *Cor.* iv. 16.) *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Iste lumen erat illuminatum à lumine sempiterno ipso Domino Jesu Christo, et in candelabro positum erat, quia in ejus cruce gloriabatur; undè ait, (*Galat.* vi. 14.) *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi,* et quia non sua quærebat, sed quæ Jesu Christi, quamvis ad imitationem suam, quos per Evangelium genuerat, hortatur: tamen corripit graviter eos, qui per Apostolorum nomina, schismata fecerunt.

N. 6. In Catholica Ecclesia, quæ per omnes gentes, sicut promissa est, dilatatur atque diffunditur, *in universo mundo fructificans et crescens,* (*Coloss.* i. 6.) et boni sunt et mali.... Ab eâ verò separati, quandiù contra illam sentiunt, boni esse non possunt; qui etsi aliquos eorum bonos videtur ostendere quasi laudabilis conversatio, malos eos facit ipsa divisio, dicente Domino: (*Matth.* xii. 30.) *Qui mecum non est, adversùm me est; et qui mecum non colligit, spargit.*

unâ fide adunata, eodem spiritu afflata, sub duce eodem et capite Christo Jesu. Hæc autem societas Ecclesia dicitur. (A)

I. Quomodò Christus potuit esse dux et caput fidellum, qui vixerunt antequàm ipse nasceretur?

R. Quia post peccatum primi hominis, nemini salus esse potuit nisi per Christum. Christus et gratiam et gloriam meruit sanctis omnibus, qui vixere sub veteri Testamento. Eos Christus, per Spiritum suum vivificavit, et in unâ fide adunavit, quemadmodùm et Christianos vivificat et adunat. *Et non est in alio aliquo salus*, inquit Petrus Apostolus, (*Act.* IV. 12.) *nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* (B)

(A) S. AUG. *Epist.* 102. *aliàs* 49. *ad Deogratias, quæst.* 2. *n.* 12. Itaque ab exordio generis humani, quicunque in eum (Deum) crediderunt, eumque utcunque intellexerunt, et secundùm ejus præcepta piè et justè vixerunt, quandolibet et ubilibet fuerint, per eum procul dubio salvi facti sunt. Sicut enim nos in eum credimus et apud Patrem manentem, et qui in carne jam venerit: sic credebant in eum antiqui, et apud Patrem manentem, et in carne venturum. Nec quia pro temporum varietate nunc factum annuntiatur, quod tunc futurum prænuntiabatur, ideò fides ipsa variata, vel salus ipsa diversa est. Nec quia una eademque res, aliis atque aliis sacris et sacramentis vel prædicatur, aut prophetatur, ideò alias atque alias res, vel alias atque alias salutes oporteret intelligi. Quod autem quando fiat quod ad unam eamdemque fidelium et piorum liberationem pertineat, consilium Deo tribuamus, nobis obedientiam teneamus. Proindè aliis tunc nominibus et signis, aliis autem nunc, et priùs occultiùs, posteà manifestiùs, et priùs à paucioribus, posteà à pluribus, una tamen eademque religio vera significatur, et observatur.

N. 15. *Vide suprà hujusce Partis. Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 23. *litt.* (C)

(B) S. AUG. *Lib.* 19. *contra Faustum, c.* 14.... Si ergo antiqui justi pro illis prænuntiativis sacramentis et rerum nondùm impletarum figuris, omnia dura et horrenda perpeti parati fuerunt, et plerique perpessi sunt: si tres pueros, Danielemque prædicamus, quia (*Dan.* I. 8.) de mensâ regis contaminari noluerunt, quod erat contra illius temporis sacramentum: si Machabæos cum ingenti admiratione præferimus, quia (2. *Mach.* VII.) escas, quibus nunc Christiani licitè utuntur, attingere noluerunt, quia tunc pro tempore prophetico non licebat: quantò magis nunc pro baptismo Christi, pro Eucharistiâ Christi, pro signo Christi ad omnia perferenda paratior debet esse Christianus; cùm illa fuerint promissiones rerum complendarum, hæc sint indicia completarum? Quod enim adhuc promittitur Ecclesiæ, id est, corpori Christi, et in manifestatione prædicatur, et in ipso capite corporis Salvatore, id est, in ipso Mediatore Dei et hominum homine Christo Jesu, jam utique completum est. Quid enim promittitur, nisi vita æterna ex resurrectione à mortuis? Hoc jam completum est in illâ carne, quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* (*Joan.* I. 14.) Tunc ergo et occulta erat fides: nam eadem credebant, eademque sperabant omnes justi et sancti etiam temporum illorum; et promissiva erant illa omnia sacramenta omnisque ritus ille sacrorum: nunc autem revelata est fides, (*Galat.* III. 23.) in quam conclusus erat populus, quando sub lege custodiebatur.

Cap. 16. 17. *et* 18. *Vide suprà* §. 3. *hujusce Cap. litt.* (A)

Lib. 10. *de Civit. Dei, c.* 25. Hujus sacramenti fide etiam justi antiqui mundari piè vivendo potuerunt, non solùm antequam lex populo Hebræo daretur,.... sed ipsius quoque legis temporibus; quamvis in figuris rerum spiritualium habere viderentur promissa carnalia.

Lib. 18. *c.* 47. *Vide suprà hujusce Partis Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 23. *lit.* (C)

I. Stabit-ne Ecclesia usque ad consummationem seculi?

R. Stabit utique; neque enim portæ inferi prævalebunt unquam adversùs eam; nec Christus ab eâ discedet ullo die, usque ad consummationem seculi. Has Christi promissiones §. *superiori* retulimus et explicuimus.

I. Cur ais Ecclesïam ad omnia loca extendi?

R. 1. Quia doctrina Ecclesiæ per orbem universum disseminata est, vel disseminatur, vel disseminabitur. Nullus in orbe locus est in quo non sint, vel fuerint, vel futuri sint Catholici. (C)

2. Nationes omnes, abdicato Idolorum cultu, Christianam religionem ministerio Apostolorum et virorum Apostolicorum amplexæ sunt. Quod quidem sæpiùs fuerat à Prophetis prænuntiatum. Ex eo autem tempore nulla societas majorem habuit extensionem quàm societas Ecclesiæ: habuit ex eo tempore Ecclesia toto terrarum orbe filios inter se ejusdem fidei vinculo, Sacramentorum eorumdem participatione, ejusdem cathedræ Petri societate adunatos. (D)

(C) S. Aug. *Epist.* 199. *aliàs* 80. *ad Hesychium, c.* 12. *n.* 47. Ecclesia fructificat, et crescit in universo mundo. Adhùc enim habet quo crescat, donec fiat quod de Christo in Salomonis figurâ prophetatum est. (*Ps.* lxxi. 8.) *Dominabitur à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terræ....* (*Ps.* lxxxv. 9.) *Omnes gentes, quotquot fecisti, venient, et adorabunt coram te Domine....* Nulla relinquetur terrarum, ubi non sit Ecclesia.

N. 48. Si ergo quia Prophetia veritatis mentiri non potest, necesse est ut omnes gentes, quotquot fecit Deus, adorent eum: quomodò adorabunt eum, nisi invocent eum?.... In quibus ergo Gentibus nondùm est Ecclesia, oportet ut sit, non ut omnes, qui ibi fuerint, credant: omnes enim gentes promissæ sunt, non omnes homines omnium gentium, *non enim omnium est fides.* (2. *Thess.* iii. 2.)

(D) Psal. ii. 8. Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.

xxi. 28. Reminiscentur et convertentur ad Dominum universæ fines terræ: et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.

lvi. 6. *et* 12. Exaltare super cœlos, Deus.... et super omnem terram gloria tua.

lxxi. 8. Et dominabitur à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terrarum.

S. Aug. *in Psal.* ii. 8. *n.* 7. Postula à me: ut scilicet gentes nomini Christiano copulentur, atque ita à morte redimantur, et possideantur à Deo.... *Terminos terræ....* ut omnes gentes intelligamus.

In Psal. xxi. *Enarratione* 1. *n.* 28. *v.* 28.... Et adorabunt in conscientiis suis universæ patriæ gentium.

Enarr. 2. *n.* 28. *v.* 28. *Christus* in sacco ferebat pretium nostrum: percussus est lanceâ, fusus est saccus, et manavit pretium orbis terrarum.

Cætera vide suprà hujusce Partis 1. *Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 17. *litt.* (A)

In Psal. lvi. *n.* 13. *v.* 6. Exaltatum Deum super cœlos non videmus, sed credimus, super omnem autem terram gloriam ejus non tantùm credimus, sed etiam videmus. Qualem verò vesaniam patiantur hæretici, quæso ut attendatis. Illi præcisi à compagine Ecclesiæ Christi, et partem tenentes, totum omittentes, nolunt communicare orbi terrarum, quâ diffusa est gloria Christi. Nos autem Catholici in omni terrâ sumus; quia omni terræ communicamus, quacunque gloria Christi diffusa est.

In Psal. lxxi. *n.* 11. *super v.* 8. Ostendit quam latè eamdem Ecclesiam fuerat diffusurus, cùm adjecit, *Et dominabitur à mari usque ad mare....*

I. Cur ais solius Ecclesiæ proprium esse extendi ad omnia loca et tempora?

R. Quia alii societati nulli id competit. Omnium aliarum

Doctrina ejus dilatatur usque ad terminos orbis terræ, cùm prædicatur Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus.

ISAI. XLIV. 3. Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam: effundam Spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. 4. Et germinabunt inter herbas, quasi salices, juxta prætérfluentes aquas. 5. Iste dicet: Domini ego sum: et ille vocabit in nomine Jacob, et hic scribet manu suâ: Domino: et in nomine Israël assimilabitur.

LIV. 1. Lauda sterilis quæ non paris: decanta laudem, et hinni quæ non pariebas: quoniam multi filii desertæ, magis quàm ejus, quæ habet virum, dicit Dominus. 2. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. 3. Ad dexteram enim et ad lævam penetrabis: et semen tuum gentes hæreditabit, et civitates desertas inhabitabit. 4. Noli timere, quia non confunderis, neque erubesces: non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris, et opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis ampliùs. 5. Quia dominabitur tui qui fecit te, Deus exercituum nomen ejus, et redemptor tuus sanctus Israël, Deus omnis terræ vocabitur. 6. Quia ut mulierem derelictam et mœrentem spiritu vocavit te Dominus, et uxorem ab adolescentiâ abjectam, dixit Deus tuus: 7. Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. 8. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, et in misericordiâ sempiternâ misertus sum tui, dixit Redemptor tuus Dominus.

S. AUG. *Epist. contra Donatistas, vulgò de Unitate Eccles. c. 4. n. 7.* Totus Christus caput et corpus est. Caput unigenitus Dei Filius, et corpus ejus Ecclesia, sponsus et sponsa, duo in carne unâ. Quicunque de ipso capite ab Scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesiâ. Et rursùs quicunque de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, et unitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesiâ; quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt... (Hæretici) etiamsi per omnes terras inveniantur per quas est Ecclesia, non utique sunt in Ecclesiâ: quia ipsum caput Ecclesiæ non tenent, quod est Christus Jesus..... Proindè prioribus temporibus per Prophetas sonuit Verbum Dei. Deindè per seipsum, cùm *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I. 14.) deindè per Apostolos, quos misit ad se prædicandum, ut esset salus usque ad fines terræ. In his igitur omnibus quærenda est Ecclesia.

N. 9. Nulli nostrùm dubium est, per arcam Noë, salvà rerum gestarum fide, ut, deletis peccatoribus, domus justi à diluvio liberaretur, etiam Ecclesiam fuisse figuratam.... Propterèa cuncta animalium genera ibi fuisse, quia in omnibus gentibus futura prænuntiabatur Ecclesia.

N. 11. (*Gen.* XXII. 18.) *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, quia obaudisti vocem meam. Quid ad hæc dicitis? An Judæorum nobiscum perversitate contenditis, ut dicatis in solo populo nato ex carne Abrahæ intelligendum semen Abrahæ?.... Quid ergo dicat Apostolus audiamus. Quærimus non enim jam, quemadmodùm intelligendum sit semen Abrahæ. *Fratres*, inquit, (*Gal.* III. 15. *et* 16.) *secundùm hominem dico, tamen hominis confirmatum testamentum nemo irritum facit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus. Non dicit, et seminibus, tanquam in multis; sed tanquam in uno, et semini tuo, quod est Christus.* Ecce in quo *semine benedicuntur omnes gentes:* ecce testamentum Dei: aperite aures. *Hominis*, inquit, *confirmatum testamentum nemo irritum facit, aut superordinat.* Quare vos irritum facitis testamentum Dei, dicendo nec in omnibus gentibus esse completum, et perisse jam de gentibus in quibus erat semen Abrahæ? Quare superordinatis dicendo in nullis terris hæredem permanere Christum, nisi ubi potuit cohæredem habere Donatum?

societatum noscimus initium et progressum : hæ tandem succedente tempore evanescunt et pereunt. Omnes angustiis locorum et temporum spatiis circumscriptæ sunt. Sola Ecclesia stat et stabit semper ubique diffusa.

N. 14. (*Gen.* XXII. 17. 18.) *Erit semen tuum sicut arena terræ, et multiplicabitur suprà mare, et in Africum, et in Aquilonem, et in Orientem : et benedicentur in te omnes tribus terræ, et in semine tuo.* (*Gen.* XXII. 17. 18.) Date mi hanc Ecclesiam si apud vos est : ostendite vos communicare omnibus gentibus, quas jam videmus in hoc semine benedicti.

N. 15. Quid in Prophetis, quàm multa et quàm manifesta sunt testimonia Ecclesiæ per omnes gentes toto terrarum orbe diffusæ? Undè pauca commemorabo, plura relinquens otio diligentiæ cum Dei timore legentibus.... Dicat Isaïas ubi Ecclesiam sanctam Deo revelante præviderit.... *Repleta est*, inquit, (XI. 9. 10.) *universa terra ut cognoscat Dominum....* (*Rom.* XV. 12.) *et qui exsurget principium habere in nationes, in eum gentes sperabunt....* Item dixit, (*Is.* XXVII. 6.) *Germinabit et florescet Israël, et replebitur orbis terrarum fructu ejus....* Item dicit (XLI. 5.) *Viderunt gentes, et timuerunt fines terræ....* (*Id.* XLII. 4.) *Et in nomine ejus gentes sperabunt.*

N. 16. Item dicit Isaïas : (XLIX. 6.) *Posui te in testamentum generis in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad fines terræ :.... et dedi te*, inquit, (*Ibid.* 8.) *in testamentum gentium ut incolas terram, et possideas hæreditatem deserti ;....* et dicit : (*Ibid.* 12. *et* 13. 18. 19. 20.) *Ecce isti à longinquo venient ; hi autem ab Aquilone, et mari ; alii autem ex terrâ Persarum. Exulta cœlum, et in lætitiâ esto terra, emittant montes jucunditatem, quoniam misertus est Deus populi sui, et humiles populi sui alloquutus est* : et *circumspice ubique oculis tuis, et vide universos. Vivo ego, dicit Dominus : omnes hos indues te, et dispones eos ut ornamentum novæ nuptæ : quoniam quæ deserta fuerunt in te, et corrupta et lapsa, nunc in maximâ arctură erunt per eos qui commorantur isthic : longè à te efficiantur, qui te transvorabant. Dicent enim in aures tuas filii tui quos amiseras, Angustia nobis est in isto loco, facito itaque nobis nunc locum, in quo commoremur....* (22. 23.) *Ecce tollam in nationes manus meas, et in insulas signum meum, et adducam filios tuos in sinu, filias etiam tuas super humeros portabunt : et erunt reges educatores vestri ; quæ autem Principales sunt, nutrices vestræ, super terram declinantes faciem deprecabuntur te, et vestigia pedum tuorum clingent : et scies quia ego Dominus, et non erubesces.* Et paulò post : (LI. 4. 5.).... *Lex à me prodiet, et judicium meum in lucem gentibus,.... et in brachio meo gentes salvantur.* Et adjungit : (LII. 10.) *Parefacict Dominus brachium suum sanctum in conspectu universarum gentium, et videbunt omnes nationes usque ad ultima terræ salutem, quæ a Deo est.* Quis tam surdus, quis tam demens, quis tam mente cæcus, ut his tam evidentibus testimoniis obloquatur?

N. 17. Sed ad manifestiora veniamus. Certè sacratissimas nuptias in Scripturis novimus ; sponsum et sponsam, Christum et Ecclesiam.... Sic ergo prior ipse sponsus describitur, (*Isaï.* LIII. 11. 12.) *Et peccata eorum ipse portabit ; ideò hæreditate possidebit multos, et fortium partietur spolia.....* *Ipse peccata multorum sustinuit, et propter iniquitates nostras traditus est....* Quis ita surdus est, ut hæc non audiat? Quis ita obtusus, ut non intelligat? Quis ita cæcus ut non videat? *Ideò*, inquit, *ipse hæreditate possidebit multos, et fortium partietur spolia, propter quòd tradita est in mortem anima ejus, et inter iniquos deputatus est....* Quid est, Hæretici, quòd de paucitate gloriamini, si propterea Dominus Jesus Christus traditus est ad mortem, ut hæreditate multos possideret? Et qui sunt hi multi, vel quàm latè occupant terram?

N. 18. Prænuntiato sponso et expresso, procedat et sponsa in verbis Isaïæ: legamus eam in veritate paginarum sanctarum, et agnoscamus in orbe terrarum. Hoc testimonium de sancta Ecclesiâ prædictum etiam Paulus Apostolus posuit. Non est quò fugiat contentiosa tergiversatio hæreticorum : *Lætare sterilis quæ non paris, erumpe et exclama, quæ non parturis ; quoniam multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum.....* (*Galat.*

Et certè novimus initium et progressum sectæ Montanistarum, Manichæorum, Arianorum, Donatistarum, Nestorianorum, Eutychianorum, Pelagianorum, Lutheranorum, Calvinistarum, etc. Nulla ex his cui dici non potue-

IV. 27. *Is.* LIV. 1.) Nonne isti sunt multi de quibus.... dictum est: *Ideò ipse hæreditate possidebit multos?* Nam quæ est hæreditas ejus, nisi Ecclesia ejus? ..... *Multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum.* Synagogam scilicet Judæorum volens intelligi.....- Comparent multitudinem Christianorum per omnes gentes, quibus non communicant, (*hæretici*) et videant quàm pauci sint in comparatione omnes Judæi; et tandem aliquando intelligant in Ecclesiâ Catholicâ toto orbe diffusâ, istam prophetiam esse completam: *Multi filii desertæ; magis quàm ejus quæ habet virum.*

N. 19. Undè autem multos filios esset habitura consequenter adjungit... (*Isai* LIV. 2. *et seq.*) * *Dixit enim Dominus: dilata locum tabernaculi tui et aularum tuarum: fige, noli parcere, longos fac funiculos tuos, et palos tuos confirma, adhuc in dextram et in sinistram extende: et semen tuum gentes possidebit, ne timeas quoniam prævalebis, neque verearis quòd detestabilis fueris. Confusionem æternam obliviscéris, ignominiæ viduitatis tuæ non eris memor: quoniam ego Dominus qui facio te, Dominus nomen illi, et qui liberavit te, Deus Israël universæ terræ vocabitur.* Ecce quò usque jussa est extendere funiculos, donec Deus ejus Israel universæ terræ vocetur.... Et ei dicitur per eumdem Prophetam: (LXII. 2. *et seq.*) * *Videbunt omnes gentes justitiam tuam, et Reges honorem tuum; .... Et eris corona pulchritudinis in conspectu Domini et diadema regni in manu Dei tui; et jam non vocaberis derelicta, et terra tua non vocabitur deserta. Tu enim vocaberis voluntas mea, et terra tua orbis terrarum.* Quid dici manifestiùs adhuc exigendum est? Ecce ex uno Propheta quàm multa, quàm clara: et tamen resistitur, et contradicitur, non cuiquam homini, sed Spiritui Dei, et evidentissimæ veritati.

Cap. 8. *n.* 20. Jam pauca de Psalmis audiamus... (*Ps.* XL. 8.) *Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam fines terræ.* Quis enim Christianus unquam dubitavit hoc de Christo esse prædictum, aut hanc hæreditatem aliud quàm Ecclesiam esse intellexit?

N. 21. (*Ps.* XXI. 28.) *Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ; et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium; quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium?* Nonne Apostolus (*Rom.* X. 18.) de prædicatoribus novi testamenti dictum exposuit quod scriptum est: (*Ps.* XVIII. 5.) *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum?* De quo alio nisi de Christo intelligitur: (*Ps.* XLIX. 1.) *Deus Deorum Dominus locutus est: et vocavit terram, à solis ortu usque ad occasum: ex Sion species decoris ejus.* Cujus, nisi Christi vox est, *Dormivi conturbatus.....* Audi quid sequatur: (*Ps.* LVI. 6. 12.) *Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram gloria tua...* et undè gloria ejus super omnem terram, nisi quia Ecclesia ejus super omnem terram?

N. 22. Ibi etiam (*in Psalmis*) dicuntur hæc, ubi agnoscere Ecclesia toto orbe diffusa, omnibus etiam regibus Christo subjugatis: *Et dominabitur,* inquit, (*Ps.* LXXI. 8. *et seq.*) *à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terræ.* A flumine utique ubi eum Spiritus sanctus in columbæ specie, et vox de cœlo manifestavit.... *Coram illo decident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis et Insulæ munera offerent, Reges Arabum et Saba dona adducent, et adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes servient ei... et benedicentur in eo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.. et replebitur gloriâ ejus omnis terra..* Ecce manifestata est in Psalmis Ecclesia toto orbe diffusa, super quam requiescit gloria Regis ejus, undè et ipsa Regina est sponsa ejus de quâ ei dicitur in Psalmo: (XLIV. 10. *et seq.*) *Adstitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumamicta varietate:* et ad eam ipsam exhortandam continuò divinus sermo dirigitur: *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui, quoniam concupivit Rex speciem tuam, quia ipse est Deus tuus... Pro patribus tuis, nati sunt tibi filii: constitues eos Principes super omnem terram.*

rit, *Hésterni estis*, quo solo verbo Tertullianus meritò contendit invictissimè revinci posse societates omnes ab Ecclesiâ segregatas, nullâ habitâ inquisitione dogmatum. (E)

N. 23. Quid ad hæc dicturi sunt quæ commemoravi ex lege, et Prophetis, et Psalmis, de Christi Ecclesiâ, quæ toto orbe diffunditur, cui malunt repugnare perversi quàm communicare correcti. Quid, inquam, dicturi sunt?..... Falsa esse non audent dicere : premuntur enim mole tantæ auctoritatis.

Cap. 10. *n.* 25. *Quia sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere tertiâ die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem...* (*Luc.* XXIV. 46.) Teneamus ergo Ecclesiam ex ore Domini designatam, undè cœptura, et quousque perventura esset : cœptura scilicet ad Jerusalem, et perventura in omnes gentes.

Cap. 11. *n.* 27... *Et eritis mihi testes in Jerusalem, et in totâ Judæâ, et Samariâ, et usque in totam terram.* (*Act.* I. 8.) Ecce et hic manifestum est undè cœptura, et quousque perventura esset Ecclesia.

N. 28. Quis non intelligat, *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in tota Judæâ, et Samariâ, et usque in totam terram. Iis dictis, elevatus est, et nubes suscepit eum, et viderunt eum euntem in cœlum* (*Act.* I. 8. 9.) Quid hoc est rogo? Cùm verba novissima hominis morientis audiuntur ituri ad inferos, nemo eum dicit esse mentitum, et impius judicatur hæres, qui fortè illa contempserit : quomodò ergo effugiemus iram Dei, si vel non credentes, vel contemnentes repulerimus verba novissima, et unici Filii Dei, et nostri Domini ac Salvatoris, et ituri in cœlum, et indè prospecturi quis ea negligat, quis observet; et indè venturi, ut de omnibus judicet? Habeo manifestissimam vocem Pastoris mei, commendantis mihi et sine ullis ambagibus exprimentis Ecclesiam : mihi imputabo si ab ejus grege, quod est ipsa Ecclesia, per verba hominum seduci atque aberrare voluero; cùm me præsertim admonuerit dicens, (*Joan.* X. 27.), *Quæ sunt oves meæ, vocem meam audiunt, et sequuntur me.* Ecce vox ejus clara et aperta : hàc auditâ qui eum non sequitur, quomodò se ovem ejus dicere audebit? Nemo mihi dicat, O quid dixit Donatus, ô quid dixit Parmenianus, aut Pontius aut quilibet illorum. Quia nec Catholicis Episcopis consentiendum est, sicubi forte falluntur, ut contra canonicas Dei Scripturas aliquid sentiant. Sed si custodito unitatis et charitatis vinculo in hoc incidunt; fiet in eis quod Apostolus ait, (*Phil.* III. 15.) *Et si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis revelabit.*

N. 29. Sed prædictam demonstravimus Ecclesiam in verbo Dei sponso ejus per Legem, sive per Prophetas et Psalmos, sive per os proprium, ab Jerusalem cœpturam et perventuram usque ad terminos orbis terræ... Cœpta est ab Jerusalem, indè itura Ecclesia per omnes linguas : quod etiam præsignatum est in eis, qui ibidem constituti accepto Spiritu sancto linguis omnibus sunt locuti.

N. 30. Vocatur ergo Saulus de cœlo, fit ex persecutore prædicator, et dicit de illo Dominus ad Ananiam. (*Act.* IX. 15.) * *Vade, quoniam vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israël magnificari. Ego enim monstrabo ei quanta patietur propter nomen meum...* (X. 28.) *Vos meliùs scitis quomodò abominandum sit viro Judæo, jungi aut accedere ad alienigenam; sed mihi Deus ostendit, nullum communem aut inquinatum dicere hominem....* Jam cui non appareat illo vase significatum orbem terrarum, cum omnibus gentibus.... (XIII. 46.) *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis vitâ æternâ, ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus, Posui te lumen gentibus, ut sis in salutem usque in extremum terræ..... Audientes autem gentes, perceperunt verbum Dei, et crediderunt quotquot erant destinati in vitam æternam.*

Lib. 17. *de Civit. Dei, c.* 8. *n.* 2. *Vide suprà* I. 17. *Cap.* 4. *Sect. præced. litt.* (E)

(E) TERTULL. *adv. Praxeam, c.* 2. Hanc regulam ab initio Evangelii decurrisse, etiam ante priores quosque hæreticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium hæreticorum, quàm

Omnes et singulæ suam habent certam et ab omnibus cognitam originem ; nunquam per orbem universum diffusæ sunt. Ex his pleræque jam evanuerunt ; reliquæ evanescunt in dies, debilitantur ; et mutuis armis corruunt quotidiè in interitum. Nulla ex illis habuit, nec habebit unquam extensionem, quæ soli Ecclesiæ Catholico-Romanæ competit. Atque hæc quidem Ecclesia sola est, cui jam à primis seculis tributum fuerit Catholicæ nomen, ut notarunt sancti Cyrillus Jerosolymitanus et Augustinus. (F)

ipsa novellitas Praxeæ hesterni. Quo peræquè adversùs universas hæreses jam hinc præjudicatum sit, id esse verum, quodcunque primum, id esse adulterum, quodcunque posterius.

De Præscriptionibus, *c.* 37... Ad (*Hæreticos*) meritò dicendum est : Qui estis ? Quando, et undè venistis ? Quid in me agitis, non mei ? Quo denique jure silvam meam cædis ? Quâ licentiâ fontes meos transvertis ? Quâ potestate limites meos commoves ? Mea est possessio. Quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis et pascitis ? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certè exhæredaverunt semper et abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos. Undè autem extranei et inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbitrio, adversùs Apostolos, aut protulit, aut recepit ?

(F) S. Aug. *de verâ Religione*, *c.* 7. *n.* 12. Repudiatis igitur omnibus, qui neque in sacris philosophantur, nec in philosophiâ consecrantur ; et iis qui vel pravâ opinione, vel aliquâ simultate superbientes, à regulâ et communione Ecclesiæ Catholicæ deviârunt ; et iis qui sanctarum Scripturarum lumen, et spiritalis populi gratiam, quod novum testamentum vocatur, habere noluerunt.... Tenenda est nobis Christiana Religio, et ejus Ecclesiæ communicatio quæ Catholica est, et Catholica nominatur, non solùm à suis, verùm etiam ab omnibus inimicis. Velint, nolint enim ipsi quoque hæretici et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.

Contra Epistolam Manichæi quam vocant Fundamenti, *c. h. n.* 5... Multa sunt quæ in ejus (Ecclesiæ Catholicæ) gremio me justissimè tenent. Tenet consensio populorum atque Gentium : tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata : tenet ab ipsâ sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum : postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causâ inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cùm omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum, vel Basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanto nominis Christiani carissima vincula rectè hominem tenent credentem in Catholicâ Ecclesiâ, etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem vel vitæ meritum veritas nondùm se apertissimè ostendat.... Nemo me movebit ab eâ fide quæ animum tot ac tantis nexibus Christianæ religioni adstringit.

S. Cyril. Hierosol. *Catech.* 18. *n.* 11. *Et in unam sanctam Catholicam Ecclesiam.* (*Symb. Apost.*) Catholica igitur vocatur, quia per universum orbem sit terrarum diffusa, à finibus terræ usque ad extrema. Et quia docet Catholicè, hoc est, universaliter, et sine ullo defectu, vel differentiâ omnia dogmata, quæ deberent venire in cognitionem de rebus visibilibus et invisibilibus, cœlestibus et terrestribus, et quòd omne genus hominum piè subjugat, principes et privatos. Et quia in universum curat omne genus peccatorum, et quæ per animam et quæ per corpus patrantur. Habeturque in illâ omne genus (quocunque nomine vocetur) virtutis, in factis et dictis, et spiritualibus charismatibus omnigenis.

§. 6. Cur Ecclesia dicatur Apostolica.

I. Cur Ecclesia dicitur Apostolica ?

R. 1. Quia quidquid Apostoli crediderunt et docuerunt, id credit et docet.

2. Ab ipsis Apostolis fundata, per successores Apostolorum regitur, suamque habet à Christo per Apostolos auctoritatem et missionem.

I. Cur ais Ecclesiam credere et docere quidquid Apostoli crediderunt et docuerunt ?

R. Quia facilè demonstrari potest, Ecclesiam per singula retrò secula continuâ serie ad nostra usque tempora idem credidisse et docuisse quod Apostoli. Id jam probavimus, (*hujusce Cap.* §. 4.) ubi de sanctitate Ecclesiæ sermo fuit.

I. Cur ais Ecclesiam fuisse ab Apostolis fundatam ? Dixeras *superiori Paragrapho* Ecclesiam ante Christi tempora exstitisse ?

R. Ecclesia, sumpta pro societate fidelium in genere, ante Christi tempora exstabat, ut probavimus : sed sumpta pro congregatione fidelium, qui Christiani dicuntur, nonnisi post Christum formata est, et fundata per Apostolos fuit.

Hæ societates duæ unum corpus efficiunt in Christo adunatum. Unam Ecclesiam *superædificatam*, ut ait Apostolus, (*Ephes.* II. 20.) *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Hæc Ecclesia exstabat quidem ante Christum, sed dicta non est Apostolica nisi post Christum. (A)

I. Quo sensu dicuntur Apostoli fundatores Ecclesiæ ?

R. In eo quòd *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* (*Ps.* XVIII. 5.) Christi fidem et Evangelium prædicaverunt ubique. Homines anteà Judæos vel Ethnicos, fecerunt Christianos, et Christi Discipulos : et ex omnibus tùm Judæis, tùm Gentibus ad Christum conversis formaverunt societatem et congregationem, quæ

Aptè autem Ecclesia vocatur, quasi dicas convocatio : propter omnium convocationem et congregationem..... *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, (*Matth.* XVI. 18.)

N. 12.... Illorum (Hæreticorum) fœda conventicula fugias : perseveres autem in Catholicâ Ecclesiâ, in quâ et renatus es. Quòd si fortè veneris in civitates, non simpliciter interroga ubi sit Dominicus, seu domus Domini : nam et reliquæ impiorum hæreses Dominicos, quamvis pollutos, appellare non dubitant. Neque id tanquam quæras simpliciter, ubi sit Ecclesia, sed ubi Catholica Ecclesia ? Hoc enim proprium nomen est sanctæ hujus et matris omnium nostrûm, quæ est sponsa Domini nostri Jesu Christi, unigeniti Filii Dei.... Regum quidem potestas certis locis, et gentibus, terminos habet : Ecclesiæ autem Catholicæ per universu morbem indefinita est potentia.

(A) S. AUG. *in Psal.* LXXXVI. *n.* 4. Quare sunt fundamenta Apostoli et Prophetæ ? Quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram.... Duodenarius numerus Apostolorum.... sacramentum est cujusdam universitatis : quia per totum orbem terrarum futura erat Ecclesia, undè vocatur hoc ædificium ad Christi compagem.

dicitur Ecclesia Christiana, et quæ exindè stat et stabit semper sine intermissione, ad finem usque seculorum.

I. Cur ais Ecclesiam per successores Apostolorum regi?

R. Quia Episcopi regunt Ecclesiam, juxta illud Apostoli, (*Act.* XX. 28.) *Posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam Christus acquisivit sanguine suo.* Regunt quidem Ecclesiam et Presbyteri, sed sub auctoritate Episcoporum. At Episcopi canonicè ordinati, successores Apostolorum sunt. Nam ipsi sunt ab aliis Episcopis ordinati, qui successione Episcopatûs minimè interruptâ ab ipsis Apostolis fuerant ordinati, eorumque auctoritati successerant. (B)

I. Hæc Episcopatûs successio fuit-ne in Scripturis designata?

R. Fuit verbis apertissimis. Christus *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Verba sunt Apostoli. (*Ephes.* IV. 11. 12. 13.)

Ergo ex Apostolo erunt ad fidem usque seculi in Ecclesiâ Pastores et Doctores. Quòd autem Pastores illi per continuam ordinationis successionem mittendi sint, patet ex Epistolâ ejudem Apostoli ad Titum quem Episcopum ordinaverat, et Cretæ insulæ præposuerat. *Hujus rei gratiâ*, inquit, (*Tim.* I. 5.) *reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates Presbyteros.* Sic Ecclesia ad finem usque seculi regenda est per Episcopos, qui ab Apostolorum successoribus ordinati, successores et presbyteros ipsi ordinent.

I. Hanc successionem Episcopatûs ab Apostolis ad nostra usque tempora agnoverunt-ne Patres nostri ut notam et characterem Ecclesiæ?

R. Agnoverunt. Sic loquitur S. Irenæus Lugdunensis Episcopus et Martyr, vir Apostolicorum temporum, qui cum sancto Polycarpo Joannis Apostoli Discipuli diù vixerat; sic inquam loquitur: (*Lib.* 3. *advers. Hæres. cap.* 3.) « Quoniam valdè longum est omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, et antiquissimæ, et omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro et » Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam, quam » habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus » fidem, per successiones Episcoporum pervenientem us-

(B) S. AUG. *Lib.* 3. *contra Crescon. c.* 18. *n.* 21... Quomodò ad matrem Ecclesiam redire permittuntur, qui ab Ecclesiâ matre non recesserunt.... nisi quia in causâ resarciendi hujus schismatis obliti estis propriæ vanitatis, quâ post Episcopos ab ipsis Apostolorum sedibus inconcussam seriem usque in hæc tempora perducentes, ... orbem terrarum baptizandum esse censetis.

TERTULLIANUS *de Præscriptionib. contra Hæreticos, c.* 32. *Hic locus citatur infrà in responsione.*

» que ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui » quoquomodo per sui placentiam malam, vel vanam glo- » riam, vel per cæcitatem et malam sententiam, præter- » quàm oportet, colligunt. » (C)

Tertullianus, qui eodem quo sanctus Irenæus seculo floruit, hæc habet (*Lib. de Præscript. c.* 32.) adversùs hæreticos disserens. « Edant origines Ecclesiarum suarum; evol- » vant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones » ab initio ducurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem » ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apos- » tolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem: » sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum à Joanne collo- » catum refert; sicut Romanorum Clementem à Petro ordi- » natum itidem. Perindè et cæteræ exhibent quos ab Apos- » tolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis tradu- » ces habeant. » (D)

(C) S. Irenæus *Lib.* 3. *adversùs Hæreses*, *c.* 3. Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesiâ adest respicere omnibus qui vera velint videre: et habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt, quale ab his (*Hæreticis*) deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maximè traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valdè enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes: quibus emendatè agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas. Sed quoniam, etc. (*In ipsâ responsione*) Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in quâ semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio. Fundantes igitur et instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Hujus Lini Paulus, in his quæ sunt ad Timotheum epistolis meminit. (2. *Epist.* iv. 12.) Succedit autem ei Anacletus: post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens, qui et vidit ipsos Apostolos, et contulit cum eis, et cùm adhuc insonantem prædicationem Apostolorum et Traditionem ante oculos haberet, non solus; adhuc enim multi supererant tunc ab Apostolis docti.. Huic autem Clementi succedit Evaristus, et Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus, et ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissimè martyrium fecit: ac deinceps Hyginus, post Pius post, quem Anicetus. Cùm autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius. Hàc ordinatione et successione, ea, quæ est ab Apostolis in Ecclesiâ Traditio, et veritatis præconiatio, pervenit usque ad nos, et est plenissima hæc ostensio unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesiâ ab Apostolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate.

(D) Tertull. *de Præscript. adversùs Hæreticos*, *c.* 20... Apostoli... primò per Judæam contestatâ fide in Jesum Christum, et Ecclesiis institutis; dehinc in orbem profecti, eamdem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proindè Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei et semina doctrinæ, cæteræ exindè Ecclesiæ mutuatæ sunt, et quotidiè mutuantur, ut Ecclesiæ fiant. Ac per hoc et ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex quâ omnes. Sic omnes prima, et Apostolicæ, dùm unâ omnes probant unitatem: dùm est illis communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio

S. Augustinus adversùs Manichæos scribens hæc ait *contra Epist. Fundam.* (*c.* 4.) : « In Catholicâ Ecclesiâ, ut omittam sincerissimam sapientiam, quam in Ecclesiâ esse » Catholicâ non creditis ; multa sunt alia quæ in ejus gremio » me justissimè teneant. Tenet consensio populorum atque » gentium : tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, » charitate aucta, vetustate firmata : tenet ab ipsâ sede » Petri Apostoli cui pascendas oves suas post resurrectio- » nem Dominus commendavit, usque ad præsentem Epis- » copatum successio Sacerdotum ; tenet postremò ipsum » Catholicæ nomen, quod non sine causâ inter tam multas » Hæreses sic illa Ecclesia sola obtinuit, ut cùm omnes » Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen pere- » grino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæ- » reticorum vel Basilicam suam vel domum audeat osten- » dere. Ista ergo tot et tanta nominis Christiani carissima » vincula rectè hominem tenent credentem, in Catholicâ » Ecclesiâ. » Et infrà : « Ego verò Evangelio non crederem, » nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas. Qui- » bus ergo obtemperavi dicentibus, Crede Evangelio ; cur » eis non obtemperem dicentibus mihi, Noli credere Ma- » nichæis. »

S. Optatus Milevitanus Episcopus Lib. 2. contra Donatistas n. 3. et 4. cùm enumerasset continuam seriem Episcoporum, qui à S. Petro Romæ sederunt ad Siricium usque, *cum quo*, inquit, *nobiscum totus orbis.... in unâ communionis societate concordat ;* sic Donatistas alloquitur : *Verùm Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.* Tùm occurrit objectioni Donatistarum, qui ut aliquam habere viderentur cum Româ societatem, illùc Victorem quemdam Pseudo-Episcopum miserant, ut gregem Donatistarum eâ in urbe consistentem pasceret. Sic igitur loquitur S. Optatus : « Quid est hoc quòd pars vestra » in urbe Româ Episcopum civem habere non potuit ? » Missus est igitur Victor. Erat ibi filius sine patre, tiro » sine principe, discipulus sine magistro, sequens sine » antecedente... Si Victori diceretur, ubi sederit ? Nec ante » se aliquem illic fuisse monstraret, nec Cathedram ali- » quam nisi pestilentiæ ostenderet. »

hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quàm ejusdem sacramenti una traditio.

Cap. 36. Age jam qui voles curiositatem meliùs exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsident, apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem et repræsentantes faciem uniuscujusque.... Felix Ecclesia : cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt ; ubi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur ; ubi Paulus Joannis exitu coronatur ; ubi Joannes, posteaquàm in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur.... Legem et Prophetas cum Evangelicis, et Apostolicis litteris miscet, et indè potat fidem ; eam aquâ signat, sancto Spiritu vestit, Eucharistiâ pascit, martyrium exhortatur, et ita adversùs hanc institutionem neminem recipit.

Vides ergo hanc successionem Episcopatûs quâlibet ætate visam fuisse notam et tesseram certam Catholicæ Ecclesiæ : idque non ab uno ex Patribus, sed ab omnibus omninò : neque enim ullus est qui aliter senserit : omni exceptione majora testimonia hîc duximus esse referenda.

I. Cur ais Ecclesiam habere à Christo per Apostolos auctoritatem et missionem ?

R. Quia non potest stare Ecclesia sine ministerio verbi et Sacramentorum. Oportet enim ut sint in Ecclesiâ, qui præsint aliis, qui doceant, qui baptizent, qui Passionis Dominicæ memoriam celebrent, idque ad consummationem usque seculi. Non potest autem ministerium verbi et Sacramentorum legitimè exerceri nisi ab iis, qui missi à Deo sint, juxta illud Apostoli : (*Rom.* x. 15.) *Quomodò prædicabunt nisi mittantur.* (*Hebr.* v. 4. 5.) Et alibi, *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret.*

Idcircò Christus à Deo Patre missus, misit Apostolos, deditque illis Spiritum suum et suam auctoritatem. *Sicut misit me Pater*, inquit (*Joan.* xx. 21.) *et ego mitto vos.* (*Luc.* x. 16.) *Qui vos spernit, me spernit ; et qui me spernit, spernit eum qui misit me.* Rursùs Apostoli acceptam à Christo auctoritatem et missionem communicârunt cum Pastoribus à se delectis in opus ministerii. Paulus Apostolus à Christo eruditus et missus, erudivit, ordinavit et misit Timotheum Episcopum, jubetque ut ipse alios erudiat et mittat, qui idonei sint alios docere et mittere. *Quæ audisti à me*, inquit, *hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* (2. *Tim.* II. 2.) Id ipsum de Petro cæterisque Apostolis dici debet. Sic opus ministerii ad finem usque seculi consummabitur : Christusque juxta promissionem suam aderit, ut jam diximus, Pastoribus sic missis et ad consummationem usque seculi mittendis ad docendum et baptizandum. Debet ergo ad finem usque seculi permanere societas quædam Pastorum, qui missi à successoribus Apostolorum doceant et baptizent. Societatem hanc Ecclesiam dicimus. Et non est Ecclesia Christi, sed falsi nominis Ecclesia, societas omnis quæ caret hujusmodi successione missionis et auctoritatis.

I. Non-ne fieri potest ut Deus mittat extra ordinem Ministros et Pastores, qui doceant et Sacramenta ministrent cum auctoritate immediatè à Christo acceptâ : quemadmodùm auctoritatem hanc Paulus Apostolus acceperat *non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum ?* (*Galat.* I. 1.)

R. 1. Deus quidem omnipotens omnia quæcunque vult facit. Nulla tamen aut fuit aut erit unquam necessitas id faciendi. Siquidem futuri sunt ad finem usque seculorum,

ut jam probavimus, Pastores legitimi viâ ordinariâ mittendi in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi et speciali Christi auxilio protegendi. Undè si quos fortè præter consuetum ordinem eligit Deus ad ministerium, quod sæpiùs contigisse fidem faciunt Ecclesiasticæ Historiæ monumenta antiquissima et certissima, illi nihilominùs tamen ordinationem et missionem accipiunt ab Ecclesiæ Pastoribus. Quemadmodùm Saulus à Christo electus missus est ad Ananiam Sacerdotem, ut ab eo erudiretur et baptizaretur. (E) Et de eodem Saulo dictum est posteà : *Ministrantibus autem illis Domino et jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* (*Act.* XIII. 2. 3.) *Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Licèt ergo Paulus electus esset Apostolus *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum*, (*Galat.* I. 1.) accepit tamen et ab Ecclesiâ missionem.

2. Si fortè contingeret, quod hactenùs non contigit, nec continget unquam, ut certò affirmamus ipsâ promissionis Christi stabilitate fulti; si fortè contingeret, inquam, à Christo mitti in Ecclesiam Pastores in opus ministerii missione extraordinariâ et aliâ prorsùs ab eâ quam accipiunt Pastores et doctores in Ecclesiâ legitimè ordinati à Pastoribus legitimis : nullatenùs tamen essent audiendi qui sic mitterentur, nisi missionem suam editis signis et miraculis demonstrarent; alioqui pateret quotidiè fraudi et mendacio locus. Atque eâ quidem ratione probavit missionem suam extraordinariam Moyses, probârunt Prophetæ, probavit Christus ipse, qui ait, *si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent* (*Joan.* XV. 24.) Quibus verbis manifestè declarat Christus necesse omninò fuisse, ut ipse suam missionem miraculis comprobaret; alioqui meritò fuisse se à Judæis rejiciendum. Non sunt ergo audiendi qui nullis editis miraculis, missos se tamen à Christo jactitant, spretâ Ecclesiæ auctoritate.

I. Quibus argumentis confutari possunt Calvinistæ, qui in suâ fidei Confessione non dubitant asserere, statum Ecclesiæ fuisse interruptum, ideòque necesse fuisse ut Deus extraordinariè Pastores suscitaret ad Ecclesiam restituendam.

R. Confutantur manifestissimis Christi promissionibus superiùs prolatis. Si Christus cum Ecclesiâ suâ futurus est omnibus diebus usque ad consummationem seculi, fieri non potest Ecclesiam ullo die perire, et statum illius ullo

(E) ACTOR. IX. 6.... Domine, quid me vis facere ? 7. Et Dominus ad eum : Surge, et ingredere civitatem; et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.... 11. Et Dominus ad eum : (*Ananiam*) Surge, et vade in vicum, qui vocatur rectus : et quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem : ecce enim orat..... 17. Et abiit Ananias, et introïvit in domum : et imponens ei manus, dixit : Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in viâ quâ veniebas, ut videas, et implearis Spiritu sancto.

tempore intermitti. Qui aliud docent, rem docent omnibus retrò seculis inauditam, nullo Scripturarum testimonio fulti, imò contra manifestissima Scripturarum testimonia. Hi non verentur Christum ipsum accusare violati pacti, ac proindè se ipsos proprio judicio condemnare.

Audiant quid eâ de re loquatur sanctus Augustinus. *Illa Ecclesia quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit. Hoc dicunt qui in illâ non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illâ non es? Vide ne tu ideò non sis: nam illa erit, etsi tu non sis.* HANC VOCEM ABOMINABILEM, DETESTABILEM, PRÆSUMPTIONIS ET FALSITATIS PLENAM, NULLA VERITATE SUFFULTAM, NULLA SAPIENTIA ILLUMINATAM, NULLO SALE CONDITAM, VANAM, TEMERARIAM, PRÆCIPITEM, PERNICIOSAM, PRÆVIDIT SPIRITUS DEI.... *propter illos qui dicunt, Fuit, et non est; propter illos qui dicunt, Impletæ sunt Scripturæ, crediderunt omnes gentes, sed apostatavit et periit Ecclesia de omnibus gentibus. Quid est hoc.... Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem seculi. .. Quid est quod dicis jam periisse Ecclesiam de omnibus gentibus, quando ad hoc prædicatur Evangelium, ut possit esse in omnibus gentibus? Ergo usque in finem seculi Ecclesia in omnibus gentibus.... Pereant hæretici, pereant quod sunt, et inveniantur ut sint quod non sunt.* (S. August. Serm. 2. in Ps. CI. n. 8.)

§. 7. Ecclesiam Catholico-Romanam solam esse Christi Ecclesiam, extra quam nulla salus.

I. Quænam est ista Ecclesia cui soli competit esse Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam?

R. Ecclesia quam Romanam dicimus.

I. Quid intelligis per Romanam Ecclesiam?

R. Intelligo congregationem fidelium et Pastorum qui Romano Episcopo, quem Papam appellamus, subjiciuntur et obediunt ut capiti visibili Ecclesiæ.

I. Cur Romanus Episcopus Papa dicitur?

R. Papa vox Græca est, quæ idem sonat quod Pater. Olim omnes Episcopi Papæ dicebantur; quia sunt Ecclesiæ Patres. Jam longo usu soli Episcopo Romano nomen illud tribuitur; qui cùm sit caput Episcoporum, verè totius Populi Christiani Pater est, ut eum vocat S. Augustinus. (A)

I. Cur Romanus Episcopus præ cæteris caput est Ecclesiæ et Pastorum?

R. Quia ipse successit cathedræ et auctoritati sancti Petri, cùm caput esset Apostolorum ex ipsius Christi institutione, Pontificatûs sui cathedram Romæ fixit, ibique cruci affixus vitam finivit. (B)

(A) S. Aug. *Epist.* 43. *aliàs* 162. *ad Glorium, Eleusium, etc. c.* 5. *n.* 16... Qualis ipsius beati Melchiadis ultima est prolata sententia, quàm innocens, quàm integra, quàm provida atque pacifica.... O virum optimum, o filium Christianæ pacis, et patrem Christianæ plebis....

(B) S. Aug. *Epist.* 53. *aliàs* 165. *ad Generosum, c.* 1. *n.* 2. *et* 3. *Vide suprà* §. 1. *hujusce Cap. litt.* (A)

I. Certum-ne est S. Petrum fuisse caput Apostolorum ex Christi institutione ?

R. Id inconcussum est fidei dogma, manifestis Evangelii testimoniis stabilitum.

1. Quoties Evangelistæ Apostolorum nomina referunt, toties Petrum ponunt in capite, aiuntque quandoque eum esse primum, *Primus Simon qui dicitur Petrus.* (*Matth.* X. 11.)

2. Christus hæc ait ad Petrum : (*Matth.* XVI. 18.) *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et quodcunque ligaveris erit ligatum, et quodcunque solveris erit solutum, etc.*

3. Christus dat Petro nominatim curam pascendi Dominici gregis, *Pasce Agnos meos*, inquit, *Pasce oves meas.* (*Joan.* XXI. 15. 16. 17.) Porrò agnorum et ovium nomine hic Populus et Pastores designantur, ex S. Bernardo. (C)

(C) S. Bernard. *Lib.* 2. *de Consideratione, c.* 8. *n.* 15. Age, indagemus adhuc diligentiùs quis sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesiâ Dei. Quis es ? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuël, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii cœli janitores, et gregum Pastores : sed tu tantò gloriosiùs, quantò et differentiùs utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos : tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et Pastorum tu unus omnium Pastor. Undè id probem quæris ? ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum sed etiam Apostolorum sic absolutè et indiscretè totæ commissæ sunt oves ? *Si me amas, Petre, pasce oves meas.* (*Joan.* XXI. 15.) Quas ? illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni ? *Oves meas*, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes ? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et fortè præsentes cæteri condiscipuli erant, cùm committens uni, unitatem omnibus commendaret in uno grege et uno Pastore, secundùm illud : *Una est columba mea, formosa mea, perfecta mea.* Ubi unitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem recedentes ab unitate. Indè est quòd alii singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes sacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, una contentus est Jerosolymâ, Petro universitatem cedens.

N. 16. Ergo, juxta canones tuos, alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus : tua extenditur et in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. Nonne, si causa exstiterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam et tradere Satanæ potes ? Stat ergo inconcussum privilegium tuum, tibi tam in datis clavibus, quàm in ovibus commendatis. Accipe aliud, quod nihilominùs prærogativam confirmat tibi. Discipuli navigabant, et Dominus apparebat in littore ; quodque jucundius erat, in corpore redivivo. Sciens Petrus quia Dominus est, in mare se misit, et sic venit ad ipsum, aliis navigio pervenientibus. Quid istud ? Nempe signum singularis Pontificii Petri, per quod non navem unam, ut cæteri quique suam, sed seculum ipsum susceperit gubernandum, mare enim seculum est ; naves, Ecclesiæ. Indè est quòd alterâ vice instar Domini gradiens super aquas, unicum se Christi Vicarium designavit, qui non uni populo, sed cunctis præesse deberet. Si quidem *aquæ multæ, populi multi.* Ita cùm quisque cæterorum habeat suam, tibi una commissa est grandissima navis, facta ex omnibus ; ipsa universalis Ecclesia, toto orbe diffusa.

Lege Natalis Alexandri *Dominicanus, Dissert.* 4. *in Hist. Ecclesiast. I. secuti, Tom.* 1.

4. Dat illi curam confirmandi, id est, stabiliendi in fide et religione fratres suos : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* (*Luc.* XXII. 32.)

I. Certum-ne est et extra controversiam S. Petrum venisse Romam ibique fixâ Pontificatûs sui cathedrâ fuisse mortuum.

R. Tam id certum est quàm quod certissimum. Id enim consensu unanimi refertur ab omnibus Scriptoribus antiquis, qui rem nec potuerunt ignorare, nec voluissent tantâ confidentiâ referre, si quid eâ de re vel minimum dubii subortum fuisset. Et certè id jam in dubium revocare non audent, vel ipsi quos Protestantes dicimus, ex quo Blondellus certissimum illud esse demonstravit. (D)

I. Ex eo quòd S. Petrus Apostolorum princeps mortuus Romæ fuerit, sequitur-ne Romanum Episcopum principem esse et caput cæterorum Episcoporum ?

R. Id verò omninò sequitur. Quilibet enim Episcopus non solùm characteri, sed etiam auctoritati, dignitati, jurisdictioni decessoris sui succedit. Episcopatus quemadmodùm et cætera omnia publica munia ad successores cum suis omnibus juribus et prærogativis transmittitur. Atque hæc quidem causa fuit, cur quolibet seculo, Romani Episcopi sedes, prima sedes habita sit ; et Romani Pontifices creditî sint, utpotè Petri Apostoli successores, in universâ Ecclesiâ Primatum honoris et jurisdictionis jure divino obtinere. (E)

(D) S. CYPRIANUS *Epist.* 55. *ad Antonian. aliàs* 52. Factus est autem Cornelius Episcopus,.... cùm Fabiani, locus, id est, cùm locus Petri, et gradus cathedræ sacerdotalis vacaret.

Vide infrà litt. (E) *hocce* §. S. CYPR. *Epist.* 59. *aliàs* 55.

S. PETRUS CHRYSOL. *Epist. ad Eutych. relata in primâ parte Concil. Chalcedon. n.* 15. His quæ à beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas : quoniam B. Petrus qui in PROPRIA SEDE et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.

M. DE TILLEMONT, *tom.* 1. *Hist. Eccles. Vie de S. Pierre, art.* 28. Saint Pierre vint à Rome sous l'empire de Claude, en la deuxième année de son règne selon quelques anciens, (qui est la quarante-deuxième de Jésus-Christ, lorsque ce Prince même était consul avec C. Cæcina Largus,) et en la deuxième aussi de la 205 olympiade, (c'était environ 25 ans avant sa mort,) qui est le temps que l'Eglise Romaine donnait à son Episcopat, dès l'an 354 (lorsqu'apparemment elle ne connaissait point encore la Chronique d'Eusèbe, dont quelques-uns veulent qu'on ait tiré les 25 ans qu'on a accoutumé de lui donner.) Divers hérétiques de ce temps ont soutenu que S. Pierre n'était jamais venu à Rome : mais *Blondel* l'un des plus habiles d'entre eux-mêmes a prouvé cette vérité par toute l'autorité de la Tradition, et a montré qu'on n'a jamais douté dans l'antiquité ni qu'il eut fondé l'Eglise Romaine, ni que les Papes fussent ses successeurs.

Art. 36. Toute l'antiquité reconnaît que saint Pierre souffrit le martyre à Rome, (sans qu'il se soit jamais trouvé personne qui en ait douté, jusqu'aux hérétiques de ces derniers temps.)

Legendus NATALIS ALEXANDER, *tom.* 1. *Histor. Eccles. Dissertatione* 4.

(E) S. CYPRIAN. *Epist.* 52. *aliàs* 49. *ad Cornelium.* Pro magnitudine suâ debet Carthaginem Roma præcedere.

Epist 59. *aliàs* 55. *ad Cornelium.* Audent, et ad PETRI CATHEDRAM,

I. Cur ergo Primatum Romani Pontificis negant hodiè non solùm Lutherani, Calviniam, cæterique quos generali appellatione Protestantes dicimus, sed etiam Græci, cæterique Orientales non pauci, qui à Romani Pontificis communione recesserunt?

R. Omnes quotquot à Romani Pontificis communione recesserunt, quicunque tandem illi sint, sive quos Protestantes dicimus, negando Primatum Romani Pontificis non solùm nullo Scripturæ aut Traditionis testimonio fulti, sed contra manifestissima Scripturarum et Traditionis testimonia, rupto unitatis Ecclesiæ vinculo, Patrum et antecessorum suorum fidem abjecerunt, et in certissimum Schisma prolapsi sunt. Et Dei quidem ultionem notum est omnibus expertos fuisse Græcos, ex quo se obfirmati sunt in Schismate. Id liquet ex tyrannicâ dominatione Mahumetanarum, cui subjiciuntur etiamnùm.

atque ad ECCLESIAM PRINCIPALEM, UNDE UNITAS SACERDOTALIS EXORTA EST, à Schismaticis et profanis litteras ferre.

S. IRENÆUS *Lib.* 3. *adversùs Hæreses, c.* 3. *Vide suprà hujusce Capitis* §. 6. *litt.* (C)

S. HIERONYM. *Epist.* 57. *ad Damasum. Vide suprà* §. 4. *hocce Capite litt.* (F)

S. AUG. *Epist.* 53. *aliàs* 165. *ad Generosum, n.* 2, 3. *et* 6. *Vide suprà* §. 1. *litt.* (A) *hocce Cap.*

Epist. 43. *aliàs* 162. *ad Glorium, Eleusium, etc. n.* 7 *c.* 3. In quâ (Romanâ Ecclesiâ) semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus.

CONC. NICÆ. *ann.* 325. *can.* VI. *ex plurimis* MS. Ecclesia Romana semper habuit primatum. *Nonnulli codices*, de primatu Ecclesiæ Romanæ et aliarum civitatum Episcopis. *Dein sequitur canon:* Antiqui moris est ut urbis Romæ Episcopus habeat principatum, ut suburbicaria loca et omnem provinciam suâ sollicitudine gubernet.

GELAS. *Hist. Concilii Nicæni, cap.* 31. *can.* VI. *De præcipuis honoribus, qui majori Episcopo in gubernatione Ecclesiasticâ decreti sunt.*

Can. VI. *ann.* 313. Antiquius mos valeat qui in Ægypto est, Libyâ et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus omnium potestatem habeat; quoniam et urbis Romæ Episcopo consuetum hoc est. Similiter autem et apud Antiochiam et cæteras provincias unicuique suus servetur honor.

CONC. CONSTANTINOPOL. I. *can.* I. *Dionysio exiguo interprete.* Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris primatum post Romanum Episcopum: propterea quòd urbs ipsa sit junior Româ.

CONC. CONSTANT. *ann.* 381. *can.* 3. *Gentiano Herveo Interprete.* Constantinopolitanus Episcopus habeat priores honoris partes post Romanum Episcopum, eò quòd sit ipsa nova Roma.

In Compilatione ISIDORI MERCATORIS, *can.* V. Constantinopolitanæ civitatis Episcopum habere oportet primatûs honorem post Romanum Episcopum, propterea quòd sit nova Roma. *Quæ variæ interpretationes in unam eamdemque omninò recidunt.*

CONC. CHALCEDONENSE. *ann.* 450. *et* 451. *can.* 28. Antiquæ Romæ throno, quòd urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt.

CONC. CONSTANTINOPOL. III. *ann. Domini* 680. *et* 681. *vulgò* CONCIL. QUINISEXTUM, *vel* IN TRULLO, *can.* 36. Thronus Constantinopolitanus æqualia privilegia cum antiquæ Romæ throno obtineat, et in Ecclesiasticis ut ille rebus magni fiat, ut qui sit secundus post illum.

CONC. NICÆNUM II. *general.* VII. *can.* 4. *ann.* 787. Præcipit enim et Petrus principalis Apostolorum summitas: *Pascite qui in vobis est gregem Dei non coactè, sed spontaneè* (1. *Petr.* V. 2.) etc.

Consule de his omnibus eruditam R. P. NATALIS ALEXANDRI *Ord. Prædicatorum Dissert.* 4. *in Hist. Eccles. I. seculi, tom.* 1.

I. Quâ ratione probari potest Protestantes et Græcos esse verè Schismaticos ? Quid si ipsi Schismaticos appellarent eos, qui Ecclesiæ Romanæ communione sociantur ?

R. Græcos et Protestantes Schismaticos esse probamus, hoc facili ratiocinio.

Schismaticus est quisquis à communione veræ Ecclesiæ recedit, ut jam (*hujusce Cap.* §. 4.) probavimus.

At recesserunt à communione veræ Ecclesiæ quicunque recesserunt à communione Romanæ Ecclesiæ, sive Græci, sive quos Protestantes dicimus. Id autem sic probatur.

Antequam Græci et Protestantes à communione Romanâ segregarentur, erat in orbe terrarum societas quædam, quæ dicebatur et erat vera Ecclesia Christi. Hæc societas ab omnibus falsi nominis Ecclesiis distinguebatur his notis quatuor, nimirùm quòd esset una, sancta, Catholica et Apostolica ; omnes omninò Christiani fidem Constantinopolitanam tùm profitebantur his verbis : *Credo unam, sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam.*

Atqui Ecclesia, quam Romanam dicimus, ea erat cui soli quatuor illæ notæ tùm temporis competerent, ut facilè erit unicuique intelligere legendo quæ superiùs diximus de singulis veræ Ecclesiæ notis. Ergo Schismatici sunt, qui ab Ecclesiæ Romanæ communione recesserunt sive Græci, sive Protestantes.

I. Si verò Græci et Protestantes pernegant quatuor illas Ecclesiæ notas Romanæ Ecclesiæ convenisse, dùm ipsi ab eâ recesserunt ; quid tu ad hoc ?

R. Ego verò singulis respondeo. Protestantibus primùm : deindè Græcis.

1. Negare non possunt Protestantes quin diffusa esset per orbem universum Ecclesia, quam Romanam dicimus, dùm ipsi ab eâ recesserunt : quin et haberet successionem Apostolicam. Id ultrò confessi sunt vel ipsi quos antesignanos venerantur et reformatores vocant. Negare non possunt item quin sex prioribus seculis Ecclesia, quæ Romanum Pontificem ut caput agnoscebat, vera esset Ecclesia. Id fatentur etiam. Ergo fateantur necesse est hanc etiamnùm esse veram Christi Ecclesiam. Quæ enim societas fuit semel vera Christi Ecclesia, semper utique erit : Ecclesia enim eadem quolibet tempore est. Stabit eadem in æternum ; ut superiùs (*hujus Capitis* §. 4.) demonstravimus, adductis in medium promissionibus Christi : semper erit una, sancta, Catholica, Apostolica.

2. Id ipsum altero hocce ratiocinio invictissimè demonstramus.

Antequam à nostrâ communione discessissent Protestantes, profitebantur fidem Symbolo Constantinopolitano contentam his verbis : *Credo Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam.* Credebant ergo esse in orbe ter-

rarum societatem aliquam, cui quatuor illæ notæ competerent. Ab illâ societate discesserunt, quæcunque tandem illa sit. Sic enim recesserunt ab Ecclesiæ Romanæ communione, ut alteri nulli societati sese adjunxerint. *Discessionem à toto mundo facere coacti sumus.* Ipsa sunt Calvini verba, *Epist. ad Melanchtonem scripta*, 4. *Decemb.* 1552. Successionem Episcopatûs interruperunt, quantumcunque necessaria illa sit Ecclesiæ, ut probavimus Paragrapho superiori. Et certè ipsi in suâ Confessione fidei *Art.* 31. dicere non verentur, *Qu'il a fallu quelquefois, et même de notre temps (auquel l'état de l'Eglise était interrompu,) que Dieu ait suscité des gens d'une façon extraordinaire, pour dresser l'Eglise de nouveau, qui était en ruine et désolation;* id est, *oportuisse quandoque et nostro quoque tempore (quo status Ecclesiæ erat interruptus) suscitari à Deo extraordinariè Pastores ad formandam denuò Ecclesiam, quæ ceciderat in ruinam et desolationem.* Quo quidem in articulo tot ferè blasphemiæ occurrunt quot verba. Si enim necesse fuit suscitari extraordinariè Pastores ad formandam denuò Ecclesiam, si in ruinam ceciderat Ecclesia, si status illius erat interruptus: ergo non erat ampliùs Christus cum suâ Ecclesiâ, ergo falsum est quod promisit Christus: (*Matth.* XXVIII. 20.) *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Ergo adversùs Ecclesiam portæ inferi prævalere potuerunt. Perierat ergo Ecclesia. Quam vocem vocat S. Augustinus ut jam, (§. 6. *hujusce Capitis Serm.* 2. *in Psal.* CI. *n.* 8. diximus) *Impudentem vocem, abominabilem, detestabilem, præsumptionis et falsitatis plenam, nullâ veritate suffultam, nullâ sapientiâ illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam.* Quod ergo de omnibus Hæreticis dixit Apostolus, (*Tit.* III. 11.) *Eos esse proprio judicio condemnatos;* id de Protestantibus dici debet. Suntque illi reverâ Schismatici. (F)

Ab eâ difficultate inextricabili ut sese expedirent, quidam ex recentioribus Pseudo-ministris, excogitârunt nuper novam effugium. Negârunt quod ait Calvinus, discessionem à toto orbe se fecisse: aiuntque recessisse se quidem ab Ecclesiæ Romanæ communione, sed ut se adjungerent societati Albigensium et Valdensium. Nugæ, somnia; ne-

(F) M. Bossuet, Evêque de Meaux, *Instruction pastorale sur les promesses de l'Eglise*, *n.* 15. Ce dogme de la succession et de la perpétuité de l'Eglise, si visiblement attesté par les promesses expresses de Jésus-Christ, avec les paroles les plus nettes et les plus précises, a été jugé si important, qu'on l'a inséré parmi les douze articles du Symbole des Apôtres en ces termes: *Je crois l'Eglise Catholique ou universelle:* universelle dans tous les lieux, et dans tous les temps, selon les propres paroles de Jésus-Christ: *Allez*, dit-il, (*Matth.* XXVIII. 19. 20.) *enseignez toutes les nations:* et *Voilà je suis avec vous tous les jours* (sans discontinuation) *jusqu'à la fin des siècles.* Ainsi en quelque lieu et en quelque temps que le symbole soit lu et récité, l'existence de l'Eglise de tous les lieux et de tous les temps y est attestée: cette foi ne souffre point d'interruption: puis-

que enim idem omninò senserunt Albigenses et Valdenses cum Calvinianis, ut infrà (*hujusce Capitis* §. 10. 12 *et* 13. *seculis.*) videbimus. Sed esto adjunxerint se Albigensibus et Valdensibus, non propterea depellent à se accusationem Schismatis. Neque enim Albigenses aut Valdenses habuerunt unquam veræ Ecclesiæ notas quatuor superiùs traditas. Et ipsi in manifestum schisma inciderant. Harum sectarum novimus initium et progressum et finem. Ante seculum Christi duodecimum Valdenses nulli erant. Albigenses veterem Manichæorum hæresim hoc ipso seculo mutato nomine suscitaverant. Intra limites angustissimos coarctata semper fuit utraque secta. Nec ferè ulla de illis jam mentio supererat, dùm Lutherani et Calviniani prodierunt. Et certè fictitia hæc Calvinistarum cum Albigensibus et Valdensibus communio. Commentum est excogitatum non ita pridem à nonnullis Pseudo-ministris circa successionem Pas-

qu'à tous momens le fidèle doit toujours dire : *Je crois l'Eglise Catholique.* Quand les Novateurs, quels qu'ils soient, ont commencé leurs assemblées schismatiques, l'Eglise était, il la fallait croire, puisqu'on disait, *je crois l'Eglise :* il fallait être avec elle, à peine d'être séparé de Jésus-Christ, qui a dit, *Je suis avec vous :* en quelque temps que hors de sa communion, qui est toujours celle des Saints, on ose former des congrégations illégitimes, on est manifestement du nombre *de ceux qui se séparent eux-mêmes,* qui se *condamnent eux-mêmes* (*Jud.* 19.) par leur propre et manifeste séparation.... (*Art.* XVIII....) L'Eglise Grecque se trouve aussi éloignée des protestans que la Latine ; et il demeure pour constant qu'ils ont construit leur Eglise prétendue par une formelle et inévitable désunion d'avec tout ce qu'il y avait de Chrétien dans l'univers.

N. 19. Aussi se sont-ils vus dès leur origine irrémédiablement désunis entre eux-mêmes ; Luthériens, Calvinistes, Sociniens, ont été des noms malheureux qui ont formé autant de sectes. Les Catholiques savent se soumettre et se ranger sous l'étendard ; on en a dans tous les siècles d'illustres exemples. Il n'en est pas de la même sorte de ceux qui ont rompu avec l'Eglise. Le principe d'union une fois perdu, en se séparant d'avec celle où tout était un auparavant, a tout mis en division ; les Schismatiques se sont multipliés, et n'ont pas eu de remède ; car la maxime qu'on avait posée d'examiner chacun par soi-même les articles de la foi, mettait tout en dispute, et rien en paix. Ainsi s'étaient divisées toutes les sectes ; l'Arianisme, le Pélagianisme, l'Eutychianisme avaient enfanté des demi-Ariens, des demi-Pélagiens, des demi-Eutychiens de plus d'une sorte, et ainsi des autres. On n'a plus rien de certain, quand on a une fois rejeté le joug salutaire de l'autorité de l'Eglise. Les Donatistes, dit S. Augustin, (*Serm.* 4. *n.* 8.) avaient pris en main le couteau de division pour se séparer de l'Eglise ; le couteau de division est demeuré parmi eux ; et voyez, dit le même Père, *en combien de morceaux se sont divisés ceux qui avaient rompu avec l'Eglise : Qui se ab unitate præciderunt, in quot frusta divisi sunt ?* N'en peut-on pas dire autant à nos Prétendus Réformateurs ?... Quand on a une fois détruit l'autorité, on n'y peut plus revenir : on aura éternellement contre eux le même droit qu'ils ont usurpé contre l'Eglise, lorsqu'ils l'ont quittée. Ainsi nulle dispute ne finit.. Les Protestans se sont ôté toute autorité, tout ordre, toute soumission : et aujourd'hui s'ils se font justice, ils reconnaîtront qu'ils n'ont aucun moyen de réprimer, ou de condamner les erreurs ; en sorte qu'il ne leur reste aucun remède pour s'unir entre eux, que celui de trouver tout bon, et d'introduire parmi eux la confusion de Babel et l'indifférence des Religions sous le nom de tolérance.

D. NICOLE, *in suis Libris quorum alter inscribitur :* de Unitate Ecclesiæ ; *alter*, Calvinistæ de Schismate convicti ; *eadem adversùs eos, qui se ab Ecclesiâ nuper segregârunt, fortiter inculcat.*

torum Ecclesiæ ad incitas redactis. Non venerat ea res in mentem Calvini, Lutheri, cæterorumque, quos Reformatores vocant. Altum eà de re silentium in Confessione fidei, quam ediderunt Calviniani cæterique Heterodoxi recentiores. Id unum excogitârunt ad depellendam accusationem Schismatis (*Confess. fidei art.* 31.) *necesse fuisse propter interruptum Ecclesiæ statum, propter ruinam et desolationem Ecclesiæ, à Deo suscitari extraordinariè Pastores ad formandam iterùm Ecclesiam.* Sed hæc omnium Hæresiarcharum mens fuit. Omnes Ecclesiam erroris et corruptionis accusârunt. Omnes contenderunt esse se à Deo extraordinariè suscitatos ad Ecclesiæ fidem reformandam. Hoc ipsum ab intolerabili superbiâ proficiscitur : blasphemia est. Hoc ipso quilibet Hæreticus proprio semetipsum judicio condemnat. In memoriam revocentur verba S. Judæ Apostoli (*hujusce Capitis* §. 4.) superiùs ex parte relata. In his manifestè continetur condemnatio Protestantium sicut et cæterorum omnium Hæreticorum et Schismaticorum. *Hi*, inquit, (*Jud.* 10.) *quæcunque ignorant, blasphemant ; quæcunque autem... norunt, in his corrumpuntur.* 11. *Væ illis quia... in contradictione Core perierunt.* 12. *Hi sunt.... semetipsos pascentes, nubes sine aquâ, quæ à ventis circumferuntur, arbores infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ ;* 13. *Fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia : quibus procella tenebrarum servata est in æternum....* 16. *Hi sunt murmuratores querulosi, secundùm desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstûs causâ.* 17. *Vos autem charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi,* 18. *qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus.* 19. HI SUNT QUI SEGREGANT SEMETIPSOS, *animales, spiritum non habentes.*

I. Quid possunt causari Protestantes in defensionem sui schismatis ?

R. Nullam habent legitimam excusationem. Nam ut ait S. Augustinus, (*Lib.* 11. *cont. Ep. Parmen. c.* XI. *n.* 25.) *præcidendæ unitatis nulla est justa necessitas.* (G)

(G) S. Aug. *Lib.* 2. *contra Epist. Parmeniani c.* 11. *n.* 25... Apparet facilè non esse quidquam gravius sacrilegio Schismatis : quia præcidendæ unitatis nulla est necessitas, cùm sibi nequaquam spiritaliter nociturос malos ideò tolerent boni, ne spiritaliter sejungantur a bonis, cùm disciplinæ severitatem consideratio custodiendæ pacis refrænat aut differt ; quam tamen securitas exserit, cùm apparet sine vulnere Schismatis ad salubrem correctionem posse aliquid Ecclesiastico judicio vindicari... " *Novit Dominus qui sunt ejus, et recedat ab injustitiâ omnis qui invocat nomen Domini.* (2. *Tim.* II. 19.) Si enim pro bono pacis, ne ante tempus cum zizania colligantur, eradicetur simul et triticum, necessitate cogitur quisquam esse inter injustos : recedat ab injustitiâ, et securus invocat nomen Domini. Simul enim et ab injustis recedit, et ab eis exit, atque separatur interim corde, ut etiam corpore à talibus in fine separari mereatur.

Detorquent tamen futiliter et in alienum sensum ad causæ suæ defensionem testimonia quædam Scripturarum, quæ ab Apostolis ad nostra usque tempora nemo sic intellexit, quemadmodùm ipsi intelligunt. Quod enim ex eorum fidei confessione superiùs retulimus, id nullo prorsùs Scripturæ testimonio ad litteram intellecto probare potuerunt, nec potuerunt unquam. Quid quod nec provocati sæpiùs, potuerunt unquam ullum proferre Scripturæ textum non obscurum, quo probarent quæ in Ecclesiâ dogmata reprehendunt, errores esse, et errores, ut ipsi vocant, fundamentales, intolerabiles. Quod tamen esse debuissent, ut fatetur Dallæus, ad excusandam separationem. (H)

Unus sit instar omnium locus desumptus ex Apocalypsi, (XVIII. 4.) quem solent in defensionem sui Schismatis proferre. *Exite de illâ* (Babylone) *populus meus : ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis.* Manifestum est cuilibet legenti non hìc quæstionem esse de Ecclesiâ Christi, sed de Româ Ethnicâ, quam Deus in ultionem idololatriæ et scelerum erat per Barbaros vastaturus. Id ipsum fatentur inter recentiores Heterodoxos non pauci cæteris æquiores. (I)

(H) *Legenda* DALLÆI Apologia *pro unione Calvinistarum et Lutheranorum, versùs initium.*

(I) M. JACQUES-BENIGNE BOSSUET Evêque de Meaux, *Explication de l'Apocalypse, chap.* XVIII. Ainsi dans Jérémie LI. 6. Fuyez du milieu de Babylone ; et que chacun sauve son ame. Tout cela ne signifie autre chose, sinon qu'il fallait sortir de Rome ainsi qu'autrefois de Babylone, comme d'une ville pleine d'impiété, et qui enfin allait périr ; de peur que vous n'ayez part à ses péchés : c'est-à-dire, à la peine de ses pécheurs, ou si l'on veut, à sa corruption, à son luxe, à ses idolâtries, où elle tâchait d'attirer tous ses habitans, et que vous ne soyez enveloppés dans ses plaies. Il fallait que les anciens Juifs sortissent de Babylone pour n'être pas enveloppés dans son supplice. Saint Jean (*Apoc.* XVIII. 4.) applique à Rome cette parole comme les autres qui ont été dites pour Babylone. Dieu en fit sortir son peuple en plusieurs manières : 1° En retirant de cette vie ceux à qui il voulait épargner la douleur de voir périr une telle ville. Ainsi saint Jerôme (*Epist.* XVI.) a dit du Pape saint Anastase, que Rome ne le put posséder long-temps ; et que Dieu l'avait enlevé du monde, de peur que la capitale de l'univers ne fût abattue sous un si grand Evêque.

2. Dans les approches de la prise de Rome une secrète providence en éloigna plusieurs gens de bien, et entre autres le Pape Innocent, qu'elle fit sortir comme autrefois le juste Lot de Sodome, de peur qu'il ne vît la ruine d'un peuple livré au péché. Nous avons vu aussi sainte Mélanie avec plusieurs grands de Rome en sortir dans le même temps par une espèce de pressentiment de la ruine de cette grande ville. Long-temps auparavant Dieu avait mis dans le cœur à sainte Paule et à beaucoup d'illustres Romains de se retirer à Bethléhem avec leur famille ; et en général nous apprenons de Paul Orose, qu'un grand nombre de Chrétiens se retirèrent de Rome, suivant ce précepte de l'Evangile : *Quand ils vous poursuivront dans une ville, fuyez en une autre :* ce que ceux qui ne croyaient pas à l'Evangile ne firent point, et se trouvèrent accablés. (*S. Aug. de Excid. urb.* 7. *Oros.* VII. 39. *Hist. Lausiac. c.* 118. *Præfat. n.* 8. *Hieron. Ep.* VII. *Paul. Oros.* VII. 41. 49)

3. Dans le sac de la ville, Dieu prépara un asyle hors de Rome dans l'Eglise de saint Pierre à tous ceux qui s'y refugièrent ; car Alaric l'avait ainsi ordonné, et encore que les Païens aient profité de cette Ordon-

Et certè non potest sine impietate et sacrilegio Babylon meretrix et Idolis serviens sumi pro Ecclesiâ, adversùs quam Christus promisit portas inferi nunquam esse prævalituras, et cui dixit affuturum se omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

I. Palmaria sunt quæ hactenùs adversùs Protestantes protulisti; sed operæ pretium esse te facturum puto, *si* paucis probare volueris eorum societati nullatenùs convenire, quas tu antehàc explicuisti veræ Ecclesiæ notas, unitatem, sanctitatem, et si fas ita loqui, Catholicitatem et Apostolicitatem?

R. Id duplici ratione probabimus. 1. Adductâ adversùs omnes omninò Hæreticos probatione. 2. Argumento singulari adversùs eos quos Protestantes dicimus.

Ac primò quidem id unà hâc brevi ratione demonstratur adversùs omnes omninò Hæreticos. Una, non multiplex,

nance, on ne doute point qu'elle ne fût faite principalement pour les Chrétiens. (*S. Aug. de Civit. Dei. lib.* 1. *c.* 4. *Oros.* VII. 49.) L'Egypte, l'Afrique, tout l'Orient et principalement la Palestine, tout l'univers enfin fut remplie de Chrétiens sortis de Rome, qui trouvèrent un refuge assuré dans la charité de leurs frères, comme le raconte saint Jerôme. (*Epist.* 12. *ad Gaud. Prœmio in Ezech. l.* 3. *c.* 7.)

4. Pour ce qui est des Elus de Dieu qui moururent dans cette guerre, ce fut ceux-là, dit saint Augustin, (*de urb. excid.* 7.) qui sortirent le plus glorieusement et le plus sûrement de Babylone, puisqu'ils furent éternellement délivrés du règne de l'iniquité, et furent mis en un lieu où ils n'eurent plus à craindre aucuns ennemis ni parmi les démons ni parmi les hommes.

Lege etiam tam veteres quàm recentiores Apocalypseos Interpretes in hucc verba, horum unum aut alterum hîc proferre juvat.

MENOCHIUS S. J. *in Apocal. cap.* XVIII. v. 2. *Cecidit*, *cecidit*, etc. Id est, Jam jam cadet, ac pœnas debitas exsolvet Roma Ethnica, et fiet habitatio dæmoniorum, etc.

MARIANA S. J. *ibid.* Ruina Imperii et Romæ Gallieno Imperatore cœpta apertè est. Aucta cùm Constantinus sedem Imperii Româ transtulit. Honorio Imperatore completa prorsùs est, cùm Roma à Gothis capta, nunquam deindè potuit resurgere, etc.

DE ESCOBAR ET MENDOZA S. J. *Ibid.* Pœnas exsolvit Roma Ethnica et tyranni Imperatores, et omnes idololatræ persecutores Ecclesiæ nascentis... 3. *Quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes, et reges terræ cum illâ fornicati sunt.* Vinum iræ fornicationis significat tyrannorum ebrietatem, quâ in idololatriæ propugnationem, in Christianos irati insurrexerunt. Porrò Roma, uti mundi vertex, hunc iræ calicem aliis gentibus propinavit, cùm ad exemplum illius ubique terrarum gentiles Ecclesiam fuere persecuti... 4. *Et audivi aliam vocem de cœlo dicentem:* Custodum Angelorum hæc vox: *Exite*, inclamant, de illâ populus meus, *ut non participes sitis delictorum ejus*, seu pœnæ delictorum, *et de plagis ejus non accipiatis.* Cùm Ecclesiæ persecutores puniendi erant, monentur Christiani, ut ab illis separentur, etc.

Doctissimus GROTIUS *cap.* 17 et 18. *de Româ Ethnicâ interpretatur suis licet reclamantibus Calvinianis Annot. ad v.* 4. *Exite de illâ populus meus.* Hâc voce ostenditur Deum ita sua in Romam judicia exercuisse, ut pios de communi malo servaverit. *Tu populemi*, id est, vos qui nec idola colitis, nec claudicatis, sed sincerâ fide estis Christiani, ubi Totilæ apparuerit exercitus, *exite* ad Basilicas Apostolorum extra urbem, ubi ego vos tutos præstabo, sicut tutos vos præstiti eodem modo Alarici temporibus.

Hanc etiam interpretationem seculi sunt SYNOPSEOS CRITICORUM AUCTORES *rerum ipsâ veritate victi, licèt suorum etiam sequacium blasphemam interpretationem in medium adducant.*

est societas cui competit esse unam, sanctam, Catholicam et Apostolicam. Alioqui careret Ecclesia unitate, quæ prima est ex illius dotibus. Atqui jam probavimus societatem hanc esse Ecclesiam, quæ Romana dicitur. Ergo nulli alteri societati, nec proindè Protestantium societati competunt hæ notæ quatuor.

Jam ad argumentum alterum veniamus.

Non competit Protestantium societati unitas. Ipsi enim exemplo veterum Hæreticorum omnium scinduntur inter se in varias partes, nec idem sentiunt circa plures fidei articulos, quos fundamentales vocant et absolutè necessarios: nec nisi adversùs Ecclesiam sociantur, quod Tertullianus observat proprium esse omnium Hæreticorum. (K) Calvinistæ in Gallià communicabant cum Lutheranis, quamvis hi realem et corporalem Christi præsentiam admittant in sacro-sanctâ Eucharistiâ, quam illi respuunt. Britannia major jam scissa est in plùsquam triginta sectas inter sese pugnantes, et adversùs unam Ecclesiam Catholico-Romanam societas. Vix Evangelii, ut vocant, Ministros duos reperias, quorum in omnibus et singulis fides conveniant: alii ab aliis planè discrepant: addit unusquisque ut libet decessoris sui fidei. Nihil apud illos sibi constat. Non habent ergo unitatem.

Et præciderunt unitatem sine ullo fundamento legitimo, quod quidem Dallæus inter atrociora crimina reponit. (L) Probent illi si possunt, non ratiociniis futilibus, sed manifestis Scripturarum testimoniis, nullam quidem esse separationis causam, nihil esse quod tolerari non possit in fide præsentiæ realis et corporalis Christi in Eucharistiâ, ut ipsi solemniter confessi sunt, dùm Lutheranos hanc fidem profitentes, solemni decreto admiserunt ad suam communionem: sed legitimam tamen esse separationis causam in dogmate transsubstantiationis et adorationis Christi in Eucharistiâ, quanquam hæc dogmata necessariò consequantur ex fide præsentiæ realis, ut res ipsa loquitur fatentibus vel ipsis quos Calvinistæ reformatores et antesignanos venerantur. Siquidem verba Christi, *Hoc est corpus*

(K) TERTULLIANUS *de Præscriptionibus adversùs Hæreticos, c.* 41. Quis Catechumenus, quis fidelis incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant, etiam Ethnici si supervenerint sanctum canibus, et porcis margaritas, licèt non veras jactabunt.... pacem quoque passim cum omnibus miscent. Nihil interest illis, licèt diversa tractantibus, dùm ad unius veritatis expugnationem conspirent. Omnes tument, omnes scientiam pollicentur. Antè sunt perfecti Catechumeni, quàm edocti... Itaque alius hodiè Episcopus, cràs alius: hodiè Diaconus, qui cràs Lector: hodiè Presbyter, qui cràs Laïcus; nam et Laïcis Sacerdotalia munera injungunt.

Vide suprà Illustrissimi DD. BOSSUETI *Meldensium Episcopi Instructionem ad populum suum* de Christi ad Ecclesiam suam promissis, *hujusce Cap.* §. *h. litt.* (H)

(L) *Vide* DALLÆI *Apologiam* pro unione Calvinistarum et Lutheranorum, *versùs initium*

meum, veram substantiæ conversionem innuunt ex Calvino, si verum sit quod contendit Lutherus cum Ecclesiâ, in his doctrinam præsentiæ realis contineri ; et Christo ubicunque præsens sit adoratio debetur, ex Calvino adversùs eumdem Lutherum. (M)

Nec eorum societati sanctitas competit. Hanc enim Ecclesiæ notam ipsi rejiciunt, dùm contendunt Ecclesiam et errare posse et reipsâ errasse. Adde quod, ut cætera taceam, in Dordracensi Synodo, quâ nullam ipsi celebriorem et numerosiorem habuêre, inauditum hactenùs et portentosum dogma condere non erubuerunt de inamissibili justitiâ, et de stante justificatione simul cum criminibus atrocissimis, verbi gratiâ, cùm adulterio et homicidio Davidis. Quo quidem dogmate funditùs evertuntur omnia Christianæ vitæ instituta. (N)

Non est Catholica eorum societas : nec enim ad omnia tempora, et loca extenditur. Ante hos annos ducentos non erat. Nec nisi intra angustissimos aliquot religionum limites diffusa est.

Tandem carent prorsùs successione Apostolicâ : neque enim eorum Pastores missi et ordinati sunt ab aliis Pastoribus, qui continuâ Episcopatûs successione ab Apostolis traxerint missionis et ordinationis originem. Id ipsum fatentur Calvinistæ in suâ confessione fidei ; dùm aiunt (*Art.* 31.) *Propter interruptum Ecclesiæ statum necesse fuisse ut Deus ad reformandam Ecclesiam Pastores extraordinariè suscitaret.* Nec ipsam quidem missionem extraordinariam ullis unquam editis miraculis comprobârunt ; quod tamen omninò necessarium fuisset : alioqui posset impunè quilibet deceptor et fanaticus dicere se extraordinariè suscitatum. (O)

I. Saltem negare non potes quin competat successio Apostolica Episcopis Ecclesiæ, quam Anglicanam vocant, etiam postquàm à Romanæ Ecclesiæ communione recesserunt ?

R. Esto habeant illi successionem Apostolicam. Habuerant item Ariani, habuerunt Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani, quos tamen ut Hæreticos sicuti et Anglicanos ideò detestata est et detestatur Ecclesia, quia quicunque ex eorum Episcopis dicesserunt primi à communione Ecclesiæ, illi hâc ipsâ suâ discessione ablegârunt à suâ societate unitatem, sanctitatem et Catholicitatem. Porrò vera Christi Ecclesia stare non potest sine notis illis quatuor simul sumptis. Adde quòd eorum societas nec apostolica dici

(M) *Lege Præfationem libri* de Unitate Ecclesiæ à D. Nicole *conscripti, et illustrissimi* Bossueti Historiam variationum.

(N) *Hæc invictissimè demonstrantur in Libro cui titulus :* Eversio Moralis Christianæ per Calvinistarum errores super justificatione, *quem adire potes.*

(O) *Probatum id fuit* §. *super. Lege etiam quæ suprà* c. 4. hujusce Cap. III. (H) *excripsimus ex illustrissimi* DD. Bossueti *Meldarum Antistitis Instructione ad populum* de Christi ad Ecclesiam suam promissis.

potest, quia quicunque Episcopi inter Anglos, sicut inter Arianos et Macedonianos et Nestorianos et Eutychianos primi discesserunt à communione Romanæ Ecclesiæ, hàc ipsâ suâ discessione discesserunt quoque solemniter à fide, quam ab Apostolis traditam continuâ Episcopatûs serie et successione à suis ipsi decessoribus acceperant. Undè jure meritò sunt ab Ecclesiâ excommunicati; eâque excommunicatione meritò privavit eos Ecclesia jurisdictione quam habuerant hactenùs : et quam proindè non potuerunt in successores ordinatione transmittere. Adde quòd nec ipsi legitimam Episcopatûs successionem servaverunt; ut multis dissertationibus nuper probatum est ex ipsis Ecclesiæ Anglicanæ publicis instrumentis.

I. Potes-ne invictâ quoque ratione probare Græcos esse Schismaticos eò quòd ab Ecclesiæ Romanæ communione discesserint ?

R. Possum, et facilè quidem. Id ut planè fiat, revocanda sunt in memoriam ea tempora, quibus Græci nobiscum erant communione conjuncti. Certissimum est tùm temporis Græcos Romano Pontifici subjectos fuisse ut Ecclesiæ capiti. Id patet ex septem prioribus Conciliis œcumenicis quæ in Oriente habita sunt. In his primatus Romani Pontificis, nemine contradicente, fuit agnitus et canonibus firmatus. *Vide hos can. hocce* §. *litt. E.* Nec primatum hunc negavit Photius ipse, qui prima Schismatis fundamenta jecit. In Synodis œcumenicis Lugdunensi et Florentinâ, in quibus actum est potissimùm de reconciliatione utriusque Ecclesiæ et diri Schismatis extinctione, primatum hunc confessi sunt ultrò Græci. Nunquam Constantinopolitana Ecclesia, utpotè altera Roma, nisi locum secundum sibi vindicavit : nec primatum Romano Pontifici denegavit unquam ante Schisma. Quin nec secundum locum Constantinopolis obtinuit nisi in Consilio quarto vel ad summum in Concilio secundo generali; nec illud quidem sine contradictione factum est, ut norunt omnes. Illud ergo tunc temporis fatebantur omnes, Romanum Pontificem caput esse Ecclesiæ, et *ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse esse omnem convenire Ecclesiam*, ut loquitur secundo seculo S. Irenæus (*Lib.* 3. *advers. Hæres. cap.* 3.) Lugdunensis Episcopus, natione Græcus.

Quòd si Ecclesia, cui præest Romanus Pontifex, vera Christi Ecclesia fuit per octo priora secula, nemine contradicente; erit hæc utique semper vera Christi Ecclesia; neque enim fieri potest, ut jam probavimus, ulla circa eam rem mutatio : Ecclesia Christi manet semper eadem et manebit ad consummationem seculi. Ergo à verâ Christi Ecclesiâ recedit et Schismaticus est, quisquis recedit à communione illius Ecclesiæ, cui præest Romanus Episcopus. Ergo Schismaticæ sunt Orientales Ecclesiæ, quæ ab eâ recesserunt.

Quæ ab eâ, inquam, recesserunt : multæ enim exstiterunt semper et exstant etiamnùm Orientales Ecclesiæ, Græcorum, Armenorum, Maronitarum, quæ nunquam discesserunt à communione Romanæ Ecclesiæ. Aliæ in varias sectas inter se pugnantes divisæ sunt. Omnes generali tam in temporalibus quàm in spiritualibus desolatione diuturni Schismatis pœnas luunt, et facti sunt in exemplum divinæ ultionis.

I. Non desunt inter Protestantes imò et inter recèns ad Ecclesiam conversos, qui suspicentur quo jure Romana Ecclesia veræ Christi Ecclesiæ nomen et auctoritatem sibi vindicat, eodem jure posse Ecclesiam Græcam, maximè ob successionem Episcopatûs, id sibi vindicare. Quid ipsis respondendum ?

R. Præter ea, quæ mox diximus de primatu Romani Pontificis ab ipsis Orientalibus Ecclesiis ultrò agnito, revocanda sunt in memoriam quæ et suprà à nobis dicta sunt ad objectionem petitam ex successione Episcopatûs, quâ gloriantur Hæretici nonnulli tam veteres quàm recentiores.

Sed his prætermissis duo sunt maximè, quibus nova isthæc Protestantium vel objectio vel suspicio invictissimè diluatur.

1. Dùm parentes eorum ab Ecclesiæ Romanæ communione recesserunt, non adjunxerunt se Ecclesiæ Græcæ. Non minùs ab eâ dissidere professi sunt quàm à nobis. *Discessionem à toto mundo facere coacti sumus*, inquit Calvinus. *Epist. ad Melanchtonem.* (P)

2. Ecclesia Græca post Schisma retinuit omnia dogmata ex quibus Protestantes sumpserunt occasionem separationis. Imò verò in multis capitibus, verbi grâtiâ, in invocatione Sanctorum et reliquiarum veneratione graviùs à Protestantibus arguuntur Græci quàm Latini.

3. Si quis attentiùs et diligentiùs disquirere voluerit quæ res Græcos à Latinis sejunxerint, processio nimirùm Spiritûs sancti à Patre et Filio, vox *Filioque* Symbolo addita, Panis azymus, cælibatus Presbyterorum, *Alleluia* tempore quadragesimæ non cantatum, et cætera id genus ; is facilè intelliget quod fatentur vel ipsi Heterodoxorum ministri doctiores, longè anteponendam esse Latinam Ecclesiam Græcæ Ecclesiæ, utpotè fidei et disciplinæ antiquioris tenaciorem, et in iis quæ ad substantiam Religionis non pertinent indulgentiorem.

(P) *Instruction pastorale de* M. L'Evêque de Meaux *sur les promesses de l'Eglise.* (*Art.* XVIII.) Ce n'est point à l'Eglise de Constantinople, ni aux autres siéges schismatiques d'Orient, que nos Réformés ont songé à s'unir en se divisant de l'Eglise Romaine avec tant d'éclat et de scandale. Avouez, nos chers frères, une vérité qui est trop constante pour être niée. Rien ne vous accommodait dans tout l'univers ; tout le monde sait que ce sont les Pères de l'Eglise Grecque qui ont mis les premiers de tous au rang des Hérétiques un Aërius, pour avoir cru inutiles les prières et les oblations pour l'expiation des peches des morts, et pour d'autres points qui nous sont communs avec eux.

I. Supponamus Ecclesiam Catholico-Romanam in errorem reipsâ incidisse, ut contendunt omnes Hæretici; hoc posito, nonne ab eâ recedendum esset?

R. Falsa omninò suppositio. Nullum unquam in errorem incidit Ecclesia Catholico-Romana. Id facilè probari potest expendendo singula Ecclesiæ dogmata (ut reipsâ expendimus in serie totius hujusce Operis.)

Sed prætermisso hoc examine, quod nonnisi à paucis fieri potest, nemo est qui non intelligat impiam et Christo injuriosam esse hanc hypothesim, quâ supponitur Ecclesia Catholico-Romana posse errare. Id probo facili hocce ratiocinio, quod nullius hominis veritatis studiosi captum superat.

Fatentur nobiscum Protestantes Ecclesiam Catholico-Romanam, id est, Ecclesiam cujus caput est Romanus Pontifex, fuisse veram Christi Ecclesiam quinque sexve prioribus seculis: quo tempore Græci idem sentiebant. Id si ita est, Ecclesia Catholico-Romana nunquam potest in errorem incidere. Nam vera Christi Ecclesia nunquam potest in errorem incidere: hæc societas etiam nunc est vera Christi Ecclesia, quæ semel fuit. Jam probavimus ex Christi solemnibus promissis Ecclesiam nec posse errare, nec posse deficere, nec suâ posse unitate et sanctitate excidere. Ergo fieri non potest ut Ecclesia Catholico-Romana in errorem, in ruinam, in desolationem cadat, ut status illius interrumpatur. Ergo nunquam licitum fieri potest ab eâ secedere.

I. Per te mihi liceat, quæso, morari te paulisper, et revocare ad supradicta. Dixisti superiùs id recentioribus Hæreticis, veterum Hæreticorum instar, in more esse positum, ut in plures sectas scindantur, nec proindè teneant unitatem catholicam, quæ tamen est una ex notis quatuor et tesseris veræ Ecclesiæ. Vereor ne et ipsi hoc genus argumenti possint et in Catholicos retorquere: sunt enim apud Theologos Catholicos variæ sectæ, nimirùm Thomistarum, Scotistarum, Nominalium, aliorumque ejusmodi, qui scinduntur inter se, variasque in sententias abeunt circa graves articulos: quin et non desunt inter eos, qui oppugnatores suæ sententiæ hæreticos appellare non vereantur. Vivunt tamen in eâdem communione cum adversariis suis: itaque tuum illud argumentum ruit prorsùs; vel enim nihil probat, vel adversùs Ecclesiam ipsam convertitur?

R. Multum interest discriminis Catholicos inter et Hæreticos circa varietatem opinionum, quæ hinc indè in scholis disceptantur. Id enim constat inter Catholicos omnes, standum esse judicio Ecclesiæ, ubi illa quæstionem ventilatam et disputatam definierit. Itaque pronuntiet Ecclesia, et cessant illicò omnes eâ de re controversiæ inter Catholicos. Disputant quandoque Theologi de sensu definitionis

Ecclesiæ, sed disputant solùm donec ipsa mentem suam circa sensum definitionis aperuerit, statim illi adhæsuri. Fateor non deesse Theologos plus æquo audaciores, qui nondùm exspectatâ Ecclesiæ definitione, vel oppositam sibi sententiam hæreticam pronuntient, vel adversantes sibi Theologos hæreticos appellent. Horum audaciam non probat Ecclesia, imò coercet, ut patet ex multis Romanorum Pontificum sanctionibus, quibus prohibetur ne quis contra suam opinionem sentientes hæreseos postulet, donec res in controversiam posita ab Ecclesiâ definita fuerit. (Q) Circa controversias ejusmodi non semper pronuntiat Ecclesia, plerumque enim agitur tunc inter Theologos de rebus ad fidem idcircò non pertinentibus, quia nec Scripturâ sacrâ nec Traditione satis liquet quid eâ de re sentiendum omninò sit : atque adeò licet unicuique tenere sententiam, quæ sibi verior visa fuerit, servatâ tamen charitate et pace cum iis, qui contrà sentiunt, et in eâdem Ecclesiæ communione versantur. Neque enim à nostrâ communione repellere fas est, nisi quos Ecclesia abscindendos à communione clarè et distinctè pronuntiaverit. Id ipsum uno ore profitentur omnes Catholici.

Non ita recentiores Hæretici, quos Protestantes dicimus. Ipsi quippè à se invicem dissidentes, contra unam Ecclesiam coadunantur. Ipsi oppositas in sententias abeunt circa Articulos quos fundamentales appellant. Ipsi inter se pugnant nullam agnoscentes auctoritatem, quæ possit controversias certò dirimere, et dissidentes revocare ad unitatem fidei. Non ergo tenent unitatem Catholicam.

§. 8. De Prœliis Militantis Ecclesiæ : Et primùm de iis quæ sustinet adversùs dæmones.

I. Nunquid Ecclesia militans ita à Christo Domino regitur et fovetur, ut nulla prœlia sustineat, nulla timeat ?

R. Imò verò ; ideò dicitur militans, quia hostes habet et habuit et habebit semper in terris, adversùs quos prœlietur et militet. Sed eos et vicit et vincet semper. Adversùs

(Q) *Vide Constitutionem* SIXTI IV. *quæ incipit* Grave nimis, *quæ exstat in Extravagantibus communibus, Titulo* de Reliquiis et veneratione Sanctorum, *in quâ* de Conceptione Immaculatâ Beatæ Mariæ Virginis *agens, retat* alterutram opinionem hæreseos vel peccati mortalis labe notari, donec quæstio ab Ecclesiâ Romanâ et Apostolicâ sede decisa fuerit, idque sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ, et summo Pontifici reservatæ. *Quam quidem Constitutionem Tridentina Synodus œcumenica sub pœnâ in eâ contentâ renovat sessione quintâ, Decreto* de peccato originali.

Vide etiam eâ de re Constitutionem PII V. *quæ incipit* Super, *in Extravagantibus communibus titulo eodem. Item Constitutionem* PAULI V. *quæ incipit* Regis pacifici. *Tres illæ Constitutiones exscribentur infrà Parte* 2, *Sectione* 4. De præceptis Ecclesiæ, (*Cap.* 2. §. 16.) *ubi* de Festo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis *sermo fiet.*

Quæ de Ecclesiâ diximus confirmantur in tractatu de Fide, *quem inseruimus in* 2. *Parte hujusce Operis Sect.* 2. *Cap.* 2. *quem ad pleniorem hactenùs dictorum intelligentiam consule.*

eam portæ inferi quotidiè vim faciunt, sed non prævalebunt unquam. (*Matth.* VII. 25.) *Descendunt quotidiè pluviæ, veniunt flumina, flant venti, et irruunt in domum illam, et non cadet; fundata enim est super Petram.* (A)

I. Quos hostes habet in terris Ecclesia Christi ?

R. Hostes habet internos et externos. Externi sunt, dæmones, Ethnici, Judæi, Hæretici, Schismatici, Excommunicati. Interni sunt mali et perversi Catholici.

Nec Ecclesia solùm, sed et unusquisque fidelis hostes habet quibuscum prælietur et intra et extra se. Prælia hæc tentationes dicuntur. (B)

(A) MATTH. XVI. 18. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.

S. AUG. *De Symbolo ad Catheeumenos, c.* 6. *n.* 13. *Vide suprà* §. 4. *hujusce Cap. litt.* (C)

Serm. 2. *in Psal.* LXX. *n.* 12. Quandiù hic est Ecclesia, quandiù gemit triticum inter paleas, quandiù gemunt spicæ inter zizania, quandiù gemunt vasa misericordiæ inter vasa iræ facta in contumeliam, quandiù gemit lilium inter spinas, non deerunt inimici qui dicant: Quando morietur et peribit nomen ejus? id est, ecce veniet tempus, ut finiantur, et non sint Christiani.... Sed cùm ista dicunt,... et permanet Ecclesia prædicans brachium Domini generationi venturæ.

Sermon. 75. *de verbis Evang. Matth. aliàs* 22. *de divers. c.* 3. *n.* 4. Intereà navis portans discipulos, id est, Ecclesia, fluctuat et quatitur tempestatibus tentationum, et non quiescit ventus contrarius, id est, adversans ei diabolus, et impedire nititur ne perveniat ad quietem. Sed major est qui interpellat pro nobis. Nam in istâ nostrâ fluctuatione in quâ laboramus, dat nobis fiduciam, veniens ad nos, et confortans nos: tantùm ne turbati in navi excutiamus nos, et projiciamus in mare. Quia etsi turbatur navis, navis est tamen. Sola portat discipulos, et recipit Christum. Periclitatur quidem in mari: sed sine illâ statim peritur. Tene te itaque in navi, et roga Deum. Deficientibus enim omnibus consiliis, cùm neque gubernacula suffecerint, et ipsa velorum extensio majori periculo quàm utilitati fuerit, dimissis humanis omnibus adjutoriis, et viribus, sola restat nautis intentio deprecandi et voces ad Deum fundendi. Qui ergo præstat navigantibus, ut perveniant ad portum, nunquid Ecclesiam suam dimissurus est, ut eam non perducat ad requiem?

Cap. 4, *n.* 5. Tamen.... maxima perturbatio in ista navi non est, nisi in absentiâ Domini. In Ecclesiâ constitutus, absentem habet Dominum. Quando habet absentem Dominum? Quando vincitur aliquâ cupiditate... in istâ navi, cùm absens est Christus, suis quisque tempestatibus quatitur, et iniquitatibus et cupiditatibus suis.

(B) S. AUG. *in Psal.* IX. *n.* 19. Cùm impii ad magnam, quæ videtur hominibus felicitatem, pervenerunt.... Laborans ergo Ecclesia illis temporibus, tanquam navis in magnis fluctibus, et procellis, quasi dormientem excitat Dominum, ut imperet ventis, et tranquillitas redeat.

In Psal. X. *n.* 4. Potest ergo et de persecutoribus Martyrum intelligi, quòd sagittare voluerint in obscurâ lunâ rectos corde: sive adhuc in Ecclesiæ novitate, quia nondùm terris major effulserat, et gentilium superstitionum tenebras vicerat: sive linguis blasphemorum, et Christianum nomen malè diffamantium, quasi nebulis cùm terra obtegeretur, videri perspicua luna non poterat, id est, Ecclesia: sive ipsorum Martyrum cædibus, et tantâ effusione sanguinis, tanquam illo defectu et obscuratione, quâ cruentam faciem luna videtur ostendere, à nomine Christiano deleri rebantur infirmi: in quo terrore verba dolosa et sacrilega jaculabantur peccatores, ut etiam rectos corde perverterent. Potest et de his peccatoribus intelligi, quos Ecclesia continet, quòd tunc inventâ occasione hujus lunæ obscuræ, multa commiserint, quæ nobis opprobria nunc objiciuntur ab hæreticis.

I. Quomodò dæmones insurgunt adversùs Ecclesiam ?

R. 1. Suscitando adversùs eam persecutionem , schismata , hæreses , aliosque hostes omnes , quos mox commemoravimus.

2. Agendo modis omnibus ut quàm plurimos secum in ruinam Christianos trahant. (C)

Serm. 3. *In Psal.* XXX. *n.* 6... Qui sunt inimici Ecclesiæ ? Pagani , Judæi ? Omnibus pejus vivunt mali Christiani.... Cùm dicit (*Petrus Apostolus* 2. *Epist.* II. 21.) melius erat illis non cognoscere viam justitiæ , nonne judicavit meliores esse inimicos foris positos , quàm intùs malè viventes , quibus premitur et gravatur Ecclesia.... Quàm multos enim putatis , fratres mei , velle esse Christianos , sed offendi malis moribus Christianorum ?

Lib. 18. *de Civit. Dei* , *c.* 51. *n.* 1. *Vide suprà* §. 3. *litt.* (H) *hocce Capite.*

N. 2. Nam et id quod ait Apostolus (2. *Timoth.* III. 12.) *Quicunque volunt in Christo piè vivere , persecutionem patientur* , nullis putandum est deesse temporibus. Quia et cùm ab eis qui foris sunt non sævientibus , videtur esse tranquillitas , et reverà est , ... non tamen desunt , immò multi sunt intùs , qui corda piè viventium suis perditis moribus cruciant : quoniam per eos blaphematur Christianum et Catholicum nomen : quod quantò est carius eis , qui volunt piè vivere in Christo , tantò magis dolent , quòd per malos intùs positos fit , ut minùs quàm piorum mentes desiderant , diligatur. Ipsi quoque hæretici , cùm cogitantur habere nomen et sacramenta Christiana , et Scripturas , et professionem , magnum dolorem faciunt in cordibus piorum : quia et multi volentes esse Christiani , propter eorum dissensiones hæsitare coguntur , et multi maledici etiam in his inveniunt materiam blasphemandi Cristianum nomen ; quia et ipsi quoquomodò Christiani appellantur. His atque hujusmodi pravis moribus et erroribus hominum persecutionem patiuntur qui volunt in Christo piè vivere ; etiam nullo infestante , neque vexante corpus illorum. Patiuntur quippè hanc persecutionem , non in corporibus , sed in cordibus.. Dolor autem ipse , qui fit in cordibus piorum , quos persequuntur mores Christianorum malorum , sive falsorum prodest dolentibus ; quoniam de charitate descendit , quâ eos perire nolunt , nec impedire aliorum salutem. Denique magnæ consolationes fiunt de correctionibus eorum , quæ piorum animas tantâ jucunditate perfundunt. Sic in hoc seculo in his diebus malis , non solùm à tempore corporalis præsentiæ Christi , et Apostolorum ejus , sed ab ipso Abel , quem pium justum impius frater occidit , et deinceps usque in hujus seculi finem , inter persecutiones mundi et consolationes Dei peregrinando procurrit Ecclesia.

(C) S. AUG. *In Psal.* CIII. *serm.* 4. *p.* 6... Nostis inimicum Ecclesiæ quemdam draconem : non vidistis oculis carnis , sed videtis oculis fidei. Ipse est qui et leo dicitur : de illo Scriptura dicit , (*Ps.* XC. 13.) *conculcabis leonem et draconem.* Subditus est iste capiti tuo , subdetur et corpori ejus ; hæreant tantùm membra capiti suo , ut membra ejus sint.... Nostis enim et quid dictum est mulieri , vel potiùs serpenti , cùm audiret Deus peccatum primi hominis : (*Gen.* III. 15.) Ipsa tuum observabit caput , et tu ejus observabis calcaneum. In magno mysterio dictum , in figurâ dictum Ecclesiæ futuræ , factæ de latere viri sui , et hoc dormientis... Quid ergo dictum est Ecclesiæ ? Jam modò audite , intelligite , cavete : Ipsa tuum observabit caput , et tu ejus calcaneum. O Ecclesia , caput serpentis observa. Quod est caput serpentis ? Prima peccati suggestio. Venit tibi in mentem nescio quid illicitum : noli ibi tenere mentem tuam , noli consentire. Hoc quod evenit in mentem , caput serpentis est : caput calca , et evades cæteros motus. Quid est , caput calca ? Ipsam suggestionem contemne.

N. 7. Hic ergo draco , antiquus hostis noster , irâ fervidus , insidiis astutus , in mari magno est... Nisi permissus nihil potest. Tu sic age ne permittatur in te ; aut si permissus fuerit ad tentandum , victus abscedat et non possideat. Permissus est enim ad tentandos quosdam sanctos viros famulos Dei : superaverunt eum , quia de viâ non recesserunt..... Nihil sibi dia-

I. Frequenter-ne accidit suscitari à dæmonibus adversùs Ecclesiam persecutiones ?

R. Frequentissimè. Jam vidimus (*hujusce Sect. Cap. superiori* §. 4.) diras per annos trecentos à morte Christi passam fuisse Ecclesiam persecutiones. Ex eo tempore variæ diversis locis et temporibus fuêre persecutiones sævissimæ. Acerbissima sub finem seculorum excitabitur per Antichristum. Nihil aliud promisit Christus Discipulis suis in hoc mundo quàm pressuras, et cruces, *omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur, mali autem homines et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes*, inquit Apostolus. (2. *Tim.* III. 12.) (D) Adeòque nunquam desunt Ecclesiæ persecutiones, ut ait S. Augustinus, sive apertæ sint, sive occultæ, sive generales, sive particulares. (E)

bolus tribuat, voluntatem habet nocendi, potestatem autem nisi acciperet, non haberet... Muratam civitatem forinsecùs oppugnavit, sed non expugnavit.

Enarr. in Ps. CXXVII. *n.* 16... Audistis cùm legeretur Apostolus, (2. *Tim.* III. 12.) quia omnes qui volunt piè vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur. Non enim modò, quia diabolus per Reges non sævit, ideò Christiani non patiuntur persecutionem. Si mortuus est diabolus, mortuæ sunt persecutiones : si autem ille adversarius noster vivit, undè non tentationes suggerit? Undè non sævit? Undè non minas aut scandala procurat? O si incipias piè vivere, videbis quia omnis, qui vult piè vivere in Christo Jesu, persecutionem patietur : ... videtis quia pugnæ non desunt, et pugnamus cum concupiscentiis nostris : pugnamus foris cum infidelibus, et inobedientibus hominibus : pugnamus intùs cum suggestionibus, cum perturbationibus carnalibus. Ubique pugnamus adhuc, quia (*Sap.* IX. 15.) corpus quod corrumpitur, aggravat animam..... Concupiscentiæ delectationum carnalium contra nos pugnant.

(D) S. AUG. *In Psal.* XXXIX. *n.* 1. Sparsus est sanguis justus, et illo sanguine, tanquam seminatione per totum mundum factâ, seges surrexit Ecclesiæ. Consequens autem tempus est scandalorum et simulationis et tentationum, per eos qui dicunt : Ecce hic est Christus, ecce illic. Hostis ille noster, tunc leo fuit, cùm apertè sæviebat : modò draco est, cùm occultè insidiatur... Serpens ergo ille adulter antiquus, virginitatem corrumpendam non carnis, sed cordis inquirit... Sicut autem patribus nostris adversùs leonem opus erat patientiâ, sic nobis adversùs draconem vigilantiâ. Persecutio tamen sive à leone, sive à dracone nunquam cessat Ecclesiæ : et magis metuendus est cùm fallit, quàm cùm sævit.

(E) S. AUG. *In Psal.* LIV. *n.* 8... Id mihi præcipitur ut inimicos diligam, convicia istorum crebrescentia et adumbrantia me, commovent vultum meum, perturbant oculum meum, perturbant lumen meum, appetunt cor meum, interficiunt animam meam... Conatur ergo homo plerumque corrigere homines distortos, pravos, pertinentes quidem ad curam suam.... corrigere non potest, pati necesse est... Non desunt Ecclesiæ persecutiones, etiam in hoc tempore, quando tranquillitas videtur Ecclesiæ... non autem desunt persecutiones, quia verum est illud. (2. *Tim.* III. 12.) Omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur. Aliorum infirmitates, aliorum scandala, persecutiones (*Apostolo*) fuerunt. Nunquid ergo desunt, hoc tempore?

In Psal. LXIX. *n.* 2... *Martyres*, jam coronati sunt, nos adhuc periclitamur : non quia tales nos persecutiones urgent, quales ipsos urserunt, sed fortassè pejores in omnimodis generibus tantorum scandalorum. Nostra enim tempora magis abundant illo væ, quod clamavit Dominus? (*Matth.* XVIII. 7.) Væ mundo ab scandalis.... Nunc ergo jam Christo in cœlo sedente, jam glorificato, jam subjectis cervicibus Regum jugo ejus, et suppositis eorum frontibus signo ejus, jam nullo remanente qui palàm

I. Quomodò defendit se Ecclesia ab hisce persecutionibus?

R. Fide, patientiâ, fiduciâ in Deum, oratione. Iis armis spiritualibus munita vincit semper. Stat semper Ecclesia pro veritate et justitiâ, quæ quidem nunquam possunt à dæmone superari. *Occultari potest ad tempus veritas*, inquit S. Augustinus, (*in Ps.* LXI. *n.* 16.) *vinci non potest.* (F)

Christianis audeat insultare; adhuc tamen inter organa et symphoniacos gemimus. Adhuc illi inimici Martyrum, quia vocibus et ferro non possunt, eos suâ luxuriâ persequuntur... Videmus etiam portantes in fronte signum ejus, simul in ipsâ fronte portare impudentiam, luxuriam, diebusque et solemnitatibus Martyrum non exultare, sed insultare. Et inter hæc gemitus, et hæc persecutio nostra est, si est in nobis charitas. Nullus ergo servus Dei sine persecutione..... Videris undè, videris quomodò, diabolus ille biformis est.... Leo est in impetu, draco in insidiis. Leo minetur, inimicus est: draco insidietur, inimicus est... Quando nos securi?... Tentare ergo non cessat, insidiari non cessat... Fremunt dentes impiorum adversùs dignitatem Ecclesiæ, et pacem Christianorum, et quia non habent quid agant sæviendo; saltando, blasphemando, luxuriando, non impellunt corpora Christianorum, sed lacerant animas Christianorum.

In Psal. XCIII. *n.* 19. Et omnes Christiani patiuntur: et si non sæviunt homines, sævit diabolus.

De utilitate Jejunii, c. 8. *n.* 10. *tom.* 6. *Edit. BB.* Non inveniat Paganus occasionem, quâ nolit esse Christianus. Concordemus, fratres, colentes unum Deum, ut et illos deserere multos Deos exhortemur quodammodò nostrâ concordiâ, ut ad pacem et ad unitatem veniant colendi unum Deum... Non præferant nobis quasi concordiam suam, non sibi tanquam de unitate suâ placeant. Hostem quippè quem patimur, illi non patiuntur: illos et non ista agentes ipse possidet..... At verò cùm desereretur, et multi ad unum Deum concurrerent, ejus sacrilega sacramenta desererent, templa everterent, idola frangerent, sacrificia prohiberent, vidit se perdidisse quos tenebat, vidit à suâ familiâ recessisse, verum Deum cognovisse: quid faceret? Quomodò insidiaretur? Concordes nos scil quòd possidere non possit, unum Deum nobis dividere non potest, falsos Deos nobis supponere non potest; sentit esse vitam nostram charitatem, mortem nostram dissensionem: lites immisit inter Christianos, quia multos Deos non potuit fabricare Christianis; sectas multiplicavit, errores seminavit, hæreses instituit. Sed quidquid fecit, de paleâ dominicâ fecit. Ecce securitas nobis est licèt illo sæviente, licèt illo insidiante, et dissensiones varias inter Christianos seminante, si Deum nostrum agnoscamus, si concorditer teneamus, si fidem servemus, securi sumus.

(F) S. AUG. *In Psal.* CXXXI. *n.* 3.... David præsumens de Domino Deo suo, confecit bella omnia, prostravit omnes inimicos suos, Deo se adjuvante.... præfigurans fortem manu quemdam ab bellandos inimicos, diabolum et angelos ejus. Hos autem inimicos Ecclesia debellat; et quomodò debellat? mansuetudine. Mansuetudine enim ipse rex noster vicit diabolum. Sæviebat iste, iste sufferebat. Victus est qui sæviebat, vicit qui sufferebat. In istâ mansuetudine corpus Christi, quod est Ecclesia, vicit inimicos.

De Agone Christiano, c. 12. *n.* 13. Pauci autem adhuc murmurant, et inani livore torquentur, aut qui sua quærunt in Ecclesiâ, quamvis videantur Catholici, aut ex ipso Christi nomine gloriam quærentes hæretici, aut peccatum impietatis suæ defendere cupientes Judæi, aut curiositatem vanæ licentiæ perdere timentes Pagani. Sed Ecclesia Catholica per totum orbem, longè latèque diffusa, impetus eorum prioribus temporibus frangens, magis magisque roborata est: non resistendo, sed perferendo. Nunc verò insidiosas eorum quæstiones fide irridet, diligentiâ discutit, intelligentiâ dissolvit: criminatores palearum suarum non curat: quia tempus messis, et tempus arearum, et tempus horreorum cautè diligenterque distinguit: criminatores autem frumenti sui, aut errantes corrigit, aut invidentes inter spinas et zizania computat.

I. Quid agit diabolus ut trahat Christianos in ruinam.

R. Mille nocendi artes : nunc hos, nunc decipit illos, adhibitis pro diversitate studiorum et ingeniorum tentationibus, suggestionibus, promissis, minis. Hæc omnia eò recidunt ut abstrahantur homines à Deo, et adhæreant mundo; atque ita inducantur in errorem et corruptionem et perditionem; et semel inducti ne reviviscant. (G)

(G) S. HIERONYM. *Epist.* 5. *ad Heliodorum*, *aliàs* 1. Erras, frater, erras, si putas unquam Christianum persecutionem non pati : et tunc maximè oppugnaris, si te oppugnari nescis. Adversarius noster tanquam leo rugiens, aliquem devorare quærens circumit, et tu pacem putas? Sedet in insidiis cum divitibus, ut in occultis interficiat innocentem : oculi ejus in pauperem respiciunt : insidiatur in occulto, sicut leo in speluncâ suâ : insidiatur ut rapiat pauperem; et tu frondosæ arboris tectus umbraculo, molles somnos, futura præda, carpis? Indè me persequitur luxuria : indè avaritia conatur irrumpere; indè venter meus vult mihi Deus esse pro Christo : compellit libido, ut inhabitantem in me Spiritum sanctum fugem, ut templum ejus violem : persequitur, inquam, me hostis, cui nomina mille, mille nocendi artes : et ego infelix victorem me putabo, dùm capior?

S. AUG. *In Psal.* XXX. *Enarrat.* 2. *n.* 10.... Muscipulam suam diabolus tetendit usque in finem : et væ illi, qui in illam muscipulam cadit. Cadit autem omnis, qui non sperat in Deum,.... extenta est et parata muscipula inimici. Posuit in muscipula errorem et terrorem : errorem quo illiciat, terrorem quo frangat, et rapiat :.... Totum ergo corpus Christi tentatur usque in finem.... At ubi finita sunt illa, quæ totum corpus impingebant ut caderet, cœpit tentatio esse per partes. Tentatur corpus Christi, una Ecclesia non patitur persecutionem, alia patitur : non patitur furorem Imperatoris, sed patitur furorem mali populi : Quantæ vastationes à plebibus? quanta mala ingesta sunt Ecclesiæ à malis Christianis, ab eis qui capti in illo retiaculo, tam multiplicati sunt, ut premerent naves in piscatione illâ Domini ante passionem? Non ergo desunt pressuræ tentationis. Nemo sibi dicat, non est tempus tentationis : qui sibi hoc dicit, pacem sibi promittit : qui sibi pacem promittit, securus invaditur.

In Psal. CVI. *n.* 4.... Fac enim hominem primò nihil quærentem, secundùm vitam veterem seductoriâ securitate viventem, nihil putantem aliud esse post hanc vitam quandoque finiendam, negligentem quemdam et socordem, obrutum cor habentem illecebris mundi, et mortiferis delectationibus consopitum : ut excitetur iste ad quærendam gratiam Dei, ut fiat sollicitus, et tanquam de somno evigilet, nonne manus Dei excitat eum? Sed tamen à quo sit excitatus, ignorat. Incipit autem esse jam Dei, cùm cognoverit veritatis fidem : sed antequam cognoscat, dolet errorem suum. Invenit enim se in errore, vult cognoscere veritatem, pulsat ubi potest, tentat quod potest, famem etiam patitur ipsius veritatis. Prima ergo tentatio est erroris, et famis.

N. 5. Invenit ergo se ligatum difficultatibus cupiditatum, et non posse viam propter compedes ambulare : inclusum se sentit difficultate viliorum; et tanquam muro impossibilitatis erecto, portisque clausis, quà evadat, ut rectè vivat, non invenit. Jam scit quomodò vivere debeat : priùs enim in errore erat, et famem veritatis patiebatur; accepit autem jam cibum veritatis, et positus est in via; audit, Vive benè secundùm quod nosti; anteà enim non noveras quemadmodùm viveres, modò accepisti et nosti. Conatur, non potest; ligatum se sentit, exclamat ad Dominum. Secunda ergo tentatio est difficultatis in benè operando, sicut illa prima erroris, et famis.

N. 6. Tertia tentatio excipit hominem.... Multi luctantur cum difficultatibus vitiorum suorum, et adhuc consuetudine colligati gemunt, tanquam in clausurâ et compedibus....Vide arctissima vincula : caro, inquit, (*Galat.* V. 17.) concupiscit adversùs spiritum, et spiritus adversùs carnem, ut non ea quæ vultis, illa faciatis. Proindè qui jam est adju-

I. Trahit-ne reverà diabolus plurimos secum in ruinam?

R. Horresco referens. Mirum quot Christiani dæmonis arte vincantur; quàm pauci vincant.

tus spiritu, ut quemadmodùm noluit esse adulter, sic non sit; quomodò noluit esse fur, sic non sit; et cætera illa omnia, quæ volunt homines vincere, et sæpè inflexi superantur, ut exclament ad Deum, ut de necessitatibus eorum eruat eos, et indè liberati confiteantur Domino miserationes ejus: quisquis ergo talis est, et vicit illas difficultates, et probabiliter jam conversatur inter homines, sine ullâ querelâ malorum morum, excipitur tentatione tertiâ tædii cujusdam in morâ hujus vitæ, ita ut aliquando eum nec legere nec orare delectet. Tertia tentatio priori contraria: priùs enim periclitabatur fame, posteà fastidio; undè et hoc, nisi de quodam languore animæ? Jam non te illicit adulterium, nec tamen delectat Dei Verbum. Jam post periculum imperitiæ, et concupiscentiæ, de quibus duobus te evasisse lætaris; vide ne tædium fastidiumque necet.

N. 7. Liberatus autem ab errore, liberatus à difficultate benè operandi, liberatus à tædio fastidioque verbi Dei, forlassis dignus eris cui populus committatur, constituaris in gubernaculis navis, rectorus Ecclesiam. Ibi quarta tentatio. Tempestates maris quatientes Ecclesiam, turbant gubernatorem. Denique tres illas tentationes experiri potest omnis pius fidelis in populo Dei: quarta ista nostra est. Quantò enim plus honoramur, tantò plus periclitamur.

Serm. 46. *aliàs* 165. *de temp. de Pastoribus c.* 5. *n.* 11. Quia Christianus est, aliquid plus passurus est in hoc seculo. Etenim ait Apostolus, (2. *Tim.* III. 12.) omnes qui volunt in Christo piè vivere, persecutionem patientur.... Attende ad passiones Christi... attende Scripturam dicentem tibi, (*Hebr.* XII. 6.) Flagellat autem omnem filium, quem recipit. Et para te flagellari, aut certè non quæras recipi.

Serm. 62. *aliàs* 5. *de verbis Domini, c.* 10. *n.* 15. Certi estote, fratres, inimicos non admitti adversùs fideles, nisi quantùm prodest tentandis et probandis fidelibus.... Omnem curam vestram super Dominum mittite, prorsùs vos ipsos totos projicite in illum: non se subducit ut cadatis.... Tu de illius sinu noli cadere: quidquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, non ad perniciem.

S. LEO *Serm.* 26. *In nativ. Domin.* 1. *cap.* 3.... Multâ sollicitudine præcavendum est Christianis, ne diabolicis iterùm capiantur insidiis, et eisdem rursùs, quibus renuntiaverant, erroribus implicentur. Non enim desinit hostis antiquus, transfigurans se in Angelum lucis, deceptionum laqueos ubique prætendere, et ut quoquomodò fidem credentium corrumpat, instare. Novit, cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ. Novit, quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus; et ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit studiosiùs occupari. Habet etenim multos ex eis, quos tenaciùs obligavit, aptos suis artibus, quorum ad alios decipiendos in ingeniis utatur et linguis.

Serm. 68. *de Passione* 19. *cap.* 5.... Passio enim Domini usque ad finem producitur mundi: et sicut in Sanctis suis ipse diligitur, et in pauperibus ipse pascitur, ipse vestitur; ita in omnibus, qui pro justitiâ adversa tolerant, ipse compatitur: nisi fortè æstimandum est, multiplicatâ per orbem fide, et rarescente impiorum numero, omnes persecutiones, et omnia, quæ adversùs beatos Martyres sævierant, finita esse certamina.... Sed aliud servientium Deo pietas, experitur, aliud etiam Apostoli prædicatio protestatur, qui dicit: (2. *Tim.* III. 12.) *omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur.* Quâ sententiâ nimis tepidus et segnis ostenditur, qui nullâ persecutione pulsatur. Pacem enim cum hoc mundo nisi amatores mundi habere non possunt, et nulla unquam iniquitati cum æquitate communio, nulla mendacio cum veritate concordia, nullus est tenebris cum luce consensus. Quia etiamsi pietas bonorum cupiat malos corrigi, conversionemque multo-

I. Cur tot Christiani vincuntur ?

R. Quia non potest superari diabolus nisi ab iis qui jugiter vigilant et orant (H), qui ex fide vivunt (I), qui sibi quotidiè vim faciunt (K), qui sibi et mundo mortui soli Deo vivunt (L), qui gradiuntur et ad finem usque perseverant in viâ asperâ et angustâ. (M) At in paucis omninò Christianis inest satis fidei, constantiæ, virtutis, ut vitæ genus adeò contrarium omnibus naturæ corruptæ studiis et propensionibus amplectantur et teneant. Alii sunt increduli (N), alii in rebus divinis et timidi et vacillantes. Plerique malunt frui vitæ præsentis commodis et voluptatibus, quàm pugnare, ut ipsi putant, in incertum. Alii temerè confidunt futurum tandem ut ad Deum convertantur; et intereà peccant impunè : quasi verò jus ad Dei misericordiam acquireretur iterato Dei contemptu, et assiduâ divinæ ultionis provocatione. (O) Multi fictitiæ pœnitentiæ

rum per gratiam Dei miserentis obtineat : malignorum tamen spirituum adversùs sanctos insidiæ non quiescunt, et sive occulto dolo, sive aperto prælio, in omnibus fidelibus propositum bonæ voluntatis infestant. Inimicum namque est illis, omne quod rectum, omne quod castum est. Et cùm eis nihil in quemquam ampliùs liceat, quàm justitia divina permiserit, quæ dignatur suos aut corripere disciplinâ, aut exercere patientiâ; agunt tamen versutissimâ arte fallaciæ, ut ex arbitrio propriæ potestatis, aut lædere videantur, aut parcere : et multis, quod dolendum est, ita per nequitiam simulationis illudunt, ut quidam illos et timeant pati infensos et velint habere placatos, cùm beneficia dæmonum omnibus sint nocentiora vulneribus; quia totius est homini inimicitiam diaboli meruisse, quàm pacem.

(H) MATTH. XXVI. 41. Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

(I) ROM. I. 17. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem : sicut scriptum est : (*Habac.* II. 4.) : Justus autem ex fide vivit.

(K) MATTH. XI. 12. A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.

XVI. 24. Tunc Jesus dixit discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

(L) JOAN. XV. 19. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret : quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

1. JOAN. II. 15. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo : 16. Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ : quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.

(M) MATTH. VII. 14. Quàm angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam : et pauci sunt, qui inveniunt eam !

(N) LUC. XVIII. 8. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terrâ ?

APOC. XXI. 8. Timidis autem, et incredulis, et exsecratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure : quod est mors secunda.

(O) PROV. I. 24. Quia vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. 25. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. 26. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit. 27. Cùm irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit : quando venerit super vos tribulatio, et angustia.

umbrà delusi, nunquam reipsâ convertuntur ad Deum. Atque ita occupat tandem mors homines et pereunt.

I. Quomodò repellit Ecclesia dæmonum conatus et insidias?

R. Gemit Ecclesia columbæ instar, et luget tot filiorum suorum ruinam. (P) Orat indesinenter ad obtinendam conversionem malorum et perseverantiam justorum. Docet, hortatur, arguit, corrigit, sævit, minatur, plectit, excommunicat: (Q) tandem omni ope atque operâ enititur, ut prædam dæmonibus eripiat: atque ita obtinet tandem salutem eorum omnium, qui scripti sunt in libro vitæ. (R)

§. 9. De Prælliis Ecclesiæ militantis adversùs Ethnicos, Judæos, Hæreticos et Schismaticos.

I. Quomodò insurgunt Ethnici et Judæi adversùs Ecclesiam?

R. Impugnando veritatem Christianæ Religionis.

I. Quomodò eos Ecclesia revincit?

R. Opponendo ipsis, 1. Veritatem Prophetiarum, quæ manifestissimis eventibus adimpletæ sunt. 2. Christi miracula. 3. Evangelicæ doctrinæ sanctitatem. 4. Mirabilem Christianæ Religionis propagationem. 5. Miracula certissima, quæ quolibet seculo identidem facta sunt, ut Christianæ veritas Religionis evidentiùs pateret. (A)

Eccli. v. 8. Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. 9. Subitò enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.

Luc. xxi. 34. Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapulâ, et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa. 35. Tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. 36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.

(P) Rom. ix. 1. Quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo.

(Q) 2. Thess. iii. 14. Quòd si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur. 15. Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.

2. Tim. iv. 2. Prædica verbum, insta opportunè, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientiâ et doctrinâ.

(R) Galat. iv. 19. Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis.

(A) S. Aug. *de Civit. Dei, Lib.* 10. *cap.* 32. *n.* 2.... Hæc est igitur universalis animæ liberandæ via, quam sancti Angeli sanctique Prophetæ priùs in paucis hominibus,.... et maximè in Hebræâ gente, cujus erat ipsa quodammodò sacrata Respublica, in prophetationem et præmeditationem civitatis Dei ex omnibus gentibus congregandæ, et tabernaculo et templo et sacerdotio et sacrificiis significaverunt, et eloquiis quibusdam manifestis, plerisque mysticis, prædixerunt. Præsens autem in carne ipse Mediator, et beati ejus Apostoli jam Testamenti novi, rationem revelantes apertiùs indicârunt, quæ aliquantò occultiùs superioribus sunt significata temporibus, pro ætatum generis humani distributione; sicut eam Deo sapienti placuit ordinare, mirabilium operum divinorum, quorum superiùs pauca jam posui, contestantibus signis. Non enim apparuerunt tantummodò visiones angelicæ, et cœlestium ministrorum sola verba sonuerunt: verùm etiam hominibus Dei verbo, simplici pietatis agentibus, spiritus immundi de hominum corporibus ac

sensibus pulsi sunt : vitia corporis languoresque sanati ; fera animalia terrarum et aquarum , volatilia cœli , ligna , elementa , sidèra , divina jussa fecerunt , inferna cesserunt , mortui revixerunt : exceptis ipsius Salvatoris propriis singularibusque miraculis , maximè nativitatis et resurrectionis ; in quorum uno maternæ virginitatis tantummodò sacramentum , in altero autem etiam eorum , qui in fine resurrecturi sunt , demonstravit exemplum.

N. 3.... Quid hàc historiâ , vel illustrius inveniri potest , quæ universum orbem tanto apice auctoritatis obtinuit ; vel fidelius , in quâ ita narrantur præterita , ut futura etiam prædicantur , quorum multa videmus impleta , ex quibus ea , quæ restant , sine dubio speremus implenda ?.... Sed alia erant verè magna atque divina , quæ quantùm dabatur , cognita Dei voluntate , futura nuntiabant. Christus quippè in carne venturus , et quæ in illo tam clara perfecta sunt atque in ejus nomine impleta , pœnitentia hominum , et ad Deum conversio voluntatum , remissio peccatorum gratiâ justitiæ , fides piorum et per universum orbem in veram divinitatem multitudo credentium , culturæ simulacrorum dæmonumque subversio , et à tentationibus exercitatio , proficientium purgatio et liberatio ab omni malo , judicii dies , resurrectio mortuorum , societatis impiorum æterna damnatio , regnumque æternum gloriosissimæ civitatis Dei , conspectu ejus immortaliter perfruentis in hujus viæ Scripturis prædicta atque promissa sunt : quorum tam multa impleta conspicimus , ut rectà pietate futura esse cætera confidamus. Hujus viæ rectitudinem usque ad Deum videndum eique in æternum cohærendum , in sanctarum Scripturarum , quæ prædicatur et asseritur , veritate , quicunque non credunt , et ob hoc nec intelligunt , oppugnare possunt , sed expugnare non possunt.

Lib. 22. *c.* 5. Sed hoc incredibile fuerit aliquandò (*resurrectio carnis scilicet :*) ecce jam credidit mundus sublatum terrenum Christi corpus in cœlum ; resurrectionem carnis , et ascensionem in supernas sedes , paucissimis remanentibus , atque stupentibus vel doctis , vel indoctis , jam crediderunt , et docti , et indocti. Si rem credibilem crediderunt , videant quàm sint stolidi , qui non credunt : si autem res incredibilis credita est , etiam hoc utique incredibile est , sic creditum esse , quod incredibile est. Et ipse modus , quo mundus credidit , si consideretur , incredibilior invenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis , et omninò , quantùm ad istorum doctrinas attinet , impolitos , non peritos grammaticâ , non armatos dialecticâ , non rhetoricâ inflatos , piscatores Christus cum retibus fidei ad mare hujus seculi paucissimos misit , atque ita et ex omni genere tam multos pisces , et tantò mirabiliores , quantò rariores , etiam ipsos Philosophos cepit.... Eloquia namque persuadentium quæ dicebant mira fuerunt facta , non verba.... Qui enim Christum in carne resurrexisse , et cum illâ in cœlum ascendisse , non viderant , id se vidisse narrantibus , non loquentibus tantùm , sed etiam mirifica facientibus signa credebant. Homines quippè , quos unius vel ut multùm , duarum linguarum fuisse noverant , repentè linguis omnium gentium loquentes mirabiliter audiebant. Claudum ab uberibus matris ad eorum verbum in Christi nomine , post quadraginta annos , incolumen constitisse ; sudaria de corporibus eorum ablata sanandis profuisse languentibus ; in viâ , quâ fuerant transituri , positos in ordine innumerabiles morbis variis laborantes , ut ambulantium super eos umbra transiret , continuò salutem solere recipere ; et alia multa stupenda in Christi nomine per eos facta ; postremò etiam mortuos resurrexisse cernebant. Quæ si , ut leguntur , gesta esse concedunt , ecce tot incredibilia tribus illis incredibilibus addimus ; et ut credatur unum incredibile , quod de carnis resurrectione atque in cœlum ascensione dicitur , multorum incredibilium testimonia tanta congerimus , et nondùm ad credendum horrendâ duritiâ incredulos flectimus. Si verò per Apostolos Christi , ut eis crederetur , resurrectionem atque ascensionem prædicantibus Christi , etiam ista miracula facta esse non credunt , hoc nobis unum grande miraculum sufficit , quòd eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit.

Cap. 8. *n.* 1. Quisquis adhuc prodigia , ut credat , inquirit , magnum

est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.... Aut incredibilis rei, quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ tamen fiebant et videbantur, fecerunt fidem: aut certè res ita credibilis, ut nullis, quibus persuaderetur, miraculis indigeret, istorum nimiam redarguit infidelitatem. Hoc ad refellendos vanissimos dixerim. Nam facta esse multa miracula, quæ attestarentur illi unà grandi salubrique miraculo, quo Christus in cœlum cum carne in quâ resurrexit, ascendit, negare non possumus. In eisdem quippè veracissimis libris cuncta conscripta sunt, et quæ facta sunt, et propter quod credendum facta sunt. Hæc, ut fidem facerent, innotuerunt; hæc per fidem, quam fecerunt, multò clariùs innotescunt.

De fide rerum quæ non videntur, cap. 3. *n.* 5. Multùm falluntur, qui putant nos sine ullis de Christo indiciis credere in Christum. Nam quæ sunt indicia clariora, quàm ea quæ nunc videmus prædicta et impleta? Proindè qui putatis nulla esse indicia, cur de Christo credere debeatis quæ non vidistis, attendite quæ videtis.... Ecce in Christo, id est, in semine Abrahæ benedici omnes gentes, videtis, et stupetis.... An credere dubitatis vel recusatis virginis partum, cùm magis credere debeatis, sic decuisse nasci hominem Deum? Et hoc namque accipite per Prophetam (*Isai.* VII. 14.) fuisse prædictum: * *Ecce Virgo accipiet in utero, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuël, quod est interpretatum Nobiscum Deus.* Non ergo dubitabitis Virginem parientem, si velitis credere Deum nascentem; mundi regimen non relinquentem, et ad homines in carne venientem; matri fœcunditatem afferentem, integritatem non auferentem....

Cap. 4. *n.* 7. Me attendite, vobis dicit Ecclesia: me attendite quam videtis, etiamsi videre nolitis. Qui enim temporibus illis in Judæâ terrâ fideles fuerunt, ex Virgine nativitatem mirabilem, ac passionem, resurrectionem, ascensionem Christi, omnia divina dicta ejus et facta præsentes præsentia didicerunt. Hæc vos non vidistis, propterèa credere recusatis. Ergo hæc aspicite, in hæc intendite, hæc quæ cernitis cogitate, quæ vobis non præterita narrantur, nec futura prænuntiantur, sed præsentia demonstrantur. An vobis inane vel leve videtur, et nullum vel parvum putatis esse miraculum divinum, quòd in nomine unius crucifixi universum genus currit humanum? Non vidistis quod prædictum (*Isai.* VII. 14.) et impletum est de humanâ Christi nativitate: *Ecce Virgo in utero accipiet, et pariet Filium:* sed videtis quod prædictum (*Gen.* XXII. 18.) et impletum est ad Abraham Dei verbum, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Non vidistis quod de mirabilibus Christi prædictum est, (*Ps.* XLV. 9.) *Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram:* sed videtis quod prædictum est, (*Ps.* II. 7. *et* 8.) *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodiè genui te: postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Non vidistis quod prædictum est, (*Ps.* XXI. 17. *et seq.*) et impletum de passione Christi, *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea; ipsi verò consideraverunt et conspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem:* sed videtis quod in eodem (Psalmo 28. 29.) prædictum est, et nunc apparet impletum: *Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium: quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.* Non vidistis quod de resurrectione Christi prædictum atque completum est, loquente (Psalmo XL. 7. *et seq.*) ex personâ ejus priùs de traditore et persecutoribus ejus: * *Egrediebantur foràs et loquebantur simul in unum; adversùm me insusurrabant omnes inimici mei, adversùm me cogitabant mala mihi; verbum iniquum disposuerunt adversum me.*. Ubi, ut ostenderet nihil eos valuisse occidendo resurrecturum, subjecit atque ait, *Nunquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?* Et paulò post cùm de ipso suo traditore per eamdem propheliam prædixisset, quod in Evangelio quoque scriptum est, (*Joan.* XIII. 18.) * *Qui edebat panes meos, ampliavit super me calcaneum;* hoc est, conculcavit me: continuò subdidit, *Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me, et reddam illis.* Impletum est hoc, dormivit Christus, et evigilavit, hoc est, resurrexit: qui per

eamdem prophetiam in Psalmo III. 6. ait, *Ego dormivi, et somnum cœpi, et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me.* Verùm hoc non vidistis, sed videtis ejus Ecclesiam, de quâ similiter dictum (*Jerem.* XVI. 19.) et impletum est, * *Domine Deus meus, ad te gentes venient ab extremo terræ, et dicent, Verè mendacia coluerunt patres nostri simulacra, et non est in illis utilitas.* Hoc certè, sivè velitis seu nolitis aspicilis, etiam si adhuc aliquam putatis esse vel fuisse in simulacris utilitatem : certè tamen innumeros gentium populos reliclis vel abjectis vel confractis hujusmodi vanitatibus audistis dicere, *Verè mendacia coluerunt patres nostri, etc....* Non vidistis quod prædictum (*Ps.* CVII. 6.) et impletum est de ascensione Christi, *Exaltare super cœlos Deus :* sed videtis quod continuò sequitur, *Et super omnem terram gloria tua.* Illa de Christo jam facta atque transacta omnia non vidistis, sed ista præsentia in ejus Ecclesiâ videre vos non negatis. Utraque vobis prædicta monstramus : utraque autem vobis impleta propterea demonstrare videnda non possumus, quia revocare in conspectum præterita non valemus.

Cap. 5. *n.* 8. Sed quemadmodùm voluntates amicorum quæ non videntur, creduntur per indicia quæ videntur : sic Ecclesia quæ nunc videtur, omnium quæ non videntur, sed in eis litteris ubi et ipsa est prædicta monstrantur, et index est præteritorum, et prænuntia futurorum. Quia et præterita quæ jam non possunt videri, et præsentia quæ nec (*lege* nunc) possunt videri, omnia cùm prænuntiarentur, nihil horum poterat tunc videri. Cùm ergo fieri prædicta cœperunt, ex illis quæ facta sunt usque ad ista fiunt, de Christo et Ecclesiâ quæ prædicta sunt ordinatâ serie cucurrerunt : ad quam seriem pertinent de die judicii, de resurrectione mortuorum, de impiorum æternâ damnatione cum diabolo, et de impiorum æternâ remuneratione cùm Christo, quæ similiter prædicta ventura sunt. Cur ergo res primas et novissimas, quas non videmus non credamus, cùm tesles utrarumque res medias, quas videmus, habeamus atque in Propheticis libris et primas et medias et novissimas audiamus prænuntiatas antequàm fierent, vel legamus ? Nisi fortè arbitrantur homines infideles à Christianis illa esse conscripta, ut ista quæ jam credebant majus haberent pondus auctoritatis, si antequàm venirent, putarentur esse promissa.

Cap. 6. *n.* 9. *Vide suprà cap.* 1. §. 1. *hujusce Sect. litt.* (S)

Cap. 7. *n.* 10. Quanquam etiam si de Christo et Ecclesiâ testimonia nulla præcederent, quem non movere deberet ut crederet, repentè illuxisse divinam humano generi clàritatem ; quando videmus reliclis diis falsis, et eorum confractis usquequàque simulacris, templis subversis, sive in usus alios commutatis, atque ab humanâ veternosissimâ consuetudine tot vanis ritibus exstirpatis, unum verum Deum ab hominibus invocari ? Cùm verò tam magnum pietatis sacramentum habuerit antecedentes vates suos atque præcones, quorum divinis vocibus est prænuntiatum, et sic venerit quemadmodùm est prænuntiatum, quis ita sit demens, ut dicat Apostolos de Christo fuisse mentitos, quem sic venisse prædicaverunt quemadmodùm eum venisse Prophetæ antè prædixerunt, qui nec de ipsis Apostolis vera futura tacuerunt.... Quis itaque nisi mirabili dementiâ cæcatus, aut mirabili pertinaciâ durus, ac ferreus nolit habere sacris litteris fidem, quæ totius orbis prædixerunt fidem ?

De utilitate credendi, ad Honoratum, c. 14. *n.* 23. *in fine.* Ergo ille (Christus) afferens medicinam, quæ corruptissimos mores sanatura esset, miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roboravit religionem, quam non solùm Hæreticorum ineptissima novitas fraudibus agens, sed nec Gentium quidem veternosus error violenter adversans, aliquâ ex parte convelleret.

Cap. 16. *n.* 34. Auctoritate quidem decipi miserum est : sed certè miserius non moveri. Si enim Dei providentia non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. Sin verò et species rerum omnium, quam profectò ex aliquo verissimæ pulchriludinis fonte manare credendum est, et interior nescio quæ conscientia Deum quærendum, Deoque serviendum meliores quosque animos quasi publicè privatimque

I. Quomodò Hæretici et Schismatici Ecclesiam oppugnant?

R. 1. Insurgendo adversùs ejus doctrinam et auctoritatem. (B)

2. Sacras Scripturas detorquendo in sensus alienos, ad erroris sui patrocinium. (C)

3. Temerè effutiendo Ecclesiam in errorem et corruptionem esse prolapsam, posseque extra ejus sinum homines

hortatur, non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, quo veluti gradu certò innitentes, attollamur in Deum. Hæc autem, sepositâ ratione, quam sinceram intelligere... difficillimum stultis est, dupliciter nos movet, partim miraculis, partim sequentium multitudine.... Miraculum voco, quidquid arduum aut insolitum supra spem, vel facultatem mirantis apparet.... Talia facta sunt illo tempore, quo Deus in vero homine, quantùm sat erat, hominibus apparebat. Sancti languidi, mundati leprosi; incessus claudis, cæcis visus, surdis auditus est redditus. Homines illius temporis aquam in vinum conversam, saturata quinque millia quinque panibus, transita pedibus maria, mortuos resurgentes viderunt: ita quædam corpori manifestiore beneficio, quædam verò menti occultiore signo; et omnia hominibus majestatis testimonio consulebant. Sic in se tunc animas errantes mortalium divina commovebat auctoritas.

Cap. 17. *n.* 35. Parum-ne.... quòd continentia usque ad tenuissimum victum panis et aquæ, et non quotidiana solùm, sed etiam per contextos plures dies perpetuata jejunia; quòd castitas usque ad conjugii prolisque contemptum, quòd patientia usque ad cruces flammasque neglectas, quòd liberalitas usque ad patrimonia distributa pauperibus, quòd denique totius mundi aspernatio usque ad desiderium mortis intenditur? Pauci hæc faciunt, panciores benè prudenterque faciunt: sed populi probant, populi audiunt, populi favent, diligunt postremò populi.... Hoc factum est divinâ providentiâ per Prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per Sanctorum prædicabilem vitam.... Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolicâ sede per successiones Episcoporum, frustrà Hæreticis circùm latrantibus, et partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate, damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.

Lib. 13. *contra Faustum*, *cap.* 6. 7. 10. 11. 12. 13. *et* 14. *Vide suprà cap.* 1. §. 1. *hujusce Sect. litt.* (Q).

(B) S. Aug. *Epist.* 118. *ad Dioscor. aliàs* 56. *c.* 5. *n.* 32. Porrò illi, qui cùm in unitate atque communione catholicâ non sint, Christiano tamen nomine gloriantur, coguntur adversari credentibus, et audent imperitos quasi ratione traducere; quando maximè cum istâ medicinâ Dominus venerit, ut fidem populis imperaret. Sed hoc facere coguntur, quia jacere se abjectissimè sentiunt, si eorum auctoritas cum auctoritate catholicâ conferatur. Conantur ergo auctoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ quasi rationis nomine et pollicitatione superare. Omnium enim hæreticorum quasi regularis est ista temeritas. Sed ille fidei Imperator clementissimus, et per conventus celeberrimos populorum atque gentium, sedesque ipsas Apostolorum, arce auctoritatis munivit Ecclesiam, et per pauciores piè doctos, et verè spiritales viros, copiosissimis apparatibus etiam invictissimæ rationis armavit.

(C) S. Aug. *Epist.* 120. *aliàs* 222. *ad Consen. c.* 13. *n.* 13.... Ipsæ Scripturæ sanctæ, quæ magnarum rerum ante intelligentiam suadent fidem, nisi eas rectè intelligas, utiles tibi esse non possunt. Omnes enim Hæretici, qui eas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cùm suos potiùs sectentur errores, ac per hoc non quòd eas contemnant, sed quòd eas non intelligant. Hæretici sunt.

salutem adipisci. Quæ quidem Hæreticorum omnium opinio sola sufficit ad eorum omnium condemnationem, ut suprà (*hocce Capite* §. 6.) probavimus. Hinc eos vocat Tertullianus (*Lib. de Carne Christi cap.* 5.) *interfectores veritatis.* (D)

I. Fuit-ne magnus hæresecon et schismatum numerus.

R. Ex quo Christiana Religio propagari cœpit, ad consummationem seculi insurrexêre vel insurgent adversùs Ecclesiam hæreses et schismata. *Nam oportet et hæreses esse*, inquit Apostolus. (1. *Cor.* XI. 19.) Nec est ferè ullus fidei articulus, qui non fuerit ab aliquo Hæretico impugnatus.

I. Cur Deus permittit hæreses et schismata adversùs Ecclesiam insurgere ?

R. Varias ob causas gravissimas, quæ omnes ad gloriam et augmentum Ecclesiæ conducunt.

1. Ut suam Deus exerceat justitiam in eos, qui à veritatis tramite recedunt, et misericordiam in eos, qui huic firmiter insistunt. Nam *universæ viæ Domini misericordia et veritas*, inquit Psaltes regius; (*Ps.* XXIV. 10.) id est, misericordia et justitia.

2. Ut probentur his tempestatibus qui stabiles in fide sunt, et discernantur ab aliis. (E)

3. Ut exerceatur patientia et charitas Ecclesiæ, et sanctificentur electi. (F)

4. Ut enucleatiùs in dies et penitiùs explanentur veritates Religionis et testimonia Scripturarum. (G)

(D) S. AUG. *Serm.* 2. *in Psal.* CI. *n.* 8. 9. *et* 10. *super v.* 23. *Vide suprà hujusce Capitis* §. 4. *litt.* (B)

(E) 1. COR. XI. 19. Nam oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.

(F) S. AUG. *de Catechizandis rudibus*, *c.* 24. *n.* 44. Oportebat autem ut eadem vitis, (Ecclesia) sicut à Domino identidem prædictum erat, putaretur, et ex eâ præciderentur infructuosa sarmenta, quibus hæreses et schismata per loca facta sunt, sub Christi nomine, non ipsius gloriam, sed suam quærentium, per quorum adversitates magis, magisque exerceretur Ecclesia, et probaretur atque illustraretur et doctrina ejus et patientia.

N. 45.... Quemadmodùm primi Christiani, quia nondùm ista provenisse videbant, miraculis movebantur ut crederent; sic nos quia omnia ita completa sunt, sicut ea in libris legimus, qui longè antequàm hæc implerentur conscripti sunt, ubi omnia futura dicebantur, et præsentia jam videntur, ædificamur ad fidem, ut etiam illa quæ restant, sustinentes et perseverantes in Domino, sine dubitatione ventura credamus.

(G) S. AUG. *Lib.* 7. *Confess. c.* 19. *n.* 25. *in fine.* Improbatio Hæreticorum facit eminere quid Ecclesia tua sentiat, et quid habeat sana doctrina. Oportuit enim hæreses esse, ut probati manifesti fierent inter infirmos.

In Psal. LXVII. *n.* 39..... Multi enim sensus Scripturarum sanctarum latent, et paucis intelligentioribus noti sunt; nec asseruntur commodiùs, et acceptabiliùs, nisi cùm respondendi Hæreticis cura compellit. Tunc enim etiam qui negligunt studia doctrinæ, sopore discusso, ad audiendi excitantur diligentiam, ut adversarii refellantur. Denique quàm multi Scripturarum sanctarum sensus de Christo Deo asserti sunt contra Photinum; quàm multi de homine Christo contra Manichæum; quàm multi de Trinitate contra Sabellium; quàm multi de

5. Ut exerceatur vigilantia Pastorum; et depositum fidei sanctiùs servetur. (H)

unitate Trinitatis contra Arianos, Eunomianos, Macedonianos; quàm multi de Catholicâ Ecclesiâ toto orbe diffusâ, et de malorum commixtione usque in finem seculi, quòd bonis in sacramentorum ejus societate non obsint, adversùs Donatistas et Luciferianos aliosque, si qui sunt, qui simili errore à veritate dissentiunt; quàm multi contra cæteros Hæreticos, quos enumerare vel commemorare nimis longum est, et præsenti operi non necessarium? Quorum tamen sensum probati assertores aut prorsùs laterent, aut non ita eminerent, ut eos eminere fecerunt superborum contradictiones.

Lib. 16. *de Civit. Dei, c.* 2. *n.* 1. Quid significat (Cham) nisi Hæreticorum genus calidum, non spiritu sapientiæ, sed impatientiæ, quo solent Hæreticorum fervere præcordia, et pacem perturbare Sanctorum? Sed hæc in usum cedunt proficientium, juxta illud Apostoli: (1. *Cor.* XI. 19.) *Oportet et hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis.* Undè etiam scriptum est: (*Prov.* X. 4. *apud* 70.) *Filius eruditus sapiens erit, imprudente autem ministro utetur.* Multa quippè ad fidem Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum calidâ inquietudine exagitantur, ut adversùs eos defendi possint, et considerantur diligentiùs, et intelliguntur clariùs, et instantiùs prædicantur: et ab adversario mota quæstio discendi exsistit occasio.

Lib. 18. *cap.* 51. *n.* 1. *Vide suprà* §. 3. *hujusce Cap. litt.* (H) *et n.* 2. *Vide suprà* §. 8. *hocce Cap. litt.* (B)

(H) S. AUG. *Lib.* 1. *de Genesi contra Manichæos, c.* 1. *n.* 2. Sed ideò divina providentia multos diversi erroris Hæreticos esse permittit, ut cùm insultant nobis, et interrogant nos ea quæ nescimus, vel sic excutiamus pigritiam, et divinas Scripturas nosse cupiamus. Propterèa et Apostolus dicit, (1. *Cor.* XI. 19.) *Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter vos.* Illi enim Deo probati sunt, qui benè possunt docere: sed manifesti hominibus esse non possunt, nisi cùm docent: Docere autem nolunt, nisi eos qui doceri quærunt. Sed multi ad quærendum pigri sunt, nisi per molestias, et insultationes Hæreticorum quasi de somno excitentur, et de imperitiâ suâ erubescant sibi, et de illâ imperitiâ suâ periclitari se sentiant. Qui homines, si bonæ sunt fidei, non cedunt Hæreticis, sed quid eis respondeant, diligenter inquirunt. Nec eos deserit Deus, ut petentes accipiant, et quærentes inveniant, et pulsantibus aperiatur. Qui autem desperant se posse in Catholicâ disciplinâ invenire quod quærunt, atteruntur erroribus: et si perseveranter inquirunt, ad ipsos fontes à quibus aberraverant, post magnos labores fatigati atque sitientes et penè mortui revertuntur.

De verâ Religione c. 8. *n.* 15. *tom.* 1. Sed quoniam verissimè dictum est, *Oportet multas hæreses esse, ut probati manifesti fiant apud vos* (1. *Cor.* XI. 19.) utamur etiam isto divinæ providentiæ beneficio. Ex his enim hominibus Hæretici fiunt, qui etiam si essent in Ecclesiâ, nihilominùs errarent. Cùm autem foris sunt, plurimùm prosunt, non verùm docendo, quod nesciunt: sed ad verum quærendum carnales, et ad verum aperiendum spiritales Catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in Ecclesiâ sanctâ Deo probati viri, sed manifesti non fiunt inter nos, quandiù imperitiæ nostræ tenebris delectati dormire malumus, quàm lucem veritatis intueri. Quapropter multi, ut diem Domini videant et gaudeant, per Hæreticos de somno excitantur. Utamur ergo etiam Hæreticis, non ut eorum approbemus errores, sed ut catholicam disciplinam adversùs eorum insidias asserentes, vigilantiores, et cautiores simus, etiam si eos ad salutem revocare non possumus.

De Correctione Donatistarum, seu Epist. 185. *aliàs* 50. *ad Bonifacium, c.* 1. *n.* 2. Hæreses et scandala futura prædicta sunt, ut inter inimicos erudiamus; ac sic et fides et dilectio nostra possit esse probatior: fides utique, ne ab iis decipiamur; dilectio autem, ut etiam ipsis corrigendis, quantùm possumus, consulamus; non solùm instantes ne infirmis noceant, atque ut ab errore nefario liberentur; sed etiam orantes pro eis, ut aperiat Dominus illis sensum, et intelligant Scripturas.

6 Ut fiat auctoritas Traditionis evidentior et clarior.

Quæ quidem ultima ratio ut intelligatur, advertendum est Hæreticos et Schismaticos non in omnibus errare : in multis fidei capitibus idem sentiunt cum Ecclesiâ. In eo sunt Hæretici quòd fidem Ecclesiæ, quæ una est, scindant, et quòd hæc pro beneplacito admittant, illa rejiciant, nullâ habitâ ratione Ecclesiæ definientis et credenda proponentis. Dùm ipsi ab Ecclesiâ recedunt, quos retinent articulos fidei, eos acceperunt ab Ecclesiâ. (1) Itaque cùm in multis idem sentiat Ecclesia quod Hæreticorum sectæ sentiunt, hanc certè fidem tenebat Ecclesia antequam illæ sectæ prodirent. Et in eo quidem Hæreticorum sectæ ad Ecclesiæ fidem illustrandam, illiusque fidei antiquitatem et veritatem planè demonstrandam, Deo ita disponente, mirè conducunt.

Sic utitur Ecclesia adversùs Ethnicos testimonio Judæorum, quos constat infensissimos esse Christianæ Religioni, ut probet antiquitatem et veritatem Scripturarum et Prophetiarum.

Utitur testimonio Samaritanorum, qui ante captivitatem Babylonicam à Judæis erant Religione segregati, ut probet antiquiores esse Samaritanorum schismate eas Scripturas, quas illi sicut et Judæi retinent et colunt, et quas nos quoque meritò veneramur, veluti Christianæ fundamentum Religionis.

Utitur testimonio priscorum Hæreticorum qui jamdudum ab Ecclesiâ recesserunt, v. g. Eutychianorum, Nestoriano-

(1) S. Aug. *Epist.* 93. *aliàs* 48. *ad Vincent. c.* 11. *n.* 46. Non sacramenta Christiana faciunt te Hæreticum, sed prava dissensio. Non propter malum quod processit ex te, negandum est bonum, quod remansit in te... Ex Catholicâ enim Ecclesiâ sunt omnia Dominica sacramenta, quæ sic habetis et datis, quemadmodùm habebantur, et dabantur etiam priùsquam indè exiretis.... non in vobis mutamus in quibus nobiscum estis ; in multis enim estis nobiscum.... sed ea corrigimus in quibus nobiscum non estis, et ea vos hic accipere volumus, quæ non habetis illic ubi estis. Nobiscum autem estis in Baptismo, in Symbolo, in cæteris Dominicis sacramentis. In spiritu autem unitatis, et vinculo pacis, in ipsâ denique catholicâ Ecclesiâ, nobiscum non estis. Hæc si accipiatis non tunc aderunt, sed tunc proderunt quæ habetis. Non ergo sicut putatis suscipimus vestros, sed suscipiendo efficimus nostros qui recedunt à vobis, ut suscipiantur a nobis ; et ut incipiant esse nostri, priùs desinunt esse vestri.

In Psal. liv. *n.* 19... *In multis erant mecum* : Baptismum habebamus utrique, in eo erant mecum : Evangelium utrique legebamus, erant in eo mecum. Festa martyrum celebrabamus, erant ibi mecum : Paschæ solemnitatem frequentabamus, erant ibi mecum, sed non omninò mecum : In schismate non mecum, in hæresi non mecum : in multis mecum, in paucis non mecum. Sed in his paucis in quibus non mecum, non eis prosunt multa in quibus mecum.

Serm. 37. *aliàs de diversis* 45. *n.* 27. Habent et ipsæ (Hæreses) sacramenta nostra, habent Scripturas nostras, habent Amen et Alleluia nostrum, habent pleræque Symbolum nostrum, habent multæ Baptismum nostrum : ideo filiæ... Non videtis quemadmodùm et ipsæ hæreses orent, jejunent, dent eleemosynas, laudent Christum ? Possum dicere esse ibi Pseudo-Prophetas, de quibus dictum est, (*Matth.* xxiv. 24.) Faciunt signa et prodigia multa, ut fallant, si fieri potest, etiam electos.

rum, cæterorumque Orientis Schismaticorum, qui retinuerunt quod nos credimus et tenemus de sacro-sancto Missæ sacrificio, de oratione pro mortuis, de Sanctorum invocatione; ut probet antiquitatem horum dogmatum adversùs recentiores Hæreticos, qui ea impugnant.

Utetur forsan testimonio Lutheranorum et Calvinistarum, ut probet antiquitatem aliorum dogmatum adversùs insurgentes fortè futuris temporibus Hæreticos.

Atque ita reddit Deus auctoritatem Traditionis, vel per ipsas hæreses evidentiorem et certiorem.

I. Quomodò revincit Ecclesia Hæreticos et Schismaticos?

R. 1. Opponendo ipsis certissimam Scripturarum et Traditionis normam circa singula dogmata, in controversiam revocata ab Hæreticis.

2. Opponendo ipsis apertissima verba Christi promittentis Ecclesiam nunquam interituram, nunquam à rectâ fide defecturam. Proindèque sectam omnem ab Ecclesiâ segregatam ipsâ suâ novitate falsi nominis Ecclesiam constituere. Quâ quidem præscriptione invictissimâ refelluntur omnes Hæretici, nullâ habitâ ratione examinis dogmatum singulorum, in quibus errant. (K)

I. Vincit-ne tandem Ecclesia hæreses omnes, omnia schismata?

R. Vincit prorsùs, regitur enim Spiritu Dei; estque *columna et firmamentum veritatis.* (1. *Tim.* III. 15.) Jam experientiâ teste, triumphavit de antiquis hæresibus; triumphabit item de recentibus et futuris. (L)

(K) *Vide quæ diximus suprà, dùm de Sanctitate Ecclesiæ ageremus hujusce Capitis Paragrapho quarto.*

(L) S. HIER. *in cap.* 3. *Epist. ad. Tit. cap.* 3. *T.* 4. *part.* 1. *pag.* 439..... Quare autem post primam et secundam correptionem devitandus sit (*Hæreticus*) reddit causas (*Apostolus*) dicens: (*Tit.* III. 10. 11.) *quòd subversus est ejusmodi, et peccat, cùm sit à semetipso damnatus.* Qui enim semel bisque correptus, audito errore suo non vult corrigi, errare existimat corrigentem; et è contrario se ad pugnas et jurgia verborum parans, eum vult lucrifacere à quo docetur.... Hæretici autem in semetipsos sententiam ferunt suo arbitrio de Ecclesiâ recedentes: quæ recessio, propriæ conscientiæ videtur esse damnatio.

S. AUG. *in Psal.* LVII. *n.* 16. *v.* 8..... Non vos terreant, fratres, quidam fluvii qui dicuntur torrentes; hiemalibus aquis implentur: nolite timere, post paululùm transit, decurrit aqua, ad tempus perstrepit, mox cessabit: diù stare non possunt. Multæ hæreses jam emortuæ sunt: cucurrerunt in rivis suis, quantùm potuerunt, decurrerunt, siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint. Spernentur tanquam aqua decurrens. Sed non solùm ipsi; totum hoc seculum ad tempus perstrepit, et quærit quem trahat. Omnes impii, omnes superbi sonantes ad saxa superbiæ suæ, quasi aquis irruentibus et confluentibus, non vos terreant, hiemales aquæ sunt, semper manare non possunt, necesse est decurrant in locum suum, in finem suum.

Tract. 6. *in Joan. c.* 1. *n.* 4.... In corvis falsa pax, in columba vera pax. Non omnis ergo qui dicit, Pax vobiscum, quasi columba audiendus est. Undè ergo discernuntur oscula corvorum ab osculis columbarum? Osculantur corvi, sed laniant: à laniatu innocens est natura columbarum: ubi ergo laniatus, non est vera in osculis pax: illi habent veram pacem qui Ecclesiam non laniaverunt. Nam corvi de morte pascuntur, hoc

§. 10. Catalogus præcipuarum Sectarum Hæreticarum vel Schismaticarum, quæ hactenus adversùs Ecclesiam insurrexerunt : simul et nomina Conciliorum, in quibus proscripta sunt, et sanctorum Patrum, qui earum errores confutarunt.

I. Quænam Sectæ adversùs Ecclesiam hactenùs pugnârunt vel Hæresi vel Schismate?

R. Omnes singulas enumerare longum esset. Quædam in iis fuere nominis perobscuri. Sufficiet indicare celebriores, quæ unoquoque seculo prodiere, simul et præcipuos earum errores, et nomina eorum, quorum ministerio Deus usus est ad errores illos refellendos.

PRIMUM SECULUM.

Ipsis Apostolorum temporibus prodiere Hæretici non pauci. Primus omnium Simon Magus; deindè Menander, Nicolaïtæ, Cerinthii, Ebionitæ, Saturninus et Basilides, impiique illorum discipuli.

SIMON MAGUS existimavit primùm posse pecuniâ possideri donum communicandi Spiritûs sancti. Hinc Simoniacorum nomen iis omnibus accommodatum, qui res sacras vel vendere vel emere volunt. Voluit homo perditus se pro Deo coli, jactitans essè se virtutem Dei magnam. Auctoritatem veteris Testamenti rejecit, asserens hoc non esse à Deo. Negavit futuram corporum resurrectionem. Omne genus libidinis et spurcitiæ docuit et exercuit. (A) Eum

columba non habet. Qui laniaverunt Ecclesiam, de mortibus pascuntur. Potens est Deus, rogemus ut reviviscant, qui devorantur ab eis (Donatistis) et non sentiunt.

S. LEO *Serm.* 15. *de jejunio* 10. *mensis* 5. *c.* 3. Inter hæc autem, dilectissimi, opera pietatis, quæ nos Deo magis, magisque commendant, dubium non est, quin hostis noster, nocendi cupidus et peritus, acrioribus invidiæ stimulis incitetur: ut quos apertis et cruentis persecutionibus impugnare non sinitur, sub falsâ Christiani nominis professione corrumpat, habens Hæreticos huic operi servientes, quos à catholicâ fide devios, sibique subjectos, militare in castris suis sub diversis erroribus fecit: et sicut decipiendis primis hominibus ministerium sibi serpentis assumpsit, ita horum linguas ad seducendos rectorum animos, veneno suæ falsitatis armavit: sed iis insidiis, dilectissimi, pastorali sollicitudine, in quantùm Dominus auxiliatur, occurrimus. Et ne quid de sancto grege pereat, præcavemus, paternis vos denuntiationibus admonemus, ut labia iniqua et linguam dolosam, à quibus animam suam Propheta (*Ps.* CXIX. 2.) liberari postulat, declinetis: quoniam *sermo eorum... serpit ut cancer.* (2. *Tim.* II. 17.) Humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt. *Veniant enim*, sicut Salvator prædixit, (*Matth.* VII. 15.) *sub vestitu ovium; intùs autem sunt lupi rapaces*: quia non possent veras et simplices oves fallere, nisi Christi nomine tegerent rabiem bestialem. In iis autem omnibus operatur, qui cùm sit veræ illuminationis inimicus, in lucis se Angelum transfigurat. Hujus arte Basilides, hujus Marcion callet ingenio, hoc duce agitur Sabellius, hoc præcipitatur rectore Photinus, hujus potestati famulatur Arius, hujus spiritui servit Eunomius. Tota denique bestiarum talium cohors hoc præside ab Ecclesiæ unitate discessit, hoc magistro à veritate descivit.

(A) ACT. VIII. 9. Vir autem quidam nomine Simon, qui antè fuerat in civitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem

magnum : cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum, dicentes : Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. Attendebant autem eum, propter quòd multo tempore magiis suis dementasset eos. Cùm verò credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres. Tunc Simon et ipse credidit : et cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur... Cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manûs Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens : Date et mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum : Pecunia tua tecum sit in perditionem : quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hâc nequitiâ tuâ : et roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse. Respondens autem Simon, dixit : Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum, quæ dixistis.

S. JUSTINUS *in priore Apolog. ad Antoninum* : *hunc habes infrà apud* EUSEBIUM.

S. IRENÆUS *L.* 1. *adv. Hæres. c.* 20. Simon Samarites, magus ille, de quo.... Lucas.... (*loquitur*) fidem simulavit, putans Apostolos et ipsas sanitates per magiam, et non virtute Dei perficere, et per impositionem manuum Spiritu sancto adimplere credentes Deo per eum, qui ab ipsis evangelizatur Christus Jesus ; per majorem quamdam magicam scientiam et hoc suspicans fieri, et offerens pecunias Apostolis, ut acciperet et ipse hanc potestatem quibuscunque velit dandi Spiritum sanctum, audivit à Petro, (*Act.* VIII. 20.) *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, etc. Et cùm adhuc magis non credidisset Deo, et cupidiùs intendit contendere adversùs Apostolos, uti et ipse gloriosus videretur esse, et universam magiam adhuc ampliùs inscrutans, ita ut in stuporem cogeret multos hominum : quippè cùm esset sub Claudio Cæsare, à quo etiam statuâ honoratus esse dicitur propter magiam. Hic igitur à multis, quasi Deus glorificatus est, et docuit semetipsum esse, qui inter Judæos quidem quasi Filius apparuerit, in Samariâ autem quasi Pater descenderit, et in reliquis verò gentibus quasi Spiritus sanctus adventaverit. Esse autem se sublimissimam virtutem, hoc est, eum qui sit super omnia Pater, et sustinere vocari se quodcunque eum vocant homines. Simon autem Samaritanus, ex quo universæ Hæreses substiterunt, habet hujusmodi sectæ materiam. Hic Selenen quamdam, quam ipse à Tyro civitate Phœnices quæstuariam cùm redemisset, secum circumducebat, dicens hanc esse primam mentis ejus conceptionem, matrem omnium, per quam initio mente concepit Angelos facere et Archangelos. Hanc enim ennoiam exilientem ex eo, cognoscentem quæ vult pater ejus degredi ad inferiora, et generare Angelos et potestates, à quibus et mundum hunc factum dixit. Posteaquàm generavit eos, hæc detenta est ab ipsis propter invidiam, quoniam nollent progenies alterius cujusdam putari esse. Ipsum enim se in totum ignoratum ab ipsis ; ennoiam autem ejus detentam ab iis, quæ ab eâ emissæ essent potestates, et Angeli ; et omnem contumeliam ab iis passam, uti non recurreret sursùm ad suum patrem, usque adeò ut et in corpore humano includeretur et per secula veluti de vase in vas transmigraret in altera muliebria corpora. Fuisse autem eam et in illâ Helenâ, propter quam Trojanum contractum est bellum, quapropter et Stesichorum per carmina maledicentem eam, orbatum oculis : post deindè pœnitentem et scribentem eas, quæ vocantur palinodias, et in quibus hymnizavit eam, rursùs vidisse. Transmigrantem autem eam de corpore in corpus, ex eo ut semper contumeliam sustinentem, in novissimis etiam in fornice prostitisse : et hanc esse perditam ovem, quapropter et ipsum venisse, uti eam assumeret primam et liberaret eam à vinculis, hominibus autem salutem præstaret per suam agnitionem. Cùm enim malè moderarentur Angeli mundum, quoniam unusquisque eorum concupisceret principatum, ad emendationem venisse rerum, et descendisse eum transfiguratum, et assimilatum Virtutibus, et Potestatibus, et Angelis, ut et in hominibus homo appareret ipse, cùm non esset homo ; et passum autem in Judæâ putatum, cùm non esset passus.

Prophetas autem à mundi fabricatoribus Angelis inspiratos, dixisse Prophetias : quapropter nec ulteriùs curarent eos, hi qui in eum et in Selenen ejus spem habeant, et ut liberos agere quæ velint : secundùm enim ipsius gratiam salvari homines, sed non secundùm operas justas. Nec enim esse naturaliter operationes justas, sed ex accidenti, quemadmodùm posuerunt qui mundum fecerunt Angeli, per hujus modi præcepta in servitutem deducentes homines. Quapropter et solvi mundum, et liberari eos, qui sunt ejus, ab imperio eorum qui mundum fecerunt, repromisit. Igitur horum mystici Sacerdoles libidinosè quidem vivunt, magias autem perficiunt, quemadmodum potest unusquisque ipsorum. Exorcismis et incantationibus utuntur. Amatoria quoque et agogima, et qui dicuntur paredri et oniropompi, et quæcunque sunt alia parerga apud eos studiosè exercentur. Imaginem quoque Simonis habent factam ad figuram Jovis, et Selenæ in figuram Minervæ ; et has adorant : habent quoque et vocabulum à principe impiissimæ sententiæ Simone, dicti Simoniani, à quibus falsi nominis scientia accepit initia, sicut ex ipsis assertionibus eorum adest dicere.

EUSEBIUS *Lib.* 2. *Histor. Eccles. cap.* 1. Philippus..., Samariam descendit, et divinâ plenus virtute, verbum Dei primis incolis nuntiavit. Tanta porrò vis divinæ gratiæ ipsi aderat, ut Simonem magum aliosque innumerabiles prædicationibus suis ad se pertraxerit. Hic Simon tunc temporis celeberrimus, tantam auctoritatem adeptus erat apud eos, quos præstigiis suis deceperat, ut magnam Dei virtutem ipsum esse existimarent. Idem tamen obstupefactus miraculis, quæ Philippus divinâ virtute perpetrabat, callidè irrepsit, fidemque in Christum hactenùs simulavit, ut baptismum susciperet. Quod quidem etiamnùm fieri ab his qui teterrimam ejus sectam profitentur, non sine admiratione cernimus : qui more parentis sui in Ecclesiam tanquam pestis aut lepra quædam irrepentes, gravissimum damnum inferunt iis, quibus pessimum illud et immedicabile venenum, quod mentibus occultant, instillare potuerint. Ac plerique jam eorum ab Ecclesiâ ejecti sunt, cùm fraus ipsorum detecta esset : quemadmodùm Simon quoque ipse à Petro tantem deprehensus debitas pœnas dedit.

Cap. 13. Cùm jam fides Servatoris nostri Jesu Christi ubique diffusa esset, hostis generis humani regiam urbem sibi occupare satagens, Simonem.... eò destinat. Cujus nefariis artibus auxilium atque operam suam commodans, plurimos eorum qui Romæ degebant, in errorem inductos sibi mancipavit. Testatur id Justinus, qui non procul ab Apostolorum temporibus inter religionis nostræ sectatores maximè floruit, ... in priore Apologetico quem pro nostrâ doctrinâ ad Imperatorem Antoninum conscripsit, ubi sic ait : » Post Domini nostri in cœlum ascensum immissi » sunt à dæmone homines quidam, qui se Deos esse dicerent.... Ex iis » fuit Simon quidam Samaritanus ortus è vico qui Gitton dicitur, qui » principatu Claudii Augusti, cùm per operationem dæmonum multa » magicæ artis miracula in urbe vestrâ, quæ Imperii caput est, edi- » disset, Deus à vobis est habitus, statuamque illi perindè ac Deo posuistis » in insulâ Tiberinâ inter duos pontes, cum hâc inscriptione, SIMONI » DEO SANCTO. Hunc Samaritani propè omnes, et ex aliis gentibus non- » nulli, summum Deum esse confitentes, Helenam quoque venerantur, » quæ initio quidem apud Tyrum urbem Phœnices publicè in lupanari » prostiterat, postèà verò ubique Simonem affectata est : eamque primam » summi Dei notionem esse affirmant. » Hæc Justinus.... Sanè hunc Simonem hæreticæ pravitatis principem atque auctorem fuisse accepimus. Undè ad nostram usque ætatem quicunque ejus sectam profitentur, cùm se Christianam religionem plenam modestiæ et sanctitatis amplecti simulaverint : tamen et ad superstitiosum dæmonum cultum, quem abjicere visi fuerant, deinceps nihilominùs relabuntur, dùm ante Simonis et suprà dictæ illius Helenæ picturas atque imagines proni sese abjiciunt, eosque suffimentis et sacrificiis ac libationibus colere non verentur. Et quæ apud illos secretiora habentur, quibus auditis protinùs animos audientium aiunt percelli, et ut verbis utar oraculi quod perscriptum habent, obstupefieri. Reverà stuporis et dementiæ atque insaniæ plenissima sunt : adeò ut non modò scriptis prodi, sed ne sermone quidem

efferri possint à modestis hominibus, ob nimiam turpitudinem atque obscenitatem. Nihil enim tam impurum aut esse, aut excogitari unquam potest, quod flagitiosissima illorum secta longo intervallo non superet, dùm miseris atque omni scelere coopertis mulieribus illudunt.

Cap. 14. Hunc igitur tantorum scelerum auctorem atque architectum Simonem dæmon virtutis inimicus, et hominum saluti infestissimus his temporibus in medium produxit, ut magnis et admirabilibus Servatoris nostri Apostolis par adversarius consisteret. Verùm cœlestis Dei gratia, quæ ministris suis semper auxilio est, per eorumdem adventum ac præsentiam flammam illam à dæmone accensam subitò restinxit, et superbiæ fastum ac tumorem, qui se adversùs Dei notitiam extulerat, dejecit ac depressit... Statim ergo præstigiator ille... diviuæ lucis insperato quodam splendore perculsus, simul atque in Judæa à Petro Apostolo convictus est, omniaque ejus maleficia palefacta, longissimè trans mare fugam arripuit, ab Orientis partibus ad Occasum profectus; neque aliter se liberè et ex animi sui sententiâ victurum esse speravit. Tandem ad urbem Romam delatus, ope atque adjumento subsidentis ibidem dæmonis, brevi conatus suos tantopere promovit, ut illius civitatis homines ei tanquam Deo statuam collocàrint. Sed hæc non diù ex voto illi fluxerunt. Confestim enim ipsis Claudii Augusti temporibus, benigna et clementissima Dei providentia fortissimum et maximum inter Apostolos Petrum, et virtutis merito reliquorum omnium Principem ac patronum Romam adversùs illam generis humani labem ac pestem perduxit.

Eadem etiam legere est apud PHILASTRIUM *lib. de Hæres.*

S. EPIPHAN. *adv. Hæres. t.* 1. *T.* 2. *Hæres.* 21. *n.* 1. Primæ omnium, quæ à Christi tempore ad hanc ætatem prodierunt, hæresis princeps Simon ille magus exstitit.... Iste veneficus fuit Gitthis oriundus olim oppido, nunc vico Samariæ : qui popularibus suis malis artibus illudens, ac fraudibus pellectos decipiens, magnam se Dei vim esse prædicabat cœlitùs in terras delapsam. Porrò apud Samaritanos suos pro Deo se Patre venditabat, apud Judæos Filium se faciebat. Negabat reverà se, aut aliter quàm specie tenùs esse passum. Idem Apostolis blanditus cum aliis benè multis à Philippo baptizatus est.... Apostolo Petro pecunias obtulit, ut is sibi largiendi per manuum impositionem Spiritûs sancti potestatem conferret. Eumdem quippè Spiritum in alios transfundere cogitabat, atque ita maximam sese pecuniarum vim collecturum, atque ingens omninò lucrum cum exiguo pretio commutaturum sperabat.... Cùmque in venerem naturâ proclivior esset.. vagam quamdam mulierculam nomine Helenam nactus, patriâ Tyriam, sibi eam copulat : quàcum palàm nullam habere se consuetudinem simulans, homo vafer clam omni se in libidinum genere volutabat.... Se summam Dei vim ; scortum verò suum Spiritum esse sanctum affirmare ausus est, cujus gratiâ de cœlo descenderat. Sed in unoquoque cœlo propriam, aiebat, ejus cœli formam indui, quò meos Angelos latere possem : et ad meam illam intelligentiam descenderem, hoc est Helenam istam, quæ et Prunicus et Spiritus sanctus appellatur : per quam Angelos creavi ; Angeli porrò mundum atque homines condiderunt. Eamdem esse confirmabat Helenam, cujus causâ bellum Græcos inter ac Trojanos exarsit.... Præterea Minervam eamdem esse dicebat, quam Notionem, ut aiximus, appellabat.... ad *fœdissima* obeunda mysteria spurcissimos conventus indixit. Hæc enim vitæ esse mysteria, perfectissimæque cognitionis aiebat... Idem præterea nomina quædam principatuum ac potestatum commentus est, cœlestesque globos varios ; atque in firmamento cœloque quolibet intelligentias certas collocat, quibus barbaras appellationes affingit. Negat insuper salutem consequi ullum hominum aliter posse, quàm si ejusmodi mysteria didicerit.... sed et carnis duntaxat unius corruptionem atque interitum, animarum verò expiationem adstruit : ita tamen si mendacissimæ cognitionis suæ mysteriis initiatæ fuerint. Atque hinc eorum, quos Gnosticos appellamus, origo profluxit. Præterea Legem non à Deo, sed à sinistrâ quâdam intelligentiâ profectam asserit.... Denique quisquis veteri Testamento fidem adhibet, incurrere mortem asseverat.

S. AUG. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum n.* 1. Simoniani à Simone mago, qui baptizatus à Philippo Diacono, sicut in Actibus Apostolorum legitur,

pecuniâ voluit à sanctis Apostolis emere, ut etiam per impositionem manûs ejus daretur Spiritus sanctus. Hic magicis fallaciis deceperat multos. Docebat autem detestandam turpitudinem indifferenter utendi feminis. Nec Deum fecisse mundum dicebat. Negabat etiam carnis resurrectionem. Et asserebat se esse Christum. Idemque Jovem se credi volebat; Minervam verò meretricem quamdam Helenam, quam sibi sociam scelerum fecerat: imaginesque et suam et ejusdem meretricis discipulis suis præbebat adorandas, quas et Romæ, tanquam Deorum simulacra, auctoritate publicâ constituerat. In quâ urbe Apostolus Petrus eum verâ virtute Dei Omnipotentis exstinxit.

THEODORET. *Hæret. fabul. lib.* 1. *cap.* 1. Primus autem Simon, magus Samaritanus, improbitatis hujus (*hæreseos*) minister exstitit. Qui è Gitthis, quod Samariæ vici nomen est, oriundus, et ad summum præstigiorum gradum provectus, multis primùm per prodigia, quæ patrabat, persuasit ut ipsi adhærerent, eumque divinam quamdam potentiam appellarent. Deindè cùm Apostolos videret vera prorsùs ac divina edere miracula, et Spiritûs sancti gratiam iis qui accedebant, largiri, paremque ab iis potestatem exposceret, ubi magnus Petrus perditum ejus animum deprehendit, et desperata mentis vulnera pœnitentiæ remediis curare jussit: ille mox ad pristinam regressus improbitatem, relictâ Samariâ, ut quæ salutaria semina susceperat, ad eos abiit qui ab Apostolis exculti nondùm fuerant, ut simpliciores imposturis decipiens, fabulosisque narrationibus suis adstringens, efficeret ut sanctorum Apostolorum dogmata difficiliùs susciperent. Sed divina gratia magnum Petrum adversùs ejus insaniam armavit. Is enim subsequens, exsecrandam illius doctrinam, velut nebulam quamdam et caliginem discussit, et lucis veritatis radios ostendit. Sed tamen quamvis apertè convictus esset homo miserrimus, contra veritatem pugnare non destitit, quo ad Claudio Cæsare imperante Romam venit. Romanos autem præstigiis suis sic obstupefecit, ut æneâ illum statuâ honorarint.... Hic fabulam hujusmodi commentus est. Infinitam quamdam posuit potentiam, quam et universorum radicem appellavit. Eam autem ignem dicebat esse, cujus duplex foret operatio, una quæ cerneretur, altera quæ lateret. Mundum verò genitum esse, genitumque ex operatione ignis quæ cernebatur. Ex hàc autem productas primùm esse tres conjugationes, quas etiam radices nominavit. Ac primam quidem appellavit mentem et mentis comprehensionem, secundam, vocem et intelligentiam, tertiam, rationem et cogitationem. Seipsum porrò infinitam illam dicebat potentiam: ac Judæis quidem tanquam Filium apparuisse, ad Samaritanos verò tanquam Patrem descendisse, ad alias denique gentes tanquam Spiritum sanctum accessisse. Et cùm alteram quamdam in prostibulo stantem, Helenam nomine, sibi contubernalem fecisset, hanc primam mentis suæ comprehensionem aiebat esse, matremque omnium appellabat: ac per illam se et Angelos et Archangelos fecisse, ab Angelis autem fabricatum esse mundum. Angelos posteà, cùm ei inviderent, ipsam apud se detinuisse. Nolebant enim, inquit, ejus opera dici. Quare in multa illam mulierum corpora immiserunt, tùm in Helenam quoque illam, propter quam Trojanum bellum gestum est. Propter hanc etiam se aiebat descendisse, ut et ipsam ab impositis vinculis liberaret, et hominibus per ejus agnitionem salutem præberet. Descendisse autem immutatum, ne ab Angelis qui res creatas administrant, cognosceretur, et in Judæâ tanquam homines apparuisse, cùm homo non esset, et tanquam passum, cùm passus non esset. Prophetas autem Angelorum ministros fuisse. Itaque eos qui in ipsum crederent, jubebat illos non attendere, nec legis minas pertimescere, sed tanquam liberos facere quæ vellent. Non enim per bonas actiones, sed per gratiam ipsos salutem consecuturos. Quâ de causâ qui hujus erant sectæ, liberè omnem libidinem exercebant, et præstigiarum omni genere utebantur, amatoria quædam et pellicentia usurpantes, et quæcunque alia incantatores solent, velut divina mysteria, obeuntes. Et cùm hujus quidem in Jovis figuram, Helenæ autem in speciem Minervæ statuam efformassent, his thura adolebant et libabant, ac tanquam Deos adorabant, Simonianorum sibi nomen imponentes. Ex hàc amarissimâ radice orti sunt Cleobani, Dositheani, Gortheni, Masbothei, Adrianistæ, Eutychetæ,

S. Petrus Apostolorum princeps confutavit et oratione prostravit. (B)

Plures habuit Simon sectatores et discipulos. MENANDER fuit unus ex præcipuis. Is jactitavit esse se missum à Deo servatorem ad hominum salutem. Novum et insolitum Baptisma prædicabat, cui tribuebat effectus planè mirabiles, v. g. immunitatem à senio et à morte. (C)

Canistæ. Verùm hi omnes, cùm impiæ hæresis parvas quasdam mutationes excogitassent, non diù durârunt, sed perpetuæ oblivioni traditi sunt.

(B) ARNOB. *Lib.* 2. *advers. gentes pag.* 50. *edit. Leid. ann.* 1651. Viderant enim currum Simonis magi, et quadrigas igneas Petri ore diffiatas, et nominato Christo evanuisse. Viderant, inquam, fidentem falsis diis, et ab eisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, cruribus jacuisse præfractis; post deindè perlatum Bruudam, cruciatibus et pudore defessum ex altissimi culminis se rursùm præcipitasse fastigio.

S. EPIPHANIUS *adv. Hæres. lib.* 1. *Tom.* 2. *Hæres.* 21. *n.* 5. Quonam verò pacto, id quod compertum est, accidere potuit, ut certo definitoque tempore Romæ mortem obierit, cùm mediâ in urbe decidens ex alto miser interiit? Quâ ratione Petrus hanc in illum sententiam tulit: nullam illum in divino cultu sortem ac partem obtinere.

S. PHILASTRIUS Brixiensis Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. eorum qui post Christi pass. Hæres. arguuntur*, *n.* 1. Qui (*Simon*) cùm fugeret B. Petrum Apostolum de Jerosolymitanâ civitate, Romamque veniret, ibique pugnaret cum B. Apostolo apud Neronem Regem, devictus undique oratione B. Apostoli, atque percussus ab Angelo sic meruit interire, ut ejus magiæ evidens mendacium cunctis hominibus patefieret.

S. AUG. *de Hæres. ad Quodvultdeum. n.* 1. In quâ urbe (Romæ) Apostolus Petrus eum (Simonem) verâ virtute Dei omnipotentis exstinxit.

S. AMBROS. *Lib.* 4. *seu Serm.* 6. *Hexameron. c.* 8. *n.* 33. Petrus Simonem alta cœli magico volatu petentem, dissolutâ carminum potestate, dejecit et stravit.

THEODORET. *Lib.* 1. *Hæret. fabul. cap.* 1. At rursùs adveniens divinus Petrus fraudis eum pennis nudavit. Quem demùm ad miraculorum certamen cùm provocasset, ac divinæ gratiæ et præstigiarum discrimen ostendisset, spectantibus omnibus Romanis, magnâ illum ex altitudine precibus suis deturbavit, spectatoresque miraculi ad salutem perduxit.

(C) JUSTINUS MARTYR *Apolog.* 2. *pag.* 91. *edit. Paris. an.* 1615. *n.* 73. Qui (*Simon et Menander*) magicis virtutibus edendis multos in fraudem seduxerunt, atque etiam nunc quos seducant habent.

TERTULL. *de animâ cap.* 50. Hæretici magi Menandri Samaritani furor conspuatur; dicentis mortem ad suos non modò non pertinere, verùm nec pervenire. In hoc scilicet se à supernâ et arcanâ potestate legatum, ut immortales et incorruptibiles, et statim resurrectionis compotes fiant, qui baptisma ejus induerint.

S. IRENÆUS *adv. Hæres. lib.* 1. *cap.* 21. Hujus (Simonis) successor fuit Menander, Samarites genere, qui ipse ad summum magiæ pervenit. Qui primam quidem virtutem incognitam ait omnibus: se autem cum esse, qui missus sit ab invisibilibus salvatorem pro salute hominum. Mundum autem factum ab Angelis, quos et ipse similiter ut Simon, ab Ennoiâ emissos dicit. Dare quoque per eam, quæ à se doceatur, magiam scientiam addidit, ut ipsos qui mundum fecerunt vincat Angelos. Resurrectionem enim per id quod est in eum baptisma accipere ejus discipulos, et ultrà non posse mori, sed perseverare non senescentes et immortales.

EUSEBIUS *Eccles. Historiæ lib.* 3. *cap.* 26. Simonis magi successor Menander.... Hic quoque Samarites, ad summam magicarum artium peritiam perindè ac magister progressus, pluribus adhuc et absurdioribus figmentis exuberavit. Nam seipsum quidem servatorem esse asserebat, ad hominum salutem ex ævis quibusdam invisibilibus ab alto destinatum. Neminem verò aiebat ipsos mundi conditores Angelos posse superare, nisi

NICOLAITÆ, de quibus mentio fit in Apocalypsi, (II. 6. *et* 15.) fuêre item Simonis Discipuli. Hùc referre pudet quot obscena docuerint et peregerint. Nomen sumpserunt à Nicolao, uno ex septem prioribus Diaconis, quem multi existimant fuisse hujus Sectæ antesignanum : alii negant. (D)

qui priùs magicâ disciplinâ à se institutus et baptismo quem ipse tradebat initiatus fuisset. Quem baptismum quicunque suscipere meruissent, eos perpetuam in hoc seculo immortalitatem adepturos affirmabat, non ampliùs morti obnoxios, sed hìc in ævum permansuros, juvenes semper atque immortales futuros.... Fuit hoc diabolicæ calliditatis commentum, ut per maleficos homines Christianorum nomen falsò sibi vindicantes, magnum illud religionis nostræ sacramentum magicæ artis infamiâ aspergeret, et Ecclesiastica dogmata de animorum immortalitate, ac de mortuorum resurrectione ludibrio exponere omnibus modis conaretur. Sed isti quidem, qui ejusmodi servatores sibi adsciverant, spe veræ salutis penitùs exciderunt.

Lib. 4. *cap.* 22, *Ex* HEGESIPPO *hæc refert.* Postquàm Jacobus cognomento justus martyrium.... pertulit.... Simeon Cleophæ filius, Episcopus constituitur (*Hierosolymis*)... Et Ecclesiam quidem hactenùs virginem vocabant, propterea quòd vanis sermonibus nondùm corrupta fuerat. Primus Thebuthis, indignè ferens quòd minimè creatus esset Episcopus, eam occultè vitiare est aggressus. Fuit hìc è septem illis sectis in Judaïco populo proseminatis. Ex quibus fuit etiam Simon, à quo Simoniani fluxerunt : et Cleobius, à quo Cleobiani : et Dositheus, à quo Dositheani : et Gortheus, à quo Gortheni : et Masbotheus, à quo Masbothei sunt cognominati. Ex his etiam manàrunt Menandriani et Marcionistæ, et Carpocratiani, et Valentiniani, et Basilidiani, et Saturniliani, aliique qui seorsùm singuli proprias opiniones induxerunt. Ex iis orti sunt Pseudo-Christi, Pseudo-Prophetæ, Pseudo-Apostoli, qui adulterinam invehentes doctrinam adversùs Deum et adversùs Christum ejus, unitatem Ecclesiæ disciderunt.

S. EPIPHAN. *adv. hæres. lib.* 1. *Tom.* 2. *hæres.* 22. *n.* 1. Menander... genere Samaritanus aliquanto tempore Simoni operam dedit. Atque hic perindè ut alter mundum ab Angelis fabricatum, seipsum verò Dei vim esse de cœlo missam asserit..... Se etiam aiebat ad humani generis salutem emissum.

S. PHILASTRIUS Brixiensis Episc. *lib. de hæres. in Catal. eorum qui post Christi pass. hæres. arguuntur, n.* 2. Post hunc (*Simonem*) Menander quidam nomine, qui discipulus factus ipsius impietatem est secutus in omnibus.

S. AUG. *Lib. de hæres. ad Quodvultdeum n.* 2. Menandriani à Menandro etiam ipso mago, discipulo ejus, qui mundum asserebat non à Deo, sed ab Angelis factum.

THEODORET. *Hæret. fabul. lib.* 1. *cap.* 2. Menander, et ipse Samaritanus, ex vico cui Chabrai nomen est, illius quidem (*Simonis*) præligias sectatus est, primam tamen se potentiam non nominavit, ignotam enim hanc aiebat esse, cæterùm ab illâ se missum jactitans, servatorem seipsum appellavit. Angelos verò similiter ac Simon à Mentis comprehensione productos, et hos mundum fabricatos esse dixit. Salvari autem eos qui in ipsum baptizentur, et potentiores etiam in hâc vitâ effici, potestatemque accipere, ut mundi effectrices potestates facillimè superent, Contra hos scripsit Justinus, qui sub habitu Philosophi defensor fuit veritatis, martyriique coronâ redimitus est ; et Irenæus... vir idem quoque Apostolicus ; et Origenes mùltiplici doctrinâ præditus.

(D) ACT. VI. 5. Elegerunt (*Apostoli*) Stephanum... et Nicolaum advenam Antiochenùm.

APOCAL. II. 6. Odisti facta Nicolaïtarum, quæ et ego odi.

Ibid. 12. Angelo Pergami Ecclesiæ scribe... 14. Habeo adversùs te pauca : quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israël, edere, et fornicari : ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaïtarum.

S. IRENÆUS *adv. hæres. lib.* 1. *c.* 26. *n.* 3. Nicolaïtæ autem magistrum

quidem habent Nicolaum, unum ex VII qui primi ad Diaconium ab Apostolis ordinati sunt : qui indiscretè vivunt. Plenissimè autem per Joannis Apocalypsim manifestantur qui sint, nullam differentiam esse docentes in mœchando, et idolothyton edere. Quapropter dixit et de iis sermo : *Sed hoc habes quòd odisti opera Nicolaitarum, quæ et ego odi.*

S. CLEMENT. ALEXAND. *Stromat. lib.* 3. *habes hîc apud* EUSEBIUM *et apud* THEODORETUM.

EUSEBIUS *Eccles. Hist. lib.* 3. *cap.* 29. Sub idem tempus hæresis, quæ dicitur Nicolaïtarum, brevissimo temporis spatio permansit.... Hi Nicolaum quemdam, unum ex illis qui ad curam inopum gerendam unà cum Stephano ab Apostolis constituti fuerant ministri, sectæ suæ auctorem jactabant. De hoc autem Clemens Alexandrinus in tertio operis quod *Stromateus* inscribitur libro, hæc narrat ad verbum. Cùm haberet formosam uxorem, post ascensionem Domini, objurgantibus Apostolis, et zelotypiam ei objicientibus, productam in medium uxorem, cui vellet ducere permisit. Hoc enim factum affirmant planè consentire cum illo ejusdem dicto, suâ quemque carne abuti oportere. Hoc igitur factum dictumque temerè atque imprudenter pro exemplo sibi proponentes Nicolaï sectatores, licenter in omne genus stupri feruntur. Atqui de Nicolao sic accepimus, nullius cum mulieris præterquam illius, quam uxorem duxerat, concubitu usum fuisse : et ex ejus liberis filias quidem usque ad extremam ætatem virgines permansisse : filium verò ipsum quoque veneris expertem vixisse. Quæ cùm ita sint, illa uxoris, ob quam zelotypiæ arguebatur, coram Apostolis productio, indicium erat affectûs domiti atque exstincti : et verbis illis suâ quemque carne abuti oportere, voluptatum quas homines tantoperè appetunt, fuga et continentia docebatur.

S. EPIPHAN. *adversùs Hæres. lib.* 1. *Tom.* 2. *hæres.* 25. *n.* 1. Nicolaus è numero septem Diaconorum fuit, qui ab Apostolis delecti sunt... Hic oriundus Antiochiâ sese ad Judæorum sectam aggregavit. Posteà Christianum dogma complexus, ad discipulos adjunctus, atque inter primarios annumeratus est. Inde in eorum ordinem relatus est, qui ad viduarum præfecturam electi sunt. Verùm posteà in eum se diabolus insinuavit, ejusque mentem veterum illorum, quos commemoravimus, erroribus imbuit, ut etiam majus ipsi quàm iisdem illis vulnus infligeret. Nam cùm uxorem haberet elegantî specie mulierem, ab eâ sibi aliquandiù temperavit, ut eos imitaretur, quos Deo penitùs addictos cerneret. Sed non intemperantiam suam perpetuò coercere potuit.... sine ullâ tergiversatione cum uxore consuetudinem habere instituit. Verùm suæ sibi ignaviæ conscius, ac ne deprehenderetur veritus, jactare illud ausus est : nisi qui singulis diebus luxuriæ vacet, sempiternam salutem neminem posse consequi.

S. PHILASTR. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. eorum qui post Christi pass. hæres. arguuntur*, *n.* 5. Nicolaum Antiochenum advenam, quâ sit amentiâ deceptus, videamus. Hic sub Apostolis fuit, atque ab eis est electus Diaconus septimus.... Posteàque recedens ab eis, atque à sanâ doctrinâ, diversis erroribus et fallaciis pessumdatus est. Qui fuit primùm cum Apostolis, et Stephano beatissimo martyre : Qui dicit et ipse virtutes esse plurimas, undè et Gnostici, qui scire se aliquid putant, maximè emerserunt. Isti Barbelo venerantur, et Noram quamdam mulierem. Alii autem ex eis Jaldaboth quemdam, alii autem Calacaun hominem. Dicunt autem et dogmata ponentes ista : Antè erant solùm tenebræ et profundum ex aqua, atque terræ divisio facta est in medio, et Spiritus separavit hæc elementa. Tunc ergo tenebras intuentes in spiritum genuerunt quatuor æonas : hoc autem dextera atque sinistra lux, inquit, sunt, et quemdam etiam concubuisse cum illâ muliere et virtute dicunt, de quâ nati sunt Dii, et homines et Angeli et septem spiritus dæmoniorum. Addunt etiam Prophetas quosdam natos de eâ specioso nomine et Barabbam. Alii autem Evangelium consummationis, et visiones inanes et plenas fallaciæ et somnia videre se diversa asserunt delirantes.

S. HIERONYM. *Epist.* 5. *alias* 1. *ad Heliodor.* Stephanum suspicio ; Nicolaum respice, quem Dominus in Apocalypsi suâ damnat sententiâ, qui tam turpia et nefanda commentus est, ut Nicolaïtarum hæresis ex illâ radice nascatur.

Cerinthus (E) et **Ebionitæ** (F) inter plurimos errores,

S Aug. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, n.* 5. Nicolaïtæ à Nicolao nominati sunt, uno, ut perhibetur, ex illis septem, quos Apostoli Diaconos ordinàrunt. Iste cùm de zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, velut purgandi se causà permisisse fertur, ut eâ qui vellet uteretur. Quod ejus factum in sectam turpissimam versum est, quâ placet usus indifferens feminarum. Hic nec ab iis quæ idolis immolantur, cibos suos separant: et alios ritus Gentilium superstitionum non aversantur. Narrant etiam quædam fabulosa de mundo, nescio quæ barbara principum nomina miscentes disputationibus suis, quibus terreant auditores, quæ prudentibus risus potiùs faciunt quàm timorem. Intelliguntur autem etiam isti non Deo tribuere creaturam, sed quibusdam potestatibus, quas mirabili vel fingunt vanitate, vel credunt.

Theodor. *Hæret. fabul. lib.* 3. *n.* 1. Nicolaïtarum hæresis non solùm ex amentiâ, verùm etiam ex intemperantiâ conflata est. De hâc Clemens *Strom. Lib.* 3. apertiùs docuit. Narrat autem Nicolaum unum fuisse ex septem Diaconis, quos Apostolorum chorus elegit ad viduarum ministerium. Et cùm formosam haberet uxorem, accusatum apud Apostolos fuisse, quasi zelotypiæ morbo laboraret. Illum autem, dùm opinionem hanc amovere conatur, in medium uxorem adduxisse, et permisisse ut eâ frueretur qui vellet: non hoc lege aliquâ decernentem, sed ut accusatorum calumniam redargueret. Indè nonnulli, id quod ab illo prædictâ de causâ gestum fuerat pessimè accipientes, communes habere uxores sanxerunt. At Nicolaum Clemens temperantiâ insignem fuisse, liberosque supernaturalem castitatem docuisse refert, ac filium cælibem, filias virgines permansisse. Ex quibus liquidò convincuntur falsò sibi de hujus appellatione nomen arrogare, qui suprà dictam intemperantiam exercent. Contra hos scripsit prædictus Clemens, et Irenæus, et Origenes, et Hippolytus Episcopus et Martyr.

Si plura cupis, lege Natalis Alexandri *eruditam Dissert. tom.* 1. *Hist. Eccles.*

(E) S. Irenæus. *Lib.* 1. *cap.* 26. Cerinthus autem quidam in Asiâ, non à primo Deo factum esse mundum docuit, sed à virtute quàdam valdè separatâ, et distante ab eâ principalitate, quæ est super universa, et ignorante eum qui est super omnia Deum. Jesum autem subjecit non ex Virgine natum, impossibile enim hoc ei visum est. Fuisse autem eum Joseph et Mariæ filium, similiter ut reliqui omnes homines; et plus potuisse justitia et prudentiâ et sapientiâ præ omnibus: et post baptismum descendisse in eum, Christum, ab eâ principalitate, quæ est super omnia, figura columbæ; et tunc annuntiasse incognitum Patrem, et virtutes perfecisse; in fine autem revolasse iterùm Christum de Jesu, et Jesum passum esse et resurrexisse. Christum autem impassibilem perseverasse, existentem spiritalem.

Eusebius *Eccles. Hist. lib.* 3. *cap.* 28. Eâdem tempestate alterius hæresis auctorem fuisse Cerinthum accepimus. De quo Caius... hæc.... scribit. Sed et Cerinthus per revelationes quasdam à se tanquam à magno quodam Apostolo conscriptas, portenta quædam quasi ab Angelis sibi ostensa commentus nobis introducit, affirmans post resurrectionem regnum Christi in terris futurum, ac rursùs homines Hierosolymis degentes cupiditatibus et voluptati corporis obnoxios fore. Additque hostis ille divinarum Scripturarum, mille annorum spatium in nuptialibus festis transactum iri, quò faciliùs imperitos homines decipiat... Dionysius.. Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus.... ejusdem Cerinthi mentionem facit his verbis: Cerinthum verò, qui hæresim illam, quæ ab ipso Cerinthiana cognominata est, condidit, aiunt, eum librum composuisse, indito Joannis nomine, dùm auctoritatem figmentis suis ex Joannis nomine mutuari vellet. Hæc enim fuit illius opinio, regnum Christi terrenum futurum. Et quarum rerum cupiditate ipse flagrabat, ut potè voluptatibus corporis obnoxius carnique addictus, in iis regnum Dei situm fore somniavit, in ventris, et earum quæ infra ventrem sunt partium explenda libidine: hoc est in cibo et potu, ac nuptiis, atque ut honestiori vocabulo ejus-

modi voluptates velaret, in festis et sacrificiis et hostiarum mactationibus. Irenæus verò adversùs hæreses... tertio libro (*Cap.* 3.) historiam quamdam planè dignam quæ memoriæ mandetur, scriptis prodidit. Ait enim ita se à Polycarpo accepisse, Joannem Apostolum, cùm aliquando in balneum lavandi causà introisset, et Cerinthum intùs esse didicisset: statim ex eo loco fugâ se proripuisse, cùm ne tectum quidem idem cum Cerintho subire sustineret: hortatumque esse comites suos ut idem facerent. Fugiamus, inquit, ne balneum corruat in quo Cerinthus est, veritatis inimicus.

S. Epiphan. *adversus Hæreses lib.* 1. *tom.* 2. *hæres.* 28. *n.* 1. Cerinthus, à quo Cerinthiani Hæretici nominantur.... pari in Christum (*ac Carpocras*) calumniâ censet, hunc è Mariâ Josephique semine esse prognatum: mundumque similiter ab Angelis fabricatum... legem ac Prophetas ab Angelis profectos asserit, eumque, qui legem tulerit, ex eorum Angelorum esse numero, à quibus orbis est conditus. Porrò Cerinthus iste in Asiâ versatus doctrinam suam proferre isthic cœpit... Tùm ita docuit: Postquam ille Jesus adolevit, qui ex Josephi Mariæque semine natus est, in hunc delapsum à summo illo Deo esse Christum, hoc est, Spiritum sanctum columbæ specie ad Jordanem, ac tum ei incognitum parentem, et per illum posteris patefecisse. Ob idque mox ut in ipsum cœlestis illa sese virtus infudit, portenta ac miracula patrasse, ac demum posteàquam passus est, quod è cœlo venerat, eodem relicto Jesu revolasse; Jesum porrò et obiisse mortem, ad vitam excitatum esse: Christum verò qui descenderat pœnæ omnis expertem eò undè venerat reversum... Ita Jesum minimè esse Christum... *N.* 2. Eum à quo lex tradita sit bonum negat esse.

S. Philastr. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. eorum qui pòst Christi pass. hæres. arguuntur*, *n.* 8. Cerinthus successit hujus errori (*Carpocratis*) et similitudini vanitatis, docens de generatione itidem Salvatoris, deque creaturâ Angelorum, in nullo discordans ab eo, nisi quia ex parte solùm legi consentit, quòd à Deo data sit, et ipsum Dominum Judæos (*l. Judæorum*) esse existimat, qui legem dedit filiis Israel. Docet autem circumcidi, et sabbatizari, et Christum nondùm resurrexisse à mortuis, sed resurrecturum annuntiat. Apostolum Paulum non accipit, Judam traditorem honorat, Evangelium secundùm Matthæum solùm accipit, tria Evangelia spernit, Actus Apostolorum abjicit, beatos Martyres blasphemat. Hic sub Apostolis quæstionem seditionis commovit, dicens debere circumcidi homines, cujus causâ contra illum et hæresim ejus decreverunt de suis Actibus Apostoli sententiam, non debere jam homines Judaïsmo, id est, circumcisioni, aliisque talibus superstitionis vanæ parere carnalibus, qui de gentibus venientes credebant in Christum Dominum nostrum Salvatorem.

S. Aug. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum*, *n.* 8. Cerinthiani à Cerintho, iidemque Merinthiani à Merintho, mundum ab Angelis factum esse dicentes, et carne circumcidi oportere, atque alia hujusmodi legis præcepta servari. Jesum hominem tantummodò fuisse, nec resurrexisse, sed resurrecturum asseverantes. Mille quoque annos post resurrectionem in terreno regno Christi, secundùm carnales ventris et libidinis voluptates, futuros fabulantur: undè etiam Chiliastæ sunt appellati.

Theodoret. *Hæret. fabul. lib.* 2. *n.* 3. Eodem tempore Cerinthus aliam hæresim instituit. Is in Ægypto plurimo tempore versatus, et in philosophicis scientiis eruditus, venit posteà in Asiam, et discipulos suos de nomine suo appellavit. Docuit is autem, unum quidem universorum Deum esse, non ipsum tamen conditorem esse mundi, sed separatas quasdam potestates, quæ illum penitùs ignorant. Jesum verò, sicut Hebræi, secundùm naturam ortum esse dixit ex viro et feminâ, Josephi nimirùm et Mariâ; temperantiâ autem et justitiâ, et aliis virtutibus excelluisse. Christum autem supernè in eum in specie columbæ descendisse, ac tunc Deum qui ignorabatur prædicasse, et quæ scripta sunt miracula fecisse. Tempore autem passionis recessisse Christum, et Jesum passionem subiisse. Idem etiam revelationes quasdam confinxit, quasi eas esset contemplatus, et minarum quarumdam doctrinas composuit, et regnum Domini terrenum fore dixit, esumque, et potum

somniavit, et voluptates sibi finxit, et nuptias et sacrificia, et dies festos, qui Hierosolymis celebrentur, atque hæc mille annorum spatio complenda. Tandiù enim duraturum Domini regnum putabat. Contrà hunc autem scripserunt non modò (*Justinus, Irenæus, Origenes et Eusebius*,) sed cum illis etiam Caius, et Dionysius Alexandrinus Episcopus. Hunc, ut fama est, divinus Joannes Evangelista lavantem conspicatus, (accidit enim ut ipse propter infirmam valetudinem balneo uteretur) Fugiamus hinc, ait, ne si balneum Cerinthi causà ruat, eâdem et nos ruinâ opprimamur.

(F) S. Irenæus, *advers. Hæres. lib.* 1. *cap.* 26. Qui autem dicuntur Ebionæi, consentiunt quidem mundum à Deo factum: ea autem quæ sunt erga Dominum, non similiter ut Cerinthus et Carpocrates opinantur. Solo autem eo quod est secundùm Matthæum Evangelio utuntur, et Apostolum Paulum recusant, apostatam eum Legis dicentes. Quæ autem sunt prophetica curiosiùs exponere nituntur, et circumciduntur, ac perseverant in his consuetudinibus quæ sunt secundùm Legem et Judaïco charactere vitæ uti, et Hierosolymam adorant, quasi domus sit Dei.

Eusebius *Eccles. Histor. lib.* 3. *cap.* 27. Hi ab antiquis cognominati sunt Ebionæi, quippè qui humiliter admodùm atque abjectè de Christo sentirent. Eum enim simplicem, ac vulgarem, nec aliud quàm hominem esse censebant, qui profectu virtutis justus factus fuisset; cæterum ex viri cum Mariâ concubitu procreatum. Porrò Legis observationem sibi omninò necessariam ducebant, quasi per solam in Christum fidem, vitamque ex eâ fide traductam, salutem consequi non valerent. Alii ab his, eodem nomine nuncupati, absurdam priorum sententiam refugientes, Christum quidem ex Virgine et ex Spiritu sancto genitum esse non negant: sed iidem nihilominùs cùm Christum utpote Deum Verbum ac sapientiam Patris ante omnia substitisse minimè fateantur, in eamdem cum prioribus impietatem delapsi sunt: cùm præsertim corporales Legis Mosaïcæ cæremonias, perindè ac illi accuratè custodiant. Hi Epistolas quidem Pauli prorsùs rejiciendas esse censebant, desertorem illum legis vocantes: solùm autem Evangelium illud, quod secundùm Hebræos dicitur amplexi, reliqua parvi faciebant. Et Sabbatum quidem aliosque Judaïcos ritus non secùs ac Judæi observabant: diebus verò Dominicis eadem, quæ nos, in memoriam resurrectionis Domini peragebant. Cujus rei causâ Ebionæorum cognomen sortiti sunt, quo intelligentiæ illorum inopia satis indicatur. Sic enim mendici apud Hebræos vocantur.

S. Epiphan. *adv. Hæres. lib.* 1. *tom.* 2. *hæres.* 30. *n.* 2. Ebion è virili concubitu ac semine, putà Josephi, natum esse Christum asseruit.... Judæorum ritus ac cæremonias amplexus est, veluti sabbatum, ac circumcisionem.... et hoc adjecit, ut ab externorum hominum tactu sese contineret, utque diebus singulis quoties mulierem attigisset, ab ejusque complexu surgeret, aquâ se prolueret.... Quòd si ab illâ lotione ac mersione rediens in quempiam incurrat, denuò ad abluendum sese, sæpè etiam cum ipsis vestimentis regreditur.... Virginitas apud illos (Ebionitas) et castitas omninò prohibetur, id quod et cæteræ omnes hujusmodi hæreses usurpant. Hujus factionis exordium post Hierosolymitanæ urbis excidium cœpit. *N.* 3. Qui ejus errorem secuti sunt.... Alii aliter de Christo pronuntiant.... Nonnulli enim ex iis Adamum fuisse Christum prædicant.... Alii è cœlo Christum esse confitentur, sed ante omnia creatum, ac spiritum esse quemdam, Angelisque præstare, atque omnium rerum dominatum tenere, appellari porrò Christum. Qui cùm perpetuam illic habitationem sortitus sit, quoties libuerit in hæc infima delabitur, quemadmodùm in Adamo descendit, et Patriarchis corpore circumfusus apparuit; velut cùm ad Abrahamum, Isaacum, et Jacobum adiit. Idem denique postremis temporibus venit, Adami corpore contectus, et homo visus est, et in crucem sublatus resurrexit, et ascendit in cœlum. Rursùs ubi libuerit ita sese rem habere negant: in eumque duntaxat sese sanctum infudisse spiritum, qui est ipse Christus, eumque qui Jesus vocatus est induisse.... Evangelium illi quidem secundùm Matthæum admittunt, quo solo Cerin-

quos hîc enumerare superfluum est, primi docuerunt Jesum Christum non esse Deum. Ad illos confutandos Apostolus suum scripsit Evangelium, ut refert S. Hieronymus. (G)

Hi omnes Hæretici confutati sunt vel ab ipsis Apostolis vel à viris Apostolicis.

Saturninus et Basilides addicti fuerunt erroribus et ineptiis Simonis magi et Menandri, quibus et ipsi multas impietates addidêre.

SATURNINUS, vel SATURNILUS primus omnium nuptias et matrimonium damnavit. (H)

thianorum.... instar utuntur, idque ipsum secundum Hebræos appellant. *N.* 13. Quanquam ne integrum quidem illud habent, sed adulteratum ac mutilum. *N.* 15. Ab animatis omnibus et carnibus reliquoque omni, quod carne constet, abstinent.... quòd illa è corporum coitu concubituque gignantur. *N.* 16. Ex Christianorum Ecclesiæque imitatione mysteria quædam quotannis celebrant, in quibus panes azymos, et ad alteram mysterii partem meram aquam adhibent. Duos.... à Deo constitutos asserunt Christum et diabolum. Quorum illi futuri, huic præsentis seculi potestas est commissa.... Propterea Apostolorum alios actus circumferunt, in quibus plurima sunt impietatis illorum vestigia; ejusque potissimùm auctoritate libri ad oppugnandam veritatem armantur. *N.* 17. Gloriantur.... se (*Apostolorum*) exemplo ad mendicitatem redigi, ac bonis omnibus abdicare, proindèque passim mendicos appellari. *N.* 18. Ebion tametsi in Asiâ, ac Romæ errorem suum disseminaverit, nihilominùs spinosorum suorum germinum stolonumque radices ex Nabathæâ atque Paneade potissimùm trahit, etc.

S. PHILASTR. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. eorum qui post Christi pass. hæres. arguuntur, n.* 9. Ebion discipulus Cerinthi, in multis ei similiter errans, Salvatorem nostrum hominem de Joseph natum carnaliter existimabat, nihilque in eo divinitatis fuisse docebat, sed sicut omnes Prophetas, sic et eum gratiam Dei habuisse asserebat, non tamen Dominum majestatis, et Dei Patris Filium, cum Patre sempiternum esse credebat, cùm divinæ Scripturæ Dominum sempiternum, cum Patre verò æquè sempiterno ubique testentur ac prædicent.

S. AUG. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, n.* 10. Ebionæi Christum etiam ipsi tantummodò hominem dicunt. Mandata carnalia Legis observant, circumcisionem scilicet carnis, et cætera, à quorum oneribus per novum Testamentum liberati sumus.

THEODORET. *Hæret. fab. lib.* 2. *n.* 1. (*Hæreticæ*) catervæ princeps fuit Ebion, Hebræi verò mendicum ita vocant. Hic unum quidem, sicut et nos, ingenitum dixit, eumque mundi opificem esse docuit, Dominum autem Jesum Christum ex Joseph et Maria natum esse, qui homo quidem erat, sed virtute et innocentiâ omnibus antecellebat, ex Lege autem Mosaïcâ vitam instituebat. Solùm hi Evangelium secundùm Hebræos recipiunt, Apostolum verò Apostatam vocant. Ex his erat Symmachus qui vetus Testamentum ex Hebraïcâ in Græcam linguam transtulit.

(G) S. IRENÆUS *Lib. contra Hæres. cap.* 2.... Joannes Domini Discipulus volens per Evangelii annuntiationem auferre eum, qui à Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem.

S. HIERONYM. *de Scriptoribus Ecclesiasticis, c.* 19. Joannes Apostolus.... novissimus omnium scripsit Evangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis, adversùs Cerinthum, aliosque Hæreticos, et maximè tunc Ebionitarum dogmata consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse. Undè et compulsus est divinam ejus nativitatem edicere.

(H) 1. TIM. IV. 1. Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, 2. in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, 3. prohibentium nubere, (*docentium*) abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem. 4. Quia

omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur : 5. sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.

S. Irenæus *advers. Hæres. lib.* 1. *cap.* 22. Saturninus qui fuit ab Antiochiâ, quæ est apud Daphnem, et Basilides, occasiones accipientes, distantes doctrinas ostenderunt, alter quidem in Syriâ, alter verò in Alexandriâ. Saturninus quidem similiter ut Menander, unum Patrem incognitum omnibus ostendit, qui fecit Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates. A septem autem quibusdam Angelis mundum factum, et omnia quæ in eo. Hominem autem Angelorum esse facturam, desursùm à summâ potestate lucidâ imagine apparente, quam cùm continere non potuissent, inquit, eò quòd statim recurrerit sursùm, adhortati sunt semetipsos, dicentes : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram : qui cùm factus esset, et non potuisset erigi plasma per imbecillitatem Angelorum, sed quasi vermiculus scarizaret, miserantem ejus desuper virtutem, quoniam in similitudinem ejus esset factus, emisisse scintillam vitæ, qui erexit hominem, et articulavit et vivere fecit. Hanc igitur scintillam vitæ, post defunctionem recurrere ad ea, quæ sunt ejusdem generis dicit; et reliqua ex quibus facta sunt illa resolvi. Salvatorem autem innatum demonstravit, et incorporalem, et sine figurâ, putativè autem visum hominem : et Judæorum Deum unum ex Angelis esse dixit, et propter hoc quòd dissolvere voluerint Patrem ejus omnes principes, advenisse Christum ad destructionem Judæorum Dei, et ad salutem credentium ei; esse autem hos, qui habent scintillam vitæ ejus. Duo enim genera (hic primus) hominum plasmata esse ab Angelis dixit, alterum quidem nequam, alterum autem bonum. Et quoniam dæmones pessimos adjuvabant, venisse Salvatorem ad dissolutionem malorum hominum et dæmonum, ad salutem autem bonorum. Nubere autem et generare à Satanâ dicunt esse. Multi autem ex iis, qui sunt ab eo, et ab animalibus abstinent, per fictam hujusmodi continentiam seducentes multos. Prophetias autem quasdam quidam ab iis Angelis, qui mundum fabricaverint dictas; quasdam autem à Satanâ, quem et ipsum Angelum adversarium mundi fabricatoribus ostendit, maximè autem Judæorum Deo.

Eusebius *Eccles. Histor. lib.* 4. *cap.* 7. Ex Menandro.... exorta venenata quædam bestia bilinguis ac biceps, duarum hæreseon inter se discrepantium duces constituit Saturninum domo Antiochenum, et Basilidem Alexandrinum. Quorum ille quidem in Syriâ, hic verò apud Ægyptum impiæ doctrinæ scholas condidit. Et Saturninum quidem eadem ferè cum Menandro mentitum esse declarat Irenæus.

S. Epiphan. *adv. Hæres. lib.* 1. *tom.* 2. *hæres.* 23. *n.* 1. Saturnilus.... erroris argumenta à Menandro ac prioribus accepit. Hic in Syriâ degens, Antiochiæ scilicet ad Daphnen „... perindè ac Menander mundum ab Angelis factum esse prædicabat. Prætercà unum esse Patrem ignotum, qui Virtutes, Principatus, et Potestates creaverit. Porrò Angelos à superiori virtute descivisse : ex quibus septem mundum et quæ mundo sunt comprehensa condiderint, ejusque mundi suam quemque Angelum partem esse sortitum. Eosdem tamen in unum convenientes, aiebat, cùm id in eorum animos incidisset, communiter hominem ad illius imaginem effinxisse vocis, quæ furtim è cœlo prodierat. Quam obiter conspectam, et subindè recurrentem cùm detinere minimè potuissent, imitari voluisse : nec aliam fabricandi hominis occasionem illos habuisse. Cùm enim supernè lumen illud emicuisset, ea res Angelos ipsos excitavit : qui cœlestis similitudinis exprimendæ desiderio, hominis figmentum elaborare conati sunt.... Cæterùm edito in lucem homine, Angelos, ait, præ imbecillitate suâ perficere opus minimè quivisse; proindè in solo jacentem ac subsultantem reptantis instar vermiculi neque erigere se, neque aliud quicquam agere potuisse, donec virtus illa cœlestis hoc prospiciens, atque ob imaginem suam atque effigiem hominis miserta, vis suæ scintillam immisit : quâ et illum erexit, et vitam impertiit. Nimirùm per scintillam istam humanam animam intelligunt. Atque ideò servari, ait, omninò scintillam hanc oportet, perire verò quidquid hominis proprium est; quod tùm accidit, cùm id quod è cœlo delapsum est, definito temporis intervallo, sursùm evolat; simili-

terque quod infimum est, eò undè prodierat, regreditur. Quod ad Christum attinet, ejusdem impostoris est dogma : cum solà illum hominis figurà atque effigie venisse, omniaque ab eo specie tenùs perfecta ; cujusmodi fuit nasci, ambulare, videri, pati.

N. 2. Saturnilus unum ex iis quos constituit Angelis fuisse Judæorum Deum existimat : ac tam hunc quàm illum à suà virtute descivisse. Salvatorem verò de communi virtutum sententiâ à Patre missum, ut et Judæorum Deum in ordinem redigeret, et iis qui sibi crederent, salutem afferret. Ejusmodi esse sectæ illius homines, qui cœlestis illius parentis scintillam habeant. Duos quippè homines principio esse factos, bonum unum, alterum malum : à quibus duplex item genus hominum, bonum scilicet ac malum in mundo proseminatum est. Et quoniam dæmones malis opitulabantur, ideò postremis, ut antè dixi, temporibus ad bonos homines ope suâ sublevandos, malosque cum dæmonibus profligandos Salvator advenit. Jam uxores ducere, liberosque gignere ab Satanâ esse circulator idem pronuntiat. Quamobrem plerique ex horum disciplinâ animatis omnibus abstinent.... De Prophetarum oraculis ita veneficus ille disputat, ea partim à mundi opificibus Angelis, partim à Satanâ profecta.

S. Philastr. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. eorum qui post Christi pass. hæres. arguuntur*, *n.* 3. Saturninus quidam paulò post (*Menandrum*) et ipse sumens indè fomenta doctrinæ mortiferæ, asserebat mundum ab Angelis factum, et distare Angelos à virtute illà, et mundum esse divisum per ordinem Angelis, et cogitasse eos ut facerent hominem : fecerunt itaque hominem : et opus, inquit, ipsorum erat homo : De virtute enim supernà lumen dicunt fuisse dimissum, quod illuminavit mundum istum, et ad concupiscentiam adduxit Angelos, statimque ascendit in cœlum. At illi cupidi ipsius luminis facti, virtutem ejus videre cupiebant : non prævalentes autem, ad invicem dixerunt : Faciamus hominem secundùm imaginem et similitudinem nostram : et facto homine, quia impotens erat, salvari non potuit : Videns itaque virtus superna, quòd illi hoc fecerunt, misit scintillam, quæ correxit hominem et suscitavit, et fecit eum vivere. Scintillam itaque volunt salvari, alia autem virtutibus illis, quæ fecerunt, dimitti ac derelinqui suspicantur : Christum umbratiliter apparuisse affirmant, non carnem hominis veram et animam accepisse, atque omnem œconomiam mysterii Salvatoris ita complesse.

S. Aug. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum*, *n.* 3. Saturniani à quodam Saturnino, qui turpitudinem Simonianam in Syriâ confirmasse perhibetur : qui etiam mundum solos Angelos septem præter conscientiam Dei Patris fecisse dicebat.

Theodoret. *Hæret. fab. l.* 1. *n.* 2. (*Menandrum*) hunc habuêre magistrum Saturninus et Basilides : quorum ille Antiochiam ad Orontem fluvium sitam patriam sibi esse prædicabat, Basilides verò Alexandriam : qui et magistro et sibi invicem contrarias fabulas confinxêre. Ambo autem Hadriani Cæsaris tempore fuerunt.

N. 3. Ego verò Saturnili primùm fabulas exponam. Hic, quemadmodùm Menander, unum dixit esse Patrem prorsùs ignotum, et hunc Angelos creasse, aliasque potestates. Septem autem ex horum numero mundum condidisse, hominemque finxisse, et hoc illos dixisse, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Cumque figmentum erigi non posset, sed vermis instar serperet, miserta, inquit, divina potentia vitæ scintillam immisit, et imperfectum hominem perfecit. Hanc autem vitæ scintillam, post dissolutionem animalis, reverti ad potentiam quæ miserat. Servatorem verò Dominum non solùm non factum esse dixit, sed etiam ingenitum et incorporeum, et informem. Specie autem potiùs quàm rei veritate hominibus apparuisse. Judæorum Deum dixit unum ex Angelis fuisse. Deindè commenti oblitus (ingenitum enim Servatorem appellârat.) Patrem Christi ait cùm unà cum aliis Angelis Judæorum quoque Deum destruere vellet, Christum misisse in mundum ad salutem hominum, qui in ipsum crederent. Duas hominum docet esse differentias, et alios quidem bonos, alios malos esse, et hanc in naturâ sortitos esse differentiam. Cumque mali dæmones

BASILIDES primus docuit Christum non fuisse verum hominem, sed assumpsisse corpus phantasticum, nec fuisse verè crucifixum. (1) Hi validissimè confutati sunt à SS. Patribus qui eo seculo floruêre, præsertim S. Irenæo in libris adversùs hæreses, et S. Clemente Alexandrino in libris Stromatum.

malis auxiliarentur, venit, inquit, Servator ut bonis subveniret. Nuptias hic primus omnium diaboli doctrinam appellavit. Jubet autem et ab animatis abstinere. Prophetias verò, alias à mundi opificibus Angelis prolatas dixit, alias à Satanâ : atque hunc Angelum esse, qui Deo Judæorum præcipuè adversatur.

(1) S. IRENÆUS *adv. Hæres. lib.* 1. *cap.* 23. Basilides autem, ut allius aliquid et verisimilius adinvenisse videatur, in immensum extendit sententiam doctrinæ suæ, ostendens Nun primò, ab innato natum Patre, ab hoc autem natum Logon, deindè à Logo Phronesin, à Phronesi autem Sophiam et Dynamin, à Dynami autem et Sophiâ Virtutes et Principes et Angelos, quos et primos vocat, et ab iis primùm cœlum factum. Dehinc ab horum derivatione alios item factos aliud cœlum simile priori fecisse ; et simili modo ex eorum derivatione cùm alii facti essent antitypi eis, qui super eos essent, aliud tertium deformasse cœlum, et à tertio deorsùm descendentium quartum, et deinceps. Secundùm eum modum alteros et alteros principes et Angelos factos esse dicunt, et cœlos 365. quapropter et tot dies habere annum secundùm numerum cœlorum. Eos autem qui posterius continent cœlum Angelos, quod etiam à nobis videtur, constituisse ea quæ sunt in mundo omnia, et partes sibi fecisse terræ, et earum quæ super eam sunt gentium. Esse autem principem ipsorum eum, qui Judæorum putatur esse Deus. Et quoniam hic suis hominibus, id est, Judæis, voluit subigere reliquas gentes, reliquos omnes Principes contrà stetisse ei et contrà egisse. Quapropter et reliquæ resiluerunt gentes ejus genti. Innotum autem et innominatum Patrem videntem perditionem ipsorum, misisse primogenitum Nun suum, et hunc esse qui dicitur Christus, in libertatem credentium ei, à potestate eorum qui mundum fabricaverunt. In gentibus ipsorum autem apparuisse eum in terrâ hominem, et virtutes perfecisse. Quapropter neque passum eum, sed Simonem quemdam Cyrenæum angariatum portasse crucem ejus pro eo ; et hunc secundùm ignorantiam et errorem crucifixum transfiguratum ab eo, uti putaretur ipse esse Jesus : et ipsum autem Jesum Simonis accepisse formam, et stantem irrisisse eos. Quoniam enim virtus incorporalis erat æterna innati Patris, transfiguratum quemadmodùm vellet, et sic ascendisse ad eum qui misit eum, deridentem eos, cùm teneri non posset, et invisibilis esset omnibus. Et liberatos igitur eos, qui hæc sciant, à mundi fabricatoribus principibus, et non oportere confiteri eum, qui sit crucifixus, sed eum qui in hominis formâ venerit, et putatus sit crucifixus, et vocatus sit Jesus, et missus à Patre uti per dispositionem hanc opera mundi fabricatorem dissolveret. Si qui igitur, ait, confitetur crucifixum, adhuc hic servus est, et sub potestate eorum qui corpora fecerunt : qui autem negaverit, liberatus est quidem ab eis, cognoscit autem dispositionem innati Patris. Animæ autem soli esse salutem, corpus enim naturâ corruptibile existit. Prophetias autem, et ipsas à mundi fabricatoribus fuisse ait principibus, propriè autem Legem à principe ipsorum, eum qui eduxerit populum de terrâ Ægypti. Contemnere autem et idolothyta et nihil arbitrari, sed sine aliquâ trepidatione uti eis. Habere autem et reliquarum operationum usum indifferentem, et universæ libidinis. Utuntur autem et hi magiâ et incantationibus et invocationibus, et reliqua universa parerga : nomina quoque quædam affingentes quasi Angelorum, annuntiant hos quidem esse in primo cœlo, hos autem in secundo, et deinceps nituntur 365. enumerationem cœlorum et nomina et principia et Angelos et virtutes exponere. Quemadmodùm et mundi nomen, in quo dicunt descendisse et ascendisse Salvatorem, esse Caulaucau. Igitur qui hæc didicerit, et

Angelos omnes cognoverit, et causas eorum, invisibilem et incomprehensibilem eum Angelis et potestatibus universis fieri, quemadmodùm et Caulaucau fuisse. Et sicut Filium incognitum omnibus esse, sic et ipsos à nemine oportere cognosci, sed cùm sciant ipsi omnes, et per omnes transeant, ipsos omnibus invisibiles et incognitos esse. Tu enim, aiunt, omnes cognosce, te autem nemo cognoscat. Quapropter et parati sunt ad negationem qui sunt tales, imò et magis nè pati quidem propter nomen possunt, cùm sint omnibus similes. Non autem multos scire posse hæc, sed unum à mille et duo à myriadibus. Et Judæos quidem jam non esse dicunt, Christianos autem nondùm: et non oportere omninò ipsorum mysteria effari, sed in abscondito continere per silentium. Trecentorum autem sexaginta quinque cœlorum locales positiones distribuunt similiter ut Mathematici. Illorum enim theoremata accipientes, in suum characterem doctrinæ transtulerunt; esse autem principem illorum *Abraxas*, et propter hoc 365. numerum habere in se.

EUSÉBIUS *Eccles. Histor. lib.* 4. *cap.* 7. Declarat Irenæus Basilidem specie arcanorum quorundam, portentosas fabulas commentum, opinionis impiæ machinamenta in immensum extendisse. Porrò cùm eodem tempore plurimi Ecclesiastici viri patrocinium veritatis susciperent,.... nonnulli etiam assertiones suas scriptis proditas, tanquam remedia ad cavendas supradictas hæreses comparata, posteris reliquerunt. Ex quibus pervenit ad nos Agrippæ Castoris, scriptoris eà ætate nobilissimi, validissima adversùs Basilidem confutatio: in qua hominis præstigiæ ac fraudes deteguntur. Dùmque cuncta ejus arcana profert in lucem, quatuor et viginti libros in Evangelium ab eo conscriptos esse memorat, ipsumque sibi Prophetas confinxisse Barcabam, et Barcoph, aliosque nonnullos qui nunquam exstitissent: iisque barbara quædam nomina imposuisse, ad percellendos eorum animos, qui hujusmodi rerum admiratione capiuntur. Ait prætereà illum docere, quòd indifferens sit victimas Diis immolatas degustare, et persecutionum tempore licenter fidem abnegare. Sectatoribus quoque suis Pythagoræorum more silentium quinquennii eum indicere affirmat.

S. EPIPHAN. *adversùs Hæres. lib.* 1. *tom.* 2. *hæres.* 24. *n.* 1. Basilides in Ægyptum profectus, ibidem commoratus est. Indè in Prosopiticam, et Athribiticam præfecturam secessit; atque etiam in Saïticâ, et Alexandriæ versatus est, in Alexandrinoque agro, sive nomo. Sic enim Ægyptii cujusque civitatis agrum, ac circumjacentem regionem nominant.... Ejusmodi igitur in locis is, quem diximus, circulator degebat, è quibus quantùm apparet, hæc ipsa, quæ in hanc diem viget, illius hæresis profluxit, quæ ab ejus disciplinâ occasionem atque originem accepit. Qui quidem præstigiatore illo suo condiscipulo, quem in Syriâ reliquerat, majora multò prædicare cœpit, ut sublimioribus quàm ille tractandis dogmatibus majorem auditoribus suis fucum faceret, iisdemque impensiùs arrideret, ac plures sodali suo Saturnilo sectatores colligeret. Itaque fabulosis quibusdam abjectis somniis, hunc in modum exorsus est. Sed ut quod res est dicam, non ille per sese, ac suopte ingenio dira illa ac pestifera dogmata primus excogitavit; sed à Saturnilo ac Simone Mago, erroris argumenta mutuatus est.... Erat, inquit, ingenitum unum principium, qui solus est omnium parens, ab hoc procreata mens; à mente verbum; ab hoc prudentia, à quâ virtus et sapientia prodiit. Ab utràque porrò Principatus, Potestates et Angeli. Deindè virtutes Angelique isti primum ac supremum cœlum moliti, Angelos rursùm alios propagarunt: qui et ipsi secundum cœlum fabricati sunt, et alios insuper Angelos produxerunt. Hi tertium adjecere cœlum: atque ita singulatim uno post aliud cœlo identidem constituto ad 365. perficiunt, quos à primo supremoque ad id, quod nobis citimum est, enumerant....

N. 2. Prætercà magicis artibus idem impostor ac præstigiis perpetuò fuit addictus. Qui ab Angelis citimo huic cœlo proximoque nobis attributis, ac virtute quæ isthic residet, creata postmodùm inferiora censet hæc omnia. Horum ex Angelorum numero unum constituit Deum, quem, ut ab aliis distinguat, Judæis duntaxat præponit: atque eumdem ipsum in eorum Angelorum ordinem refert, quibus histrionico

more certas appellationes indidit. Ab illo verò formatum hominem decet ; quocum cæteri universam in Angelorum multitudinem sortitò mundum distribuerunt : ex quo factum est, ut illi Judæorum genus obvenerit. Sic omnipotentem ille Dominum verum ac solum Deum, nec alium contumeliosè appetens, (nos enim eumdem Domini nostri Jesu Christi Patrem confitemur) hunc inquam abnegans, unum ex iis quos appellat Angelis constituit, ut est à nobis ostensum. Ergo Judæos sortitò illi contigisse tradit : quem et longè reliquis Angelis præfractiorem esse, ac virium suarum audaciâ fretum, Israelitas ex Ægypto liberasse, quòd cæteris ad audendum paratior, pervicaciorque foret. Atque ex eâdem arrogantiâ factum est, uti per summam in Deum maledicentiam præstigiator ille narrat, idem ut Judæorum Deus reliquas nationes suis ipsis Israelitis vellet subjicere, eamque ob causam bella concilaret. Sunt et alia plura, quæ laxatâ contra Deum linguâ, elatoque ore miserrimus hominucio jactare non est veritus. Veluti cùm addit ; Propterea nationes reliquas cum Judæorum gente bella gessisse, eamque plurimis affecisse malis : ob aliorum Angelorum videlicet invidiam, qui quòd ab illo contemni se viderent commoti, suam quisque gentem contra Israelitas impulerunt. Indèque factum est, ut perpetua in hos bella, tumultusque concitati fuerint.... Qui etiam de Christo perindè sentit, specie tenùs duntaxat mortalibus apparuisse. Quippè quod in eo cernebatur, nihil præter imaginem fuisse; neque verò aut hominem exstitisse, aut carnem induisse. Subjicit et aliam velut in scenâ fabulam secundus histrio, cùm de Christi cruce disputat. Negat enim Jesum esse passum, sed vicarium ei Simonem Cyrenæum substituit. Quo enim tempore Hierosolymis Dominus ejectus est, ut in Evangelio scriptum est, angariaverunt Simonem quemdam Cyrenæum ut ferret crucem. Ex quo cavillandi, concinnandique fabulam suam occasionem arripuit : nimirùm Christum Simonem, cùm is crucem portaret, in suam commutasse, ejusque vicissim induisse formam : itaque Simonem ad crucis supplicium suo loco tradidisse. Qui dùm in cruce sufligitur, Jesum à nemine conspectum, eosque, qui Simonem sufligerent, deridentem ex adverso constitisse. Tùm ad superos esse subventum, cùm pro se figendum Simonem substituisset, nihilque adeò perpessum in cœlum evolasse. Intereà Simon, non Christus in crucem sublatus est. Jesus enim (ait) in cœlum evectus, virtutes omnes penetravit, donec ad Patrem suum reversus est. Hic enim est Patris ille commemoratus antè Filius, qui ad opem humano generi ferendam submissus est, propter eam, quam inter homines perindè atque Angelos perturbationem cœlestis Pater animadverterat. Atque idem (inquit) salus est nostra qui in mundum venit, solisque nobis hanc rei veritatem aperuit. Tales sunt à nebulone isto consarcinatæ fabulæ. Deinceps verò progressum illâ impuritate capiente, cujus auctor Simon fuit, nullum non pravitatis, libidinisque genus obeundum discipulis permittit : virorumque ac mulierum promiscuos concubitus, et sceleratorum dogmatum congeriem sectatoribus suis proponit....

N. 3. Ait martyrium obire nequaquam oportere : qui enim id faciat, mercede carituram : cùm in ejus qui hominem condidit gratiam istud suscipiat : et tamen ad Simonem qui suspensus in cruce sit, martyrium referatur.... Et illud admonet, ut de Patre duntaxat, arcanoque suo nemini significent, sed tacitum apud se retineant, aut uni saltem è millibus, ac duobus ex decem millibus aperiant. Quin et suis discipulis ita præcepit. Date, inquit, operam ut omnia cognoscatis, nemo verò vos cognoscat. Cæterùm tam ipse, quàm qui ejus sectam amplexi sunt, quoties interrogantur Judæos quidem se esse negant, Christianos verò nondùm fuisse. Sic abnegare perpetuò fidem, eamque tacitè apud se custodire, nec ulli patefacere suos instituit ; quòd nimirùm suspectam habeat ipse turpitudinem suam.... Admodùm verò stolidus est cùm à virtute productam mentem asserit, à mente verbum ; ab hoc prudentiam : hanc virtutem sapientiamque peperisse : à quibus potestates et virtutes Angelique prodierint. Sed his omnibus superiorem quamdam vim statuit, ac principium, quod Abrasax appellat, idcò quòd ejus vocis litteræ 365. numerum efficiunt : atque ex eo confictam illam suam

de 365. cœlis fabulam comprobare nititur. Quibus cœlis totidem ex Mathematicis rationibus situs ac locorum descriptiones accommodare omni ope ac studio contendit.... Eadem verò, inquit, hæc causa est cur in homine 365. membra sint, ut quælibet illarum virtutum suum sibi vindicare possit.

S. PHILASTR. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. eorum qui post Christi pass. hæres. arguuntur, n.* 4. Basilides, qui et hæresiarches dicitur à multis, quia de Lege et Prophetis, et Apostolis proponendo et loquendo, sentiendo autem aliter, jura violabat Christianæ veritatis, cùm venisset in Ægyptum, docebat ita definiens : De innato et solo Deo natum fuisse intellectum, de intellectu verbum, de verbo sensum, de sensu autem virtutem et sapientiam, de virtute autem et sapientiâ Principatus et Potestates et Angelos factos diversos. Ipsi enim Angeli fecerunt, inquit, cœlum, post illos alii Angeli fecerunt cœlum ; ita ex aliis alii prolati fecerunt tertium cœlum ; qui secundùm ordinem ; et alii, inquit, fecerunt trecentos sexaginta quinque cœlos : et imponit virtutibus illis nomina Angelica, et ipse magiis vacans itidem multos imperitos decepit. Hominem autem ab Angelis factum asserit : Dominum etiam verum omnipotentem, et eum audet Angelum dicere, et accepisse genus Judæorum in hæreditatem, et eduxisse eos de terrâ Ægypti. Hic ergo audacior factus, elatus est, inquit, adversùs cæteros Angelos, et volens in subjectione habere alios, habuit contrarias gentes, quas commoverunt virtutes inimicæ ejus. Ideò et contra Judæos diversæ gentes, inquit, surrexerunt. Christum autem dicit quasi per umbram putativè passum fuisse. Simonem etiam Cyrenæum pro eo ad passionem venisse affirmat : ipse enim, inquit, portavit ejus crucem. Hic etiam malè permittit vivere, et dat licentiam vitiis secularibus inhærere : prohibet etiam pati martyrium homines pro nomine Christi, dicens ita : Ignoras quid desideras : non enim passus est, inquit, Christus, neque crucifixus est : quomodò itaque potes, inquit, confiteri hunc crucifixum, cùm non sit crucifixus, et ignoras qui passus sit?

S. AUG. *Lib. de hæres. ad Quodvultdeum, n.* 4. Basilidiani à Basilide, qui hoc distabat a Simonianis, quòd trecentos sexaginta quinque cœlos esse dicebat, quo numero dierum annus includitur. Undè etiam quasi sanctum nomen commendabat, quod est *Abrasax* *, cujus nominis litteræ secundùm Græcam supputationem eumdem numerum complent. Sunt enim septem *a*, et *b*, et *r*, et *a*, et *s*, et *a*; et *x* : id est, unum, et duo, et centum, et unum, et ducenta, et unum, et sexaginta : quæ fiunt in summâ trecenta sexaginta quinque.

THEODORET. *Hæret. fab. lib.* 1. *n.* 4. Basilides verò fabulas istas (*Saturnini*) ut leves contemnens, alias magis impias confixit. Dixit enim ingenitum primam omnium mentem genuisse, ex mente autem processisse verbum, ex verbo prudentiam, ex prudentiâ sapientiam et potentiam, ex his Angelos et Archangelos, hos verò cœlum condidisse. Ex horum porrò defluxu productos alios Angelos aliud cœlum fecisse primo consimile, rursùmque ex horum defluxu alios enatos, fabricasse hos etiam aliud cœlum, et qui ex his nati sunt aliud rursùs, et usque ad trecentesimum sexagesimum quintum durasse hunc defluxum, cœlorumque fabricationem. Ultimum autem cœlum, quod à nobis cernitur, inhabitantes Angelos mundum condidisse, terræque dominium partitos esse : unum porrò Judæorum administrationem sortitum esse, et hunc aliis imperare. Huic, cùm genti suæ subjicere omnes alios vellet, principes alios restitisse. Ingenitum verò, cùm hæc videret, primogenitum intellectum suum misisse, quem Christum quoque appellavit, ut eos servaret qui credere vellent. Hunc autem minimè passum esse ait, sed Simonem Cyrenæum passionem sustinuisse, cùm Christus esse putaretur : Christum verò eminùs spectantem Judæorum insaniam derisisse, tùm deindè ad eum, qui eum miserat, recessisse. Credere autem oportere dicebat, non in crucifixum, sed in eum qui visus erat crucifigi. Sic enim, inquit, fieri poterit, ut à mundi conditorum potestate liberentur. Negavit hic etiam carnis resurrectionem, et prophetias quoque ab Angelis factas esse dixit, Legem verò latam à Principe Ju-

(*) Αβρασαξ vel potiùs Αβραξας.

Seculum Secundum.

Seculum secundum plures tulit Hæreticos. Præcipui fuêre Gnostici, Valentiniani, Marcionitæ, Montanistæ et Encratitæ.

Gnostici, quorum parens Carpocrates, priorum Hæreticorum errorem et impietatem et figmenta secuti, omne libidinis et turpitudinis genus exercebant: Christum purum fuisse hominem mentiebantur. Turpe esset et supervacaneum omnia eorum commenta et flagitia commemorare. (A)

dæorum. Immolatis securè vesci præcipit, vetitasque actiones nullo discrimine peragere. Iidem, sicut Menandri et Simonis discipuli, incantationibus et præstigiis, omnisque generis imposturis utuntur. Angelorumque nomina comminiscentes, alios primum cœlum habere dixerunt, alios secundum, atque ita deinceps usque ad quintum et sexagesimum supra trecentos. Servatorem autem et Dominum Caulacuam vocant. Hæc porrò ineffabilia esse dicunt, nec ab omnibus, sed ab uno ex mille capi aut comprehendi posse, Principem autem illorum esse, Abrasax, quia nominis supputatio trecentorum sexaginta quinque cœlorum numerum designat. Habuit etiam Prophetas suos Basilides Barcabam et Barcoph, et alios quosdam æquè barbaros. Sed et alias his tetriores fabulas finxit, quas, ne lectores offenderem, non adjeci... Contra hos autem decertant Agrippas cognomento Castor, et Irenæus, et Clemens Stromateus, et Origenes pro veritate dimicantes.

(A) S. Irenæus *adv. Hæres. lib.* 1. *cap.* 24. Carpocrates autem et qui ab eo, mundum quidem et ea quæ in eo sunt ab Angelis multò inferioribus ingenito Patre factum esse dicunt. Jesum autem è Joseph natum, et qui similis reliquis hominibus fuerit: distasse à reliquis secundùm id, quòd anima ejus firma et munda cùm esset, commemorata fuerit quæ visa essent sibi in eâ circumlatione, quæ fuisset in ingenito Deo: et propter hoc ab eo missam esse ei virtutem, uti mundi fabricatores effugere posset, et per omnes transgressa, et in omnibus liberata, ascenderet ad Deum, et ea quæ similia ei amplecteretur similiter. Jesu autem dicunt animam in Judæorum consuetudine nutritam contempsisse eos, et propter hoc virtutes accepisse, per quas evacuavit quæ fuerunt in pœnis passiones, quæ inerant hominibus. Ea igitur, quæ similiter atque illa Jesu anima, potest contemnere mundi fabricatores Archontas, similiter accipere virtutes ad operandum similia. Quapropter et ad tantum elationis provecti sunt, ut quidam quidem similes se esse dicant Jesu: quidam autem adhuc, et secundùm aliquid illo fortiores, qui sunt distantes ampliùs quàm illius discipuli, ut putà quàm Petrus et Paulus, et reliqui Apostoli. Hos autem in nullo deminorari à Jesu. Animas enim ipsorum ex eâdem circumlatione devenientes, et ideò similiter contemnentes mundi fabricatores, eâdem dignas habitas esse virtute, et rursùs in idem abire. Si quis autem plus quàm ille contempserit ea, quæ sunt hic, posse meliorem quàm illum esse. Artes enim magicas operantur et ipsi et incantationes, philtra quoque et charitesia et paredros et oniropompos et reliquas malignationes, dicentes se potestatem habere ad dominandum jam principibus et fabricatoribus mundi hujus. Non solùm autem, sed et his omnibus quæ in eo sunt facta.... Sed vitam quidem luxuriosam, sententiam autem impiam ad velamen malitiæ ipsorum (*Christianorum*) nomine abuluntur, quorum judicium justum est, recipientium dignam suis operibus à Deo retributionem: et in tantum insaniâ effrænati sunt, uti et omnia quæcunque sunt irreligiosa et impia potestatem habere operandi se dicant. Solà enim humanà opinione negotia mala et bona dicunt. Et utique secundùm transmigrationes in corpora oportere in omni vitâ, et in omni actu fieri animas, si non præoccupans quis in uno adventu omnia agat semel ac pariter: quæ non tantùm dicere et audire non est fas nobis, sed ne quidem in mentis conceptionem venire, nec credere si apud

homines conversantes in his, quæ sunt secundùm nos civitates, tale aliquid agitatur, uti secundùm quod scripta eorum dicunt in omni usu factæ animæ ipsorum exeuntes in nihilo adhuc minus habeant. Ad operandum autem in eo, ne fortè propter eam, quod deest libertati aliqua recogantur iterùm mitti in corpus, propter hoc dicunt Jesum hanc dixisse parabolam. (*Matth.* v. 25.) * *Cùm es cum adversario tuo in viâ, da operam ut libereris ab eo, ne fortè te det judici, et judex ministro, et minister mittat te in carcerem. Amen dico tibi, non exies indè, donec reddas novissimum quadrantem:* Et adversarium dicunt unum ex Angelis, qui sunt in mundo, quem diabolum vocant, dicentes factum eum ad id ut ducat eas, quæ perierunt animas in mundo, ad principem. Et hunc dicunt esse primum ex mundi fabricatoribus, et illum altero Angelo, qui ministrat ei, tradere tales animas, uti in alia corpora includat: Corpus enim dicunt esse carcerem. Et id quod ait, *non exies indè, quoad novissimum quadrantem reddas*, interpretantur, quasi non exeat quis à potestate Angelorum eorum, qui mundum fabricaverunt, sed sit transcorporatum semper quoadusque in omni omninò operatione, quæ in mundo est, fiat: et cùm nihil defuerit ei, tùm liberatam ejus animam elevari ad illum Deum, qui est supra Angelos mundi fabricatores. Sic quoque salvari et omnes animas, sive ipsæ præoccupantes in uno adventu in omnibus misceantur operationibus, sive de corpore in corpus transmigrantes, vel immissæ in unaquâque specie vitæ adimplentes et reddentes debita, liberari, uti jam non fiant in corpore.

Et, si quidem fiant hæc apud eos, quæ sunt irreligiosa et injusta et vetita, ego nequaquam credo. In conscriptionibus autem illorum sic conscriptum est, et ipsi ita exponunt, Jesum dicentes in mysterio Discipulis suis et Apostolis seorsùm locutum, et illos expostulasse ut dignis et assentientibus seorsùm hæc traderent, per fidem enim et charitatem salvari. Reliqua verò indifferentia cùm sint, secundùm opinionem nominum quædam quidem bona, quædam autem mala vocari, cùm nihil naturâ malum sit.

Alii verò ex ipsis signant, cauterizantes suos discipulos in posterioribus partibus exstantiæ dextræ auris. Undè et Marcellina, quæ Romam sub Aniceto venit, cùm esset hujus doctrinæ, multos exterminavit. Gnosticos se autem vocant. Etiam imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem et de reliquâ materiâ fabricatas habent, dicentes formam Christi factam à Pilato, illo in tempore, quo fuit Jesus cum hominibus, et has coronant, et proponunt eas cum imaginibus mundi philosophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ et Platonis et Aristotelis et reliquorum, et reliquam observationem circa eas similiter ut gentes faciunt.

Lege etiam ejusdem S. IRENÆI *caput* 34. *lib.* 1. *adv. Hæres. ubi fusiori stylo Gnosticorum fabulas describit.*

EUSEBIUS *Eccles. Histor. lib.* 4. *cap.* 7. Carpocratem quemdam iisdem vixisse temporibus scribit Irenæus, alterius sectæ quæ Gnosticorum dicitur conditorem. Hi magicas Simonis præstigias non clam ut ille, sed palàm ac publicè tradendas esse censebant: et philtris arte magicâ curiosè elaboratis, paredris quoque et somniorum inumissoribus quibusdam spiritibus, aliisque hujusmodi maleficiis tanquam maximis ac pulcherrimis rebus gloriabantur. Consequenter etiam docebant, quicunque ad perfectionem mysteriorum, seu potiùs flagitiorum, quæ apud ipsos agebantur, pervenire vellent, eos turpissima quæque perpetrare oportere: quippè qui mundi hujus principes ac rectores, ut ipsi vocant, aliter evitare non possent, nisi unicuique eorum debita munera per obscenissimam libidinem persolvissent.

S. EPIPHAN. *adversùs Hæres. lib.* 1. *tom.* 2. *hæres.* 26. *n.* 1. Isti cum Nicolao conjuncti, et ab eo velut subventanco serpentis ovo scorpii, sive aspidibus prognati, quædam nobis inaniter sonantia nomina, librosque commenti sunt: velut inter cæteros quem Noriam appellant, atque ex superstitiosis Gentilium opinionibus conformatis ad institutum suum magis illis ac fabulis veritati mendacium admiscent. Quippè Noriam istam Noemi conjugem faciunt: quam ideircò Noriam vocant, ut quæ à Gentilibus concinnata sunt barbaris vocibus dissimulantes circum-

ventis à se hominibus faciliùs illudant : quò quidem pacto, ut Pyrrhæ vocabulum interpretando redderent, Noriæ appellationem indiderunt.... Cùm enim, inquiunt, in arcâ esse cum Noëmo cuperet, nunquam id ei permissum est ; quòd eam princeps mundi conditor unà cum cæteris omnibus diluvio vellet extinguere. Ergo hæc insidens arcæ non semel ac secundò, sed sæpiùs adeòque tertiò illam incendit. Quo factum est, ut ad complures annos à Noëmo hæc arcæ structura prorogata fuerit, cùm ab illâ sæpiùs esset exusta. Siquidem Noëmus Principi se obsequentem præstabat : Noria verò superas virtutes, et ab iis profectam Barbelonem Principi contrariam indicavit, quemadmodùm et aliæ fecêre virtutes : atque illud prætereà docuit : oportere quæ suprema Parenti à conditore mundi principe, ac reliquis qui cum eo sunt Diis atque Angelis, et dæmonibus erepta sunt, ex insitâ corporum vi per marium ac feminarum profluvia colligere.... Alii porrò variè ab illis ad communem perniciem exorti, et intuentium oculis præstigiis illudentes, ipsimet illusi Barcabban nescio quem Prophetam objiciunt, suâ illâ appellatione dignum. Cabba enim Syriacâ linguâ stuprum significat ; Hebraïcè parricidium. Sed et mensuræ quadrantem eo nomine vocant. Risu igitur ac ludubrio digna, vel miserenda potiùs est ejusmodi nominum accommodatio apud eos, qui in suâpte linguâ vocis illis potestatem intelligunt. Cæterùm ex tam mirabili Prophetâ nobis narrationem afferunt : quâ ut corruptis consuescamus corporibus persuadeant, atque ab omni spe cœlestium excidamus. Nec illos pudet de stupris, amatoriisque ac venereis rebus nudis ac simplicibus verbis disserere. Sunt et ex iis nonnulli, qui adulterinum quoddam et adscititium Poëma vendicant, quod opus perfectionis Evangelium scribunt, cùm reverâ non Evangelium, sed doloris sit ac luctùs perfectio. Universa quippè consummataque mortis acerbitas in eo diaboli fœtu continetur. Alii Evangelium Evæ sine ullo pudore jactitant. Sub hujus enim nomine, utpotè quæ cognitionis nomen à serpente, quocum colluctata est, didicerit, perfidiæ suæ semina sparserunt.... Qui quidem stolidis testimoniis, ac visis in illo suo, quod præ se ferunt, Evangelio nituntur. Ita enim, inquiunt, *In arduo monte constiteram, cùm ecce video procerum hominem, et mutilum alium. Indè vocem tonitrui instar exaudio. Propius igitur ad audiendum accedo, tùm me hunc in modum est allocutus. Ego idem sum ac tu, et tu idem atque ego : et ubicunque tu es, illic ego sum, ac per omnia sum dispersus et undècunque volueris, me colligis, me verò colligendo, temetipsum colligis.* O doctrinam à nequissimo dæmone profectam ;.... Nec eorum duntaxat, quibus errorem persuaserunt, depravârunt ingenia ; sed et animos corporaque pariter adulteriis, ac promiscuæ libidini servilem in modum subjecerunt. Etenim suos ipsos conventus multiplicis ac promiscui concubitûs fœditate contaminant ; ubi et humanis carnibus, et turpissimis sordibus vescuntur. Quæ omninò commemorare non audeo.... Hinc est quòd à nonnullis scitè admodùm Borboriani, hoc est, Cœnosi nominantur : alii Coddianos vocant. Est enim Codda idem Syriacè quod Paropsis, aut Catinus : pro eo quòd nemo communi cum illis uti cibo possit : sed separatim contaminatis illis apponi soleat : neque quisquam ob eorum spurcitiem vel pane cum illis vesci communiter queat. Quam ob causam qui cum illis habitant, velut à communi consortio segregatos putantes, Coddianos appellârunt. Iidem porrò Militares in Ægypto, ac Phibionitæ sunt dicti... Sunt qui Zacchæos vocent, alii Barbelitas....

Varia enim apud illos nefariæ disciplina voluptatis est. Primùm quòd communes inter se feminas habent : ac si ejusdem sectæ peregrinus advenerit, signum quoddam viri à feminis, feminæ à viris accipiunt. Hæc autem ejusmodi est : cùm salutandi ac complectendi causâ manum porrigunt, eam infrà palmam contractando ac defricando leniter titillant, eoque signo ejusdem religionis hospitem esse demonstrant. Indè posteàquam mutuò se agnoverint ad convivium accinguntur. Quod ipsum, tametsi pauperes sint ingeniti, epularum apparatu, vinoque et carnibus instructissimum præbent. Finito convivio cùm satietate venas distenderint, ad libidinem proritantur. Tùm vir ab uxore discedens sic eam alloquitur : Surge et fratri charitatem exhibe. Ita ad concubitum

venitur. Pudet me bonâ fide quæ apud illos turpissimè perpetrantur, exponere, quemadmodùm ait Apostolus, (*Ephes.* v. 12.) *quæ apud ipsos fiunt, turpe est dicere....* Peracto stupro subindè contumeliosis cœlum vocibus appetentes, utrique maris profluvium cavis manibus excipiunt, ac sublatis sursùm oculis fœdum illud et abominabile manibus præferentes consistunt : ac preces concipiunt. Militares quidem et Gnostici ad universorum, ut aiunt, parentem, cui et quod manibus gestant obtulerunt, cum hoc solemni carmine : Hoc tibi munus, nimirùm Christi corpus, offerimus : atque ita tùm eo vescuntur, et impurissimas suas sordes degustant. Itaque dicunt : Hoc est corpus Christi : et hoc est pascha. Idcircò corpora nostra patiuntur, et Christi supplicia confiteri coguntur. Eodem modo quoties mulier menstruos fluxus patitur, fœdissimum illum sanguinem collectum unà omnes absorbent : atque hic est, inquiunt, sanguis Christi. *n.* 5. Propterea in Apocryphis legunt : *Vidi arborem duodecim fructus quotannis ferentem, et dixit mihi : Hoc est lignum vitæ.* Idipsum de menstruis mulierum profluviis interpretantur. Cæterùm cùm inter sese venerem exerceant, liberos tamen suscipere prohibent. Non enim prolis studio, sed ut libidini suæ serviant, ei corruptelæ vacant. Ita miseris hominibus diabolus illudit, et opus Dei fraudibus suis implicatum per ludibrium traduxit. Proindè sic libidini satisfaciunt suæ, ut impurissimum semen in se ipsos recipiant, neque illud ad propagandam sobolem emittant, sed suâ ipsi turpitudine pascantur. Quod si fortè quispiam excreti seminis immissionem anteverterit, et ex eo gravida facta sit mulier, audi quid demùm flagitiosius aggrediantur. Nam informem adhuc fœtum ex utero detractum, quocunque iis tempore visum est, infantem, inquam, abortione projectum in mortario pistillo tundunt : cui ad vitandam nauseam mel ac piper cum aliis aromatibus et unguentis admiscent. Tùm in unum collecto porcorum ac canum sodalitio, unusquisque è comminuto infantùli corpusculo digito delibat. Sic humanis carnibus pasti ad orandum Deum sese convertunt. Et cupiditatis, inquiunt, princeps nequaquam nobis illusit ; sed quod exciderat fratri nostro collegimus : atque id perfectum ésse pascha demùm existimant. Præter hæc alia insuper dira atque exsecranda committunt. Cùm enim rursùs in se mutuò bacchari, ac furere cœperint, respersis spurcissimis humoris profusione manibus consurgunt, atque ita fœdatas gerentes toto corpore nudi comprecantur, ut eâ re majorem sibi apud Deum fiduciam acquirant. Cæterùm in curando corpore dies noctesque pariter mulierculæ et homunciones occupantur : ac se et unguento perfundunt et lavant, et convivia celebrant, et ebrietati ac veneri indulgent, eosque qui jejunant exsecrantur. Negant enim esse jejunandum, quòd ad hujus seculi conditorem principem jejunium pertineat : imò alimento potiùs opus esse dictitant, quo robustiora sint corpora, ut idoneo tempore possint fructui reddendo sufficere.... Solent verò Carpocratiani quos ad suam sectam fraudulenter pellexerint, iis candente ferro, vel novaculâ, vel acu notam quamdam ad imam auriculam imprimere. *N.* 6.... Habent porrò Carpocratiani depictas coloribus imagines, quidam etiam aureas aut argenteas, vel ex aliâ materiâ factas, quas esse Jesu effigies affirmant : easdemque à Pontio Pilato ad Christi similitudinem effictas, quo tempore inter homines degebat. Sed ejusmodi imagines occultas habent, nec non et Philosophorum, quorumdam, ut Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, aliorumque, quibus eas quas dixi Christi effigies miscent, et erectas simul omnes adorant, ad easque Gentilium ritus instituunt.... Cæterùm ita soli animæ salutem attribuunt, ut ab ejus communione corpora segreganda putent.

Hæres. 27. *n.* 2. Cæterùm detestandæ disciplinæ hujus alumni horribilium ac teterrimorum facinorum varia genera moliuntur. Nam et maleficas artes exercent, et ad machinanda quælibet veneficia et cantiones excogitàrunt, velut ad philtra et amoris illecebras : imò etiam familiares sibi quosdam dæmones illiciunt, ut multiplicibus iis præstigiis summam sibi, ut aiunt, in omnia potestatem vindicent, ac quod cuique libuerit, et quodcunque agere in animum induxerit, idipsum audeat suscipere. Hoc autem eo consilio faciunt, quòd, uti miserandum

in modum decepti sunt, certò sibi persuadeant, per tot tàmque diversa facinora mundi fabricatoribus Angelis, omnibusque quæ in mundo sunt prostratis ac contemptis, illorum se non mundi, sed fabularum potiùs artificum potestatem transgredi; quò cœlestem libertatem obtineant, et sursùm aspirare atque evolare possint. Quod hominum genus ad Ecclesiæ Dei probrum et offendiculum adornasse ac submisisse Satanas videtur: quippè qui Christianorum sibi nomen indiderint; ut propter illos offensæ nationes ab sanctæ Dei Ecclesiæ utilitate abhorreant, nuntiatamque veritatem, ob immania illorum facinora et incredibilem nequitiam repudient, ut, inquam, frequentibus illorum sceleribus animadversis, eos quoque qui è sanctâ Dei Ecclesiâ sunt, tales esse sibi persuadeant, atque ita ab verissimâ Dei, uti diximus, doctrinâ aures avertant, aut certè paucorum improbitate conspectâ in universos eadem maledicta conjiciant. Atque ea demùm causa est, cur plerique gentilium, ubicunque istius sectæ homines deprehenderint, nullam nobiscum velint neque dati acceptique, neque consilii, neque audiendi divini verbi societatem conjungere, ac ne aures quidem præbere sustineant; usque adeò nefariis illorum flagitiis consternati, ac deterriti sunt.

N. 4. Porrò isti in luxu atque deliciis assiduè versantur, nihilque non ad corporum voluptatem ac jucunditatem suscipiunt: neque ad nos penitùs accedunt, nisi fortè ut imbecilles animos ad impia sua dogmata pelliciant. Neque enim aliâ re nobis similes sunt, quàm quòd solo Christiani nomine gloriantur, ut ementiti hujus vocabuli specie improbitatem suam exerceant.... Ita enim disputant: Quæ ab hominibus mala judicantur, ea minimè mala esse, sed honesta naturâ. Nihil enim naturâ malum est; sed ab hominibus duntaxat prava censentur. Quæ si quis omnia in hâc unâ præsenti vitâ perfecerit, ejus anima non ampliùs in alia corpora transfunditur, ut in hanc lucem denuò procreatur: sed omni actionum genere perfuncta, libera atque immunis abscedet, cùm nullius adhuc in hoc mundo debito actionis obligetur. Cujusmodi verò actionem intelligant rursùm explicare vereor, ne velut opertum cœnum, ita grave olentem hanc cloacam aperiam, ac pestiferæ cujusdam exhalationis, ac fœtoris occasionem quibusdam videar præbuisse....

Quid igitur aliud isti præter exsecrandum illud ac detestabile flagitium committunt, quod ne sermone quidem exprimere licet, hoc est, præposteram marium consuetudinem, aut libidinosissimos cum feminis qualibet corporis parte concubitus; tùm magicas insuper artes, ac veneficia, Idolorumque cultus.... *N.* 5. Hoc verò ipsum esse, quod in Evangelio Jesus hàc Parabolà significat. * *Esto*, inquit (*Matth.* v. 25. 26.) *consentiens adversario tuo, dum adhuc es in viâ cum ipso, et da operam ut ab eo libereris: ne fortè tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et minister in carcerem te mittat. Amen, amen dico tibi, non exies indè, donec reddas novissimum quadrantem.* Cui quidem interpretandæ parabolæ fabulam quamdam commenti sunt: et adversarium illum unum esse ex mundi fabricatoribus Angelis putant, qui hujus rei causâ sit constitutus, ut exsolutas corporis vinculis, atque hinc migrantes animas ad judicem deducat; ubi nondùm omnia præstitisse convictæ à Principe ministro traduntur, qui ex Angelorum grege unus opifici mundi hujus judici ad transferendas, et in varia corpora deportandas animas operam suam collocat. Esse porrò adversarium illum, quem à Domino commemoratum in Evangelio diximus, unum ex mundi artificibus Angelis nomine Abolum. Nam et custodiam esse corpus interpretantur, et novissimum quadrantem migrationem animarum, quas accessionibus ad corpora singulis ultimas actiones obedire necesse sit, nullum ut ampliùs scelus ac flagitium supersit.

S. Philastr. Brix. Episc. *lib. de Hæres. in Catal. eorum qui post Christi pass. hæres. arguuntur*, *n.* 7. Post istum quidam Carpocras nomine surrexit, et ipse dicens: Unum principium, de quo principio, id est, de Deo, prolationes factæ sint Angelorum atque virtutum: quæ autem virtutes Deorum sint, fecerint creaturam istam visibilem ubi nos consistamus. Christum autem dicit non de Virgine Mariâ et divino Spiritu natum, sed de semine Joseph hominem natum arbitratur, deque eo

Quibus auditis, Ethnici hæc omnibus omninò Christianis, falsà opinione delusi, per calumniam objiciebant, sume-

natum carnaliter sicut omnes homines suspicatur. Qui post passionem, inquit, melior inter Judæos vitâ integrâ et conversatione inventus est, cujus animam in cœlum susceptam prædicat: carnem verò in terrâ dimissam æstimat, animique salutem solùm, carnis autem non fieri salutem opinatur.

In Catal. hæres. quæ sub Apost. exstiterunt, n. 10. Floriani etiam, sive Carpocratiani dicuntur, qui et Milites vocantur, quia de militaribus fuerunt, negantes judicium atque resurrectionem, Christum natum de virgine non credentes, omnemque resurrectionem in filiorum procreatione nefandi cœtus æstimantes consistere, ut in Ecclesiâ suâ post occasum solis lucernis exstinctis misceri cum mulierculis non dubitaverint, legis præceptum implere putantes; (*Genes.* I. 28.) Nascimini et multiplicamini. Judaïsmo potiùs et Paganitati parere nefandæ, quàm Christianæ veritati acquiescere properantes, pecudumque potiùs vitam et amentiam detinentes, quos et Scriptura (*Psal.* XLVIII. 13.) vitæ pecudum comparavit.

S. Aug. *Lib. de hæres. ad Quodvultdeum. n.* 6. Gnostici propter excellentiam scientiæ sic se appellatos esse, vel appellari debuisse gloriantur: cùm sint superioribus omnibus vaniores atque turpiores. Denique cùm ab aliis atque aliis per diversas terrarum partes aliter nuncupentur, nonnulli eos etiam Borboritas vocant, quasi cœnosos, propter nimiam turpitudinem, quam in suis mysteriis exercere dicuntur. Aliqui eos à Nicolaïtis exortos putant: aliqui à Carpocrate.... Tradunt autem dogmata fabulosissimis plena figmentis: etiam ipsi principum vel Angelorum nominibus terribilibus infirmas animas capiunt, et de Deo rerumque naturâ, fabulosa et à sanitate veritatis aliena multa contexunt. Animarum substantiam, Dei dicunt esse naturam, earumque adventum in hæc corpora et reditum ad Deum iisdem suis fabulis longissimis et stultissimis secundùm suos errores inserunt. Et illos qui eis credunt, faciunt non multâ, ut putant, scientiâ præpollere, sed multâ, ut ita dicam, fabulositate vanescere. Dicuntur quoque bonum Deum et malum Deum in suis habere dogmatibus.

N. 7. Carpocratiani sunt à Carpocrate, qui docebat omnem turpem operationem, omnemque adinventionem peccati: nec aliter evadi atque transiri principatus et potestates, quibus hæc placent, ut possit ad cœlum superius perveniri. Hic etiam Jesum hominem tantummodò, et de utroque sexu natum putasse perhibetur, sed accepisse talem animam, quâ sciret ea quæ superna essent, atque nuntiaret. Resurrectionem corporis simul cum Lege abjiciebat. Negabat à Deo factum, sed à nescio quibus virtutibus, mundum. Sectæ ipsius fuisse traditur quædam Marcellina, quæ colebat imagines Jesu, et Pauli, et Homeri, et Pythagoræ, adorando incensumque ponendo.

Theodor. *Hæret. fab. lib.* 1. *n.* 5. Carpocrates autem genere Alexandrinus, ab Angelis quidem dicebat et ipse conditas esse creaturas: Jesum verò Dominum ex Joseph et Mariâ, cæterorum hominum more, natum esse, et virtute insignem fuisse, ut qui puram haberet animam, pristinæque cum ingenito conversationis memorem. Dicit autem et eos qui similes illi fuerint, contemptis mundi fabricatoribus Angelis, potestatem similiter accipere, ut similia faciant. Quòd si puriorem quispiam habuerit animam, vel Filii, inquit, dignitatem superabit. In tantam arrogantiæ vesaniam proruperunt homines, magicis præstigiis, dæmonumque invocationibus dediti, et qui libidinem legere non sustinentes, incontinentiam pro lege habebant. Opinione enim aiebat, non veritate, rerum aliæ bonæ videntur, aliæ malæ. Verùm quoniam in hoc loco versor, nescio qui possim impudicitiæ legem prætexere. Pythagoras quippè animas, quæ peccârant, in corpora mitti docebat, ut pœnas luerent, ritèque expiarentur. Isti verò migrationis in corpora causam afferunt ex diametro contrariam Pythagoricæ. Dicunt enim animas in corpora mitti, ut omne genus libidinis exerceant. Eas ergo quæ in uno descensu expleverint, missione alterâ non egere; quæ autem parum peccârint, eas bis, terque, ac sæpiùs mitti, donec omnia vitio-

bantque indè occasionem persecutionis in Christianos. (B) Ab iisdem SS. Patribus Gnostici confutati sunt, à quibus superiores Hæretici.

Longum esset et molestum hîc enumerare errores, *Valentinanorum* (C), *Cerdonianorum* (D), *et Marcionitarum.* (E) Hi rum genera compleant.... Hadriano autem hi quoque imperante nefarias suas hæreses confirmârunt.

(B) S. IRENÆUS *Lib.* 1. *contra hæres. cap.* 24. *n.* 3.... Qui et ipsi ad detractationem divinæ Ecclesiæ nominis, quemadmodùm et gentes, à Satanâ præmissi sunt, uti secundùm alium et alium modum, quæ sunt illorum audientes homines, et putantes omnes nos tales esse, avertant aures suas à præconio veritatis : aut et videntes quæ sunt illorum, omnes nos blasphement, in nullo eis communicantes, neque in doctrinâ, neque in moribus, neque in quotidianâ conversatione.

EUSEBIUS *Eccles. hist. lib.* 4. *c.* 1. His igitur ministris usus malignus ille dæmon, primùm effecit, ut ex fidelibus, quicunque ab illis decepti essent, ad miserabile exitium tanquam captivi abducerentur. Deindè gentibus à fide nostrâ alienis, amplam oblectandi et calumniandi Evangelii materiam subministravit : dùm ab illis primùm orta infamia : ad totius Christiani nominis opprobrium diffunderetur. Atque hinc factum est, ut absurda quædam et impia de nobis opinio apud infideles tunc temporis spargeretur : quasi nefario concubitu cum sororibus et matribus misceri, et exsecrandis dapibus vesci soleremus. Sed hæ dæmonis artes nequaquam in diuturnum tempus ei processère, quippè cùm veritas ipsa seipsam adstrueret et commendaret, progressuque temporis clarìùs in dies elucesceret. Et adversariorum quidem inventa, à semetipsis confutata confestim exstincta sunt : aliis super alias exorientibus sectis, cùm priores assiduè diffluerent, et in multiplices ac multiformes errorum species vario quæque modo evanescerent. Catholica autem Ecclesia, quæ sola vera est semperque sui similis et constans, novis quotidiè incrementis augebatur : gravitate, sinceritate ac libertate, modestiâ denique et sanctitate vitæ cujusdam philosophiæque divinæ, omnium oculos non Græcorum modò, verùm etiam Barbarorum perstringens. Simul etiam exstincta est temporis lapsu calumnia illa, quæ universæ religioni nostræ afficta fuerat. Mansitque tandem disciplina nostra, sola omnium consensu et victrix, ac præ reliquis sectis modestiâ, gravitate, divinæque sapientiæ præceptis excellere ab omnibus judicata : adeò ut exindè ad nostra usque tempora nemo sit ausus ullam infamiæ labem fidei nostræ aspergere, aut aliquam ejusmodi calumniam inferre, qualem veteres illi nostræ religionis hostes jactare consueverant.

Vide eadem ferè apud EPIPHANIUM *suprà hæres.* 27. *n.* 2. *litt.* (A)

Legendus eâ de re MINUCIUS FELIX *qui in suo Dialogo, quem inscripsit* OCTAVIUS, *calumnias Gentilium adversùs Christianos invictissimè refellit.*

(C) *Valentinianorum fabulas maximè perstrinxit sanctus* IRENÆUS, *easque ad longum deducit toto capite primo Libri primi adversùs hæreses, quos potissimùm adversùs Valentinianos scripsit : sed cùm longior sit in his enarrandis, ad ipsum Irenæum Lectorem remitto, maximè cùm impia hæc dogmata fusè hic descripta habeat apud SS. Epiphanium, et Theodoretum.*

EUSEBIUS, *Eccles. hist. lib.* 4. *cap.* 10. *ait*, Hygini (*PP. Maximi*) temporibus, Valentinum propriæ Sectæ conditorem, et Cerdonem erroris Marcionitarum auctorem Romæ ambos floruisse.

S. EPIPHANIUS *contra Valentinos hæres.* 31. *n.* 2. Sunt qui Phrebonitem illum (Valentinum) faciant ex Ægypti quâdam orâ : undè Alexandriam profectus sit, ibique Græcorum artibus institutus. A quibus et Hesiodiæ Theogoniæ ac 30. illorum Deorum, quos ibidem ille recensuit, ac gentilium fabularum in animo suo exemplum informavit. Tùm ab iis, qui vel suo tempore vel ante se à veritate recesserant, mutuatus errorem, eadem cùm Hesiodo mutatis duntaxat nominibus, excogitata ad circumveniendum humanum genus invexit. Etenim Deos ille 30. et æonas, cœlestesque totidem orbes constituit : quorum primus est Bythus, ut huic

priorum Hæreticorum germina infausta, magistrorum erroribus novos subindè adjiciebant; nec facile dictu est an magistros discipuli, an discipulos magistri impietate, im-

insano videtur: quemadmodùm etiam auctor ejus opinionis ac conditor Hesiodus priùs omnibus Diis Chaos esse dixit.... Triginta enim, ut est dictum, æonas statuit, quos etiam Deos appellat, quindecim mares, totidemque feminas. Sed æonem quemlibet Par maris ac feminæ, tam ipse quàm ejus discipuli vocant; ut binarii sint 15. quas syzygias, hoc est, duorum collegia nominant. Hinc æones 30. numero consurgunt, quorum femina quælibet è mari suo consequentes æonas progenerat. Quorum omnium nomina subjecimus; eaque sunt ejusmodi ut unicuique maris appellationi suum feminæ nomen ex adverso respondeat. Ampsin, Auraan; Bucua, Thartuu; Ubucua, Thardeadie; Merexa, Artababa; Udu, Uac; Essen, Amphain; Essumen, Uananin; Lamer, Tarde; Athames, Susin; Allora, Buciatha; Danaddaria, Allora; Dammo, Oren; Lanaphech Audamphech, Emphibochebaud; Assiouache, Belin; Dexariche, Masemo. Hic illorum ordo est, dùm per marium feminarumque conjugia recensentur..... Quorum hæc est interpretatio, Bythos, sige: Nus et veritas: Logos, vita: Homo, Ecclesia: Paracletus, fides: Paternus, spes: Maternus, charitas: Ainus, synesis: Theletus, quod et lumen dicitur, beatitudo: Ecclesiasticus, sapientia: Bythius, myxis: Ageratus, unio: Autophyes, temperatio: Unigena, unitas: Immobilis, voluptas.....;

N. 4. Ab iis primordiis altiùs indagando sublati, aliud quoddam genus quod hysterema, hoc est, defectum vel penuriam vocant, furiosis suis ingeniis invenisse se putaverunt. Hunc defectum aliàs omnipotentem, atque opificem vocant, naturarumque conditorem: à quo et posteriorem Ogdoadem post septenos orbes cœli ad prioris Ogdoadis exemplar effictam asserunt; cùm in Ogdoade censeatur ipse, ac septem post se alios orbes produxerit. Eidem hysteremati sincerum nescio quem æonem, ac deteriorîs sexûs expertem conantur adjungere: qui eo ad complementum venerit, ut animam requireret, quæ à maternâ sapientiâ ex alto descenderat. Jam verò etiam Achamoth ficto nomine commenti sunt, quem et salvatorem, et terminum, et crucem, et finitorem, et transductorem et Jesum appellant, qui per Mariam velut tubum, fistulamque permeârit. Hunc esse lumen à superiore Christo diffusum, ob idque patrio nomine Lumen ob illud cœleste nominari, ac de superiore Christo, verboque Christum itidem et verbum, sed et mentem præterea ac Salvatorem vocari. Eumdem porrò Parentem suum, hoc est, conditorem transcendere: ac qui sibi fidem habeant, ad suprema illa Pleromatis collegia secùm evehere..... Præter hæc, secundùm tricenarium illum, medium unicum nomen ac sine feminæ consortio solitarium excogitârunt; tùm aliam rursùm à conditore productam, ac perindè in paria digestam Ogdoadem, cujus hæc sunt vocabula: Exepaphus, Porphyrio, Clotho, Rhuacos, Lachesis, Epiphaon, Atropos, Hyperion, Asterope.

N. 5. *Ex* Valentini *Libro.* Hæc apud sapientes; sed apud animales, apud carnales, apud mundanos, apud exaggeratam animi vim, Nus nunquam desinens perpetuis ac nunquam desinentibus, salutem. Equidem eorum quæ neque nominari, nec explicari oratione possunt, quæque cœlestibus ipsis superiora sunt, mentionem apud vos instituam: quæ neque principatus, néque potestates, nec quæ illis subjecta sunt, neque illud quicquam intelligentiâ potest consequi, solique ejus, qui est immutabilis, sunt cognitioni patefacta. Principio siquidem rerum omnium is, qui per se-ipsum Pater est, universa in semetipso obscura ignotaque continebat; quem nonnulli æonem senectutis expertem, semperque florentem et marem femininamque vocant, qui omnia complexus nullâ re ipse comprehenditur. Tunc quæ in illo inerat mens. (Ita enim quidam appellant, alii proprio nomine Gratiam, quòd Magnitudinis thesauros, in eos, qui ex Magnitudine erant, insumpserit, sed meliùs ab aliis Silentium vocatur, quoniam citra sermonis usum omnia Magnitudo cogitatione solâ perfecit.) Sed, ut dixi, cùm incorrupta hæc ex æonum numero femina, vinculis expedire sese vellet, Magnitudinem libidinis illecebris ad sui consuetudinem inflexit. Ex quâ Veritatis Pater procrea-

munditiâ, opinionum monstris superaverint. Plurimos tamen habuerunt sequaces et discipulos, eorumque commenta quantumlibet portentosa seriò coacti sunt sancti

tus est, quem qui perfecti sunt propriè Hominem appellant, quòd ejus qui prior est, nec ab ullo est genitus, similitudinem referat. Deindè Sige naturalem luminis unitatem cum homine producens (horum verò conjunctio voluntate solâ perfecta est) Veritatem edidit. Quæ eo homine meritò à perfectis donata est, quòd matri suæ Sige reipsâ similis esset, quæ ex divisionibus luminum, tam maris quàm feminæ, idipsum æquale esse voluerat, ut in sensibus exposita lumina dispersa, per illa ipsa, et in ipsis, iis, qui ex ipso et in ipso sunt, sese patefaceret. Posteà veritas maternam Pruniciam proferens parentem suum ad sui amorem pertraxit. Quare ambo in corruptâ copulatione, ac nunquam senescente conjunctione commisti sunt. Undè spiritalis marium ac feminarum quadriga prodiit prioris alterius similis, quæ iis quatuor, Bytho, Sige, Patre, ac Veritate constabat. Posterior verò illa ex Patre ac Sige producta hæc est: Homo, Ecclesia, Sermo, Vita. Tunc comprehendentis omnia Bythi voluntate Homo, atque Ecclesia paternorum sermonum memores invicemque congressi Prunicorum marium ac feminarum dodecadem procreârunt. Mares videlicet istos, Paracletum, Paternum, Maternum, Aïnum, Theletum, quod idem est ac lumen, Ecclesiasticum: fœminas verò Fidem, Spem, Charitatem, Intelligentiam, Fortunatam, Sapientiam. Deinde Sermo ac Vita etiam ipsi laudis munus effingentes, secum invicem consociati sunt. Quæ quidem consociatio voluntate solâ peracta est. Ergo inter sese commisti Prunicorum decadem ex maribus peræquè ac feminis constantem genuerunt. Cujus hi sunt mares: Bythius, Ageratus, Autophyes, Unigena, Immobilis. Hi ad continentis omnia contestandam gloriam sibimet ejus appellationem indiderunt. Feminæ verò sunt Mistio, Unio, Temperatio, Unitas, Voluptas. Quæ omnes ad honorem Siges pertinentia vocabula similiter usurpârunt.

N. 6. Cùm igitur absolutus hoc modo Veritatis parentis tricenarius foret, quem terreni homines ignorantes numerant, et cùm ad ipsum pervenerint, nullo ampliùs reperto numero, iteratò in sese relexunt. Ejusmodi autem ille est. Bythus, Sige, Pater, Veritas, Homo, Ecclesia, Sermo, Vita, Paternus, Maternus, Paracletus, Ainus, Theletus, Ecclesiasticus, Fides, Spes, Charitas, Intelligentia, Fortunata, Sapientia, Bythius, Ageratus, Autophyes, Unigena, Immobilis, Mistio, Cognitio, Temperatio, Unitas, Voluptas. Tùm qui universa summâ suâ sapientiâ continet Ogdoadem alteram loco prioris illius ac primariæ appellandam esse statuens, quæ in tricenario permanet, (neque ingentes magnitudinis spiritus coërceri ullo se numero sinebant) pro maribus mares alios substituit, unum, tertium, quintum, septimum: totidemque feminas, binarium, ternarium, senarium, octonarium, hæc est Ogdoas illa, quæ superioris Ogdoadis nomen ad sese transtulit: Bythi, Patris, Hominis, Sermonis, Siges, Veritatis, Ecclesiæ, Vitæ. Quæ quidem conjuncta Luminibus est, et absolutus tricenarius evasit, ac prior octonarius quiescens, cùm et Bythus per Magnitudinis fulcimentum exiit, ut cum tricenario sese copularet. Verè enim, et Veritatis pater cum Ecclesiâ congressus est, et Maternus Vitam sortitus est, et Paracletus Unitatem et Unitas cum Veritatis parente copulata est, et cum Sige Veritatis ille parens fuit. At spiritualis Sermo cum Spiritu incorruptâ quâdam commistione conjunctus est, et Autometoris finem, hoc est perennem, nec interruptam quietem suam effecit. Quamobrem ubi tricenarius profunda illa mysteria peregit, sine ullis omninò nuptiis, ut incorrupto sempiternoque generi convenit, incorrupta itidem lumina, quæ Unitas appellantur, tanquam filios produxit, et quidem informes. Jacebant igitur propemodùm intelligenti omni destituta, ac sine ullâ animi notione quiescebant. Quidquid enim à quopiam agitur, ab eo, nisi universè intelligat, agitur nihil. Hunc in modum procreatis Luminibus, quorum multitudinem numerando percensere nihil necesse est, animo verò comprehendere oportet: (nam unumquodque suam appellationem sortitum est, quæ ex arcanorum mysteriorum cognitione depromitur) ad scientiæ delectum perpellere

Ecclesiæ patres, Tertullianus, S. Irenæus, S. Clemens Alexandrinus, S. Epiphanius et alii.

MONTANISTÆ, qui et *Cataphryges*, sic dicti ab auctore universos Sige cupiens, ad secundam substitutamque illam loco alterius Ogdoadem adjunxit, corruptelæ omnis experte conjunctione, sed voluntate ejusmodi quæ sub intelligentiam caderet. Cujusmodi voluntatis impetus Spiritus sanctus est, qui in medio sanctarum Ecclesiarum residet. Quem cùm secundam ad Ogdoadem allegasset, ei persuasit secum ut ipsa copularetur. Quocircà in singulis Ogdoadis partibus celebratæ nuptiæ sunt. Siquidem cum Uno Spiritus sanctus conjunctus est: cum Tertio Dyas, Tertius cum Hexade, et cum Septimo Ogdoas, Septimus cum Dyade, cum Quinto Hexas. Ita Ogdoas, universà nunquam marcescente voluptate, atque integrà, incorruptàque mistione conjungitur. Nulla quippè ab invicem separatio fuit: sed mutua omnium cum honestissimà voluptate temperatio, ex quâ Prunicorum muliebri sexu carentium, quinarius exoritur cujus hæc sunt vocabula: Carpites, Horothetes, Charisterius, Aphetus, Metagogeus. Hi mediocritatis filii vocati sunt. *Hactenùs Valentinus.*

N. 7. Prætereà in Ægypto quoque dogmata illa sua propagavit. Ex quo tempore, sic tanquam viperinorum ossium reliquiæ, quædam illic semina illius relicta sunt: præsertim in Athribitide, Prosopitide, Arsenoïtide, ac Thebaïde Præfecturâ; nec non in inferiori ac maritimâ, adeòque Alexandrinâ regione. Quin etiam Romam profectus errorem suum in eâ urbe dissipavit: sed ad Cyprum delatus, fidei naufragium, velut corporis fecisset, ibidem passus, animum omninò depravavit. Siquidem hactenùs partem pietatis aliquam, sinceræque fidei retinere illis in locis videbatur. In Cypro verò ad extremum impietatis prolapsus est, seque in eam, quam tuetur flagitiorum disciplinam, altiùs immersit. Est autem hæc illorum opinio. Jesum Christum Dominum nostrum Salvatorem esse uti diximus, ac Christum, et Verbum; ac traductorem, et finitorem ac terminum. Eumdem corpus è cœlo detulisse, ac tanquam aqua per fistulam, sic illum per Mariam transisse virginem, neque quidquam ex ejus utero sumpsisse, sed è cœlo traxisse corpus. Neque verò primum illum Verbum esse censent, neque proximum ab eo Christum, qui in cœlo supremus inter æones residet; sed ejus unius causâ productum, ut in terras delapsus spiritale genus, quod è cœlo duxit originem, liberaret. Mortuorum resurrectionem inficiantur: de quâ ridiculam quamdam fabulam texunt; non hoc ipsum resurgere corpus, sed alternum ex eodem ortum, quod spirituale nuncupant: neque tamen omnium, sed eorum duntaxat, quos illi spiritales nuncupant, atque eorum etiam, quos animales vocant, dummodò juste, honestèque sese gerant. Cæteros qui materiales ab iis, et cum carne concreti, ac terreni appellantur, interire fundituùs, neque ullâ sui parte servari. Porrò naturam quamque eò undè prodierit reverti; velut quæ cum materia concreta est, in eam ipsam refundi: ex carne verò terràque compactam in terram recidere. Etenim tres illi hominum ordines constituunt, spiritualium, animalium, atque carnalium. Ex quibus primum se ordinem facere dictitant, uti et Gnosticos, qui neque laboris illius indigeant, præterquam cognitionis, appellationisque mysteriorum, quæ penès illos sunt, et quidvis impunè facere pro arbitrio possint. Fieri enim non posse, quin omninò eorum ordo, utpotè spiritalis, salutem obtineat. Secundum hominum qui in mundo sunt ordinem, quem animalem vocant, per sese salutem assequi posse negant, nisi laboribus, rectèque factis sibi eam vindicet: et qui materialis hominum ordo dicitur, cum neque capacem cognitionis esse putant, neque tametsi velit, recipere eam posse qui ex illo genere sit: proindè tam animâ quam corpore penitùs interire. Quod verò cœtum ad suum pertinet, cùm spiritalis sit, unà cum altero quodam interiori corpore servari sentiunt, quod ipsi spiritale corpus inani persuasione nuncupant. Animales porrò post diuturnam exercitationem, ubi conditorem transcenderint, sursùm evectos Angelis Christi comilibus attribui, neque quicquam suorum efferre corporum, sed animas solas absolutum statum cognitionis adeptas, conditore superato, Christi stipatoribus Angelis in matrimonio collocari.

Montano ex Mysiâ *Phrygiæ* provinciâ oriundo. Is se Spiritum sanctum Paracletum jactitabat, et circumducebat secum meretrices duas Priscillam et Maximillam, quas suo

Ex S. IRENÆO *apud S. Epiphanium. ibid. n.* 21. Qui inter illos perfectissimi censentur, illicita omnia, legibusque vetita licenter perpetrant, de quibus litteræ sacræ testantur : *Qui ejusmodi committunt, ab hæreditate regni cœlestis excidere.* Igitur et quæ idolis immolata sunt nullo discrimine comedunt, nihilque ex eâ re contagionis ad sese derivari putant: et omnia Gentilium festa, quæ ad idolorum cultum instituta sunt, primi omnium accurrunt : ut neque ab eorum, qui cum bestiis depugnant, aut gladiatorum fœdis illis, ac Deo pariter atque hominibus exsecrandis parricidiique plenis spectaculis quidam illorum abstineant. Alii dùm in voluptatibus corporis ac libidinibus assiduè volutantur, *carnalia se carnalibus, ac spiritalibus spiritalia reddere* profitentur. Quamobrem nonnulli clam stupra cum mulierculis disciplinæ hujus suæ alumnis exercent, id quod pleræque olim ab illis deceptæ, ac postremò ad Ecclesiam Dei reversæ inter alios errores persæpè confessæ sunt. Sunt et qui pudore omni posito, quascunque mulieres adamârint, palàm à viris abductas pro legitimis uxoribus habent... Interesse igitur suâ plurimum, ut quâcunque ratione possunt conjugii mysterium illud exerceant, idque ipsum stolidis hominibus his ferè verbis persuadent. Quicunque cùm in mundo esset, mulierem non amaverit, ut eam ad amorem suum pellieceret, à veritate alienus est, nec ad eam perveniet. Sed quisquis ortus è mundo mulicbri non est amore correptus, ne ipse quidem ad veritatem perveniet, quòd non mulieris cupiditate flagraverit.

S. CLEMENS ALEX. *Stromatum lib.* 5. *mihi pag.* 546. *init.* Sunt ergo supervacanea præcepta tam in veteri quàm in novo Testamento, cùm naturâ salvus fiat aliquis, ut vult Valentinus, et sit naturâ fidelis et electus, ut putat Basilides : fieri autem poterat, ut absque adventu Servatoris aliquo tandem tempore posset natura resplendescere.

S. PHILASTR. Brix. Episc. *Lib. de hæres. in Catal. eorum qui post Christi pass. hæres. arguuntur, n.* 10. Post istum Valentinus quidam surrexit Pythagoricus magis quàm Christianus, vanam quamdam ac perniciosam doctrinam eructans, et velut arithmeticam, id est, numerositatis novam fallaciam prædicans, multorumque animas ignorantium captivavit. Et in primis quidem fuit in Ecclesiâ, elatior autem factus postmodùm, errore non parvo deceptus est, degensque in Cypri provinciâ, cœpit hoc definire : Nihil erat aliud ante, inquit, in mundo, nisi profundum maris et Silentium, quod Poëtæ cahos asserunt, deque hoc Profundo et Silentio edocens processisse Intellectum et Veritatem, de Intellectu autem et Veritate, Verbum et Vitam : de Verbo autem et Vitâ, Hominem et Ecclesiam : de Homine autem et Ecclesiâ processisse duodecim æonas, id est, secula : et de Verbo et Vitâ decem æonas processisse : de Intellectu autem et Veritate octo æonas, et esse hanc *tria conta* seculorum, id est, triginta æonas. De Ogdoade ergo et decade et duodecade consistere triginta æonas deliberat. Dicit autem Christum à Patre, quem profundum nomine appellat, ad totius mundi salutem fuisse dimissum, deque cœlo eum carnem detulisse, nihil autem accepisse de sanctâ Virgine, sed ut aquam per rivum, ita transisse per eam affirmat. Animam ergo solam salvari, corpus autem hominis non salvari arbitratur.

S. AUG. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, n.* 11. Valentiniani à Valentino, qui de naturâ rerum multa fabulosa confuxit, triginta æonas, id est, secula asserens exstitisse, quorum principium esse Profundum et Silentium, quod Profundum etiam Patrem appellat. Ex quibus duobus velutex conjugio processisse perhibet Intellectum et Veritatem, et protulisse in honorem Patris æonas octo. De Intellectu autem et Veritate processisse Verbum et Vitam, et protulisse æonas decem. Porrò de Verbo et Vitâ processisse Hominem et Ecclesiam, et protulisse æonas duodecim. Itaque octo decem et duodecim fieri triginta æonas, habentes, ut diximus, primum principium de Profundo et Silentio. Christum autem à Patre missum, id est, à Profundo, spiritale vel cœleste corpus secum attulisse : nihilque assumpsisse de virgine Mariâ, sed per illam tanquam

affectas spiritu Prophetissas esse dictitabat. Secundas nuptias damnabat ut illegitimas. Quadragesimarum trium observationem ad salutem singulis omninò necessariam esse per rivum aut per fistulam sine ullâ de illâ assumptâ carne transisse. Negat etiam resurrectionem carnis, solùm per Christum spiritum et animam salutem accipere affirmans.

THEODORET. *Hæret. fab. lib.* 1. *n.* 7. Ex his omnibus hæresibus occasione sumptâ Valentinus infinitas fabulas suas composuit, hæresimque condidit tempore Antonini primi. Primum autem æonem posuit perfectum quem et Proprincipem, et Propatrem et Profundum vocat: et unà cum illo Ennœam quamdam esse, quæ Gratia et Veneranda nuncupetur. Hunc, ait, infinitis seculis quietem amplexum esse. Posteà ex utroque natum esse Intellectum et Veritatem. Unigenitum autem Intellectum nominant. Duas verò has conjugationes Pythagoricum quaternionem appellant, et radicem omnium vocant. Ex Intellectu et Veritate processisse dicit Verbum et Vitam, ex Verbo et Vitâ, Hominem et Ecclesiam. Quatuor porrò has conjugationes principem generis esse Ogdoadem et radicem ac substantiam omnium. Ac primùm Æona esse dicunt, deindè Verbum et Vitam. Post Hominis et Ecclesiæ productionem, decem alios Æonas produxisse, Profundum et Mixtionem, Senii expertem et Unionem, Per se nascentem et Voluptatem, Immobilem et Concretionem, Unigenitum et Beatam. Ex Homine autem et Ecclesiâ producti sunt alii Æones duodecim, Paracletus et Fides, Paternus et Spes, Maternus et Dilectio, Intellectus et Prudentia, Ecclesiasticus et Beatitudo, Voluntarius et Sapientia. Hos triginta Æones dicunt aliis quidem omnibus ignotos esse, ipsis verò solis cognitos. Deindè post fabulosa plurima, quibus ostenderet venerandum esse octonarium numerum et denarium ac duodenarium et tricenarium, Profundum, ait, ab iis, quæ ab ipso nata sunt, percipi non posse. Nata, ne et ipsum viderent, et aliis declararent, retinuit Silentium, et hoc aggredi prohibuit. Postremus autem Æonum, quam Sapientiam vocant, cùm idem eum cepisset desiderium, et quod cupiebat consequi non potuisset, peperit, inquit, substantiam informem. Talem illa fœtum ægrè ferens, ad Propatrem venit, et suam illi ærumnam exposuit: supplicàruntque unà cum ipsâ reliqui etiam Æones: atque illi quidem aliqua concessa est venia. Informem autem fœtum materiàm esse dicunt, ex Ignorantiâ et Tristitiâ, Metuque et Increpatione natum. Providens verò Profundum ne alium quemquam Æonem similis casus afficeret, Terminum producit sine feminâ conjuge: nam aliorum Æonum unusquisque cum feminâ conjunctus est. Hunc illi Terminum etiam Crucem appellant, et alia quoque nomina confingunt. Hujus operâ dicit purgatam Sapientiam ab affectione liberatam fuisse. Cogitationem porrò illam, quam et affectionem, et informem fœtum, et materiam nominârunt, Terminus ab eâ procul abjecit. Postea docet Unigenitum Patris voluntate ad Æonum securitatem et constitutionem produxisse Christum et Spiritum sanctum. Christum enim dicunt Æonas docuisse Patrem esse incomprehensibilem: Spiritus autem sanctus præstantiorem æqualitatem Æonibus inter se dedit. Quod consecuti Æones Propatrem laudârunt, atque in commune singuli quæ habebant pulcherrima conferentes, Jesum indè produxerunt, quem et Servatorem appellant, et Christum Verbum. Cum illo autem alios quoque Angelos produxerunt, ut essent ejus satellites: atque hæc omnia intra Pleroma nominant. Extra Pleroma autem quæ dicuntur, hæc sunt: Sapientiæ illius cogitationem, quam informem fœtum appellârunt, Achamoth vocant. Eam extra Pleroma natam in umbrâ quâdam et inani degere, Misericordiâ verò tactum Christum, quem dicunt, extensum esse per Terminum, cui et Crux nomen est, eique substantiæ formam dedisse, sed cognitione destitutam reliquisse, potentiamque ad se posteà contraxisse, Illam autem sensu affectam lucis, quæ ipsum apprehenderat, accurrisse quidem ad eam inquirendam, sed ne progrederetur prohibitam esse à Termino, dicente Iao: Hinc enim hoc quoque nomen factum tradunt. Deindè ægrè ferentem se progredi prohibitam, tristitiam et metum et dubitationem admisisse: posteà conversionis illam

contendebat, cùm Ecclesia unam jejunii quadragesimalis observationem ex Apostolicâ Traditione præciperet. Negabat fuisse concessam Ecclesiæ potestatem absolvendi à mul-

cepisse desiderium. Ex his affectionibus mundum hunc condilum dicunt. Ex conversione quidem Creatorem et omnium animas : ex aliis autem affectionibus reliqua : ex ejus quidem lacrymis humidam substantiam, ex risu verò lucem, ex aliis alia. Neque enim à reprehensione alienum duxerim omnia persequi, quæ illi fabulantur. Rogasse autem illam dicunt Christum, qui eam jam erat miseratus, ut ipsi lucem impertiret. Illum verò preces quidem suscepisse, exsecutum tamen non esse, sed Jesum misisse, ut in eo crearentur et visibilia et invisibilia, et throni et dominationes et ut ipsi dicunt divinitates. Accessit ergo cum productis Angelis, eamque ab adventitiis affectionibus separavit, et separatas compegit. Hæc verò ab affectionibus separata desiderio capta est Angelorum, et spiritalem fœtum peperit Angelis consimilem, qui sursùm recurrit. Ex conversione autem animalem substantiam exstitisse dicunt, et ex hac formatum esse Deum et patrem et regem eamdem cum ipso naturam habentium animarum, quæ Dextra vocant, et materiæ, quæ Sinistra nominant. Omnia enim quæ conspiciuntur, ipsum sibi vendicàsse dicunt. Vocant autem illum et Matripatrem, et Patrem et Creatorem. Et quid opus est omnes fabularum ineptias r censere ? His enim quæ dicta sunt universum figmentum simile est. Servatorem porrò, qui apparuit, ab Achamoth quidem accepisse id quod est spiritale, à Creatore verò, animalem induisse Christum, a Dispensatione autem impositum esse corpus animalem habens substantiam et ineffabili sapientiâ elaboratum, ut et tangi et cerni, et pati posset. Materiale nihil prorsùs sumpsisse illum dicunt, quòd nihil eorum, quæ ex materiâ constant, salutem consequatur. Dicunt porrò se quidem ex solâ cognitione salvari, nos verò ex fide et bonâ actione : se autem operibus non egere, cùm ad salutem sufficiat cognitio. Quare qui apud illos sunt perfectissimi, quidquid divinis legibus est prohibitum sine metu perpetrant. Nam et Gentilium festa celebrant, et immolatis vescuntur, et voluptatibus serviunt, scelera omnia indiscriminatim admittunt.

(D) S. IRENÆUS *adv. Hæres. lib.* 1. *cap.* 28. Et Cerdon autem quidem ab iis, qui sunt erga Simonem occasionem accipiens, cùm venisset Romam sub Hygino, qui nonum locum Episcopatûs per successionem ab Apostolis habuit, docuit eum qui à Lege et Prophetis annuntiatus sit Deus, non esse Patrem Domini nostri Christi Jesu. Hunc enim cognosci, illum autem ignorari : et alterum quidem justum, alterum autem bonum esse. *Cap.* 4. *lib.* 3. *habes infrà apud* EUSEBIUM.

EUSEBIUS *Eccles. Histor. lib.* 4. *cap* 11. Cerdon verò, qui Marcionem antecessit, ipse quoque Pontificatu Hygini, qui nonus fuit Episcopus, cùm ad Ecclesiam venisset, et errorem suum confessus esset, ita deinceps perseveravit : interdùm occultè docens, interdùm rursùs confitens errorem : nonnunquam convictus impiæ doctrinæ, eoque nomine à fratrum conventu remotus. Hæc Irenæus in tertio adversùs Hæreses libro *Cap.* IV. In primo autem *Cap.* 28. hæc rursùs de Cerdone dicit : Cerdon autem quidem ex Simonis disciplinâ profectus, cùm Romam venisset Pontificatu Hygini, qui in Episcopali sede nonus Apostolorum successor fuit, docuit Deum, quem Lex et Prophetæ prædicaverunt, Patrem non esse Domini nostri Jesu Christi. Hunc enim cognosci, illum verò ignotum esse : hunc quidem justum existere, illum autem bonum.

S. EPIPHAN. *adv. Cerdonianos*, *hæres.* 41, *n.* 1. Cùm è Syriâ Romam peregrinandi causâ miser (*Cerdo*) accessisset, sui juxta ac sectatorum suorum labes quædam ac pernicies fuit.... Cerdo Hygini Papæ temporibus fuit, qui in Apostolorum Jacobi, et Petri Paulique successione nonum locum tenebat.... Duo perindè atque alii principia statuit, ac Deos videlicet duos. Bonum alterum, et ignotum omnibus, quem et Patrem Jesu nominavit : alterum Creatorem, malum et cognitum : qui et in Lege locutus est, et Prophetis apparuit, ac se videndum sæpenumerò præbuit. Christum negat à Mariâ genitum, aut carne revera fuisse vestitum : sed ejusmodi specie tenùs exstitisse : apparuisse talem, ac specie solâ um-

tis peccatis. Arguebat eos, qui in persecutione fugerent. Plures alii errores vel Montano vel ejus discipulis objecti

versa fecisse. Idem corporum resurrectionem repudiat : vetus Testamentum, quod per Moysen ac Prophetas traditum est, tanquam alienum à Deo rejicit. Christum è cœlo, atque ab ignoto Patre descendisse ideò putat, ut hic mundi conditoris atque opificis imperium ac tyrannidem everteret : id quod aliæ pleræque hæreses existimant. Romæ igitur brevi ille tempore commoratus, suum Marcioni virus aspersit, quem etiam successorem habuit.

S. PHILASTR. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. eorum qui post Christi pass. hæres. arguuntur, n.* 16. Cerdon autem quidam surrexit post hos, pejus suis doctoribus prædicans, qui cùm venisset Romam de Syriâ, ausus est dicere duo esse principia, id est, unum Deum bonum, et unum malum : et Deum quidem bonum, bona facere ; et malum, mala. Jesum autem Salvatorem non natum asserit de Virgine, nec apparuisse in carne, nec de cœlo descendisse, sed putativè visum fuisse hominibus ; qui non videbatur, inquit, verè, sed erat, umbra : undè et putabatur quibusdam pati, non tamen verè patiebatur.

S. AUG. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, n.* 21. Cerdoniani à Cerdone nominati, qui duo principia sibi adversantia dogmatizavit. Deumque Legis ac Prophetarum non esse patrem Christi, nec bonum Deum esse, sed justum : patrem verò Christi bonum : Christumque ipsum neque natum ex feminâ, neque habuisse carnem ; nec verè mortuum, vel quidquam passum, sed simulasse passionem. Quidam verò in duobus principiis suis duos Deos ita eum dixisse perhibent, ut unus eorum esset bonus, alter autem malus. Resurrectionem mortuorum negat, spernens etiam Testamentum vetus.

THEODORET. *Hæres. fabul. lib.* 1. *n.* 24. Marcion autem et Cerdon ejus doctor, sumpserunt et ipsi quidem ex Simonis impostùrâ materiam blasphemiæ ; sed aliam impietatis viam excogitàrunt. Cerdo enim, qui Antonini primi temporibus fuit, alium Deum esse dixit Patrem Domini nostri Jesu Christi, ignotum Prophetis : alium universi conditorem, Legisque Mosaïcæ legislatorem : atque hunc quidem justum esse, illum verò bonum. Hic enim, inquit, in Lege (*Exod.* XXI. 24. *etc.*) præcipit, Oculum pro oculo, dentem pro dente excindere : ille verò bonus jubet in Evangelio (*Matth.* V. 39. 40.) dexteram maxillam pulsanti, alteram obvertere, et ei qui tunicam vult tollere, pallium dare. Et ille rursùs in Lege, (*Levit.* XIX. 18.) jussit diligere amicum, et odio habere inimicum : hic verò (*Matth.* V. 44.) jussit etiam inimicos diligere. Nec stolidus animadvertit, quod etiam in Lege (*Exod.* XXIII. 4.) præcipit errantem inimici bovem reducere, et jumentum quod ceciderit erigere, et auxilio indigentem inimicum non despicere ; et quòd qui solus ab eo bonus vocatur, ei qui fratrem stultum vocat (*Matth.* V. 22.) gehennam minatur, justumque se docens dixit (*Matth.* VII. 2.) *Quâ mensurâ metimini, remetietur vobis.*

(E) S. IRENÆUS *adv. Hæres. lib.* 1. *cap.* 29. Succedens autem ei Marcion Ponticus, adampliavit doctrinam, impudorate blasphemans eum, qui à Lege et Prophetis annuntiatus est Deus, malorum factorem, et bellorum concupiscentem, et inconstantem quoque sententiâ et contrarium sibi ipsum dicens. Jesum autem ab eo Patre, qui est super mundi fabricatorem Deum, venientem in Judæam temporibus Pontii Pilati Præsidis, qui fuit Procurator Tiberii Cæsaris, in hominis formâ manifestatum his, qui in Judæâ erant, dissolventem Prophetas, et Legem, et omnia opera ejus Dei, qui mundum fecit, quem et Cosmocratorem dicit. Et super hæc, id quod est secundùm Lucam Evangelium circumcidens, et omnia quæ sunt de generatione Domini conscripta auferens, et de doctrinâ sermonum Domini multa auferens, in quibus manifestissimè conditorem hujus universitatis suum Patrem confitens Dominus, conscriptus est : semetipsum esse veraciorem, quàm sunt hi qui Evangelium tradiderunt Apostoli, suasit discipulis suis, non Evangelium, sed particulam Evangelii tradens eis. Similiter autem et Apostoli Pauli Epistolas abscidit, auferens quæcunque manifestè dicta sunt ab Apostolo de eo Deo, qui

mundum fecit, quoniam hic Pater Domini nostri Jesu Christi, et quæcunque ex Prophetiis memorans Apostolus docuit prænuntiantibus adventum Dei. Salutem autem solùm animarum esse futuram, earum quæ ejus doctrinam didicissent. Corpus autem videlicet, quoniam à terrâ sit sumptum, impossibile esse participare salutem. Super blasphemiam autem quæ est in Deum, adjecit et hoc, verè Diaboli os accipiens, et omnia contraria dicens veritati. Caïn, et eos qui similes sunt ei, et Sodomitas, et Ægyptios et similes eis, et omnes omninò gentes, quæ in omni permixtione malignitatis ambulaverunt, salvatas esse à Domino, cùm descendisset ad inferos et accurrissent ei, et in suum assumpsisse regnum. Abel autem, Enoch, et Noë et reliquos justos, et eos qui sunt erga Abraham Patriarchas, cum omnibus Prophetis et his qui placuerunt Deo, non participasse salutem, qui in Marcione fuit serpens præconiavit. Quoniam enim sciebant, inquit, Deum suum semper tentantem eos, et tunc tentare eum suspicati, non accurrerunt Jesu, neque crediderunt annuntiationi ejus : et propterea remansisse animas eorum apud inferos dixit.

EUSEBIUS *Eccles. Hist. lib.* 4. *cap.* 11. Huic (*Cerdoni*) succedens Marcion natione Ponticus, scholam latiùs propagavit impudentissimè blasphemans.

S. EPIPHANIUS *contra Marcionitas*, *hæres.* 42. *n.* 1. Fuit iste (*Marcion*) genere Ponticus, ex eâ parte quæ Helenopontus dicitur, oppido Sinope... Qui initio vitæ scilicet castitatem præ se ferens, Monachorum instituta professus est, parente natus Catholicæ communionis Episcopo. Posteà cùm virginem quamdam adamasset, ac fraudibus pellexisset, ab spe vitæ cœlestis illam juxta ac semetipsum dejecit. Ob hunc igitur incestum Ecclesiâ ab ipso parente pulsus est viro cumprimis religioso, ac veritatis amore flagrantissimo, et in hac Episcopalis muneris administratione præstanti. Cui cùm Marcio diù multùmque supplicasset, ac pœnitentiam postulasset, hanc à patre precibus nullis obtinuit. Vehementem siquidem ex eâ re dolorem optimus senex et Episcopus ceperat, quòd non ille solùm excidisset, sed et ignominiam sibi ac dedecus imposuisset. Ergo ubi se nullis artibus eblandiri posse quod cuperet, animadvertit, popularium suorum probra, ac ludibria non sustinens, clàm ab oppido secessit, ac Romam post Hygini Papæ obitum sese contulit.... Eò statim ac Marcion pervenit ad seniores adiens, qui ab Apostolorum discipulis edocti adhuc supererant, ut in communionem admitteretur ab iis frustrà petiit. Quamobrem exstimulatus invidiâ, quòd non principem illic locum ac ne Ecclesiæ quidem aditum impetrasset, ad impostoris Cerdonis hæresim confugere in animum induxit.

N. 2... Quare palàm eos alloquens : Cur me, inquit, recipere noluistis ? Responderunt illi : Nobis injussu venerandi patris tui facere istud non licet. Una siquidem fides est, et animorum una consensio : neque contra spectatissimum collegam patrem tuum moliri quippiam possumus. At ille vehementiùs excandescens, ac superbiâ, invidiâque percitus, schisma conflavit, ac privatam hæresim architectatus est. Et Ecclesiam, ait, vestram ego dissociabo, in eamque schisma sempiternum immittam.

N. 3.... Cerdo.... duo.... principia constituit : at Marcio tertium ad illius dogma principium adjecit ; ut omninò tria sint, quorum unum sit supremum, quod neque nomine comprehendi, neque visu percipi possit ; quem et bonum Deum appellat, à quo nihil sit eorum, quæ in mundo sunt, conditum. Alterum verò Deum esse dicit aspectabilem, ac Creatorem. Tertium denique diabolum inter ambos illos, aspectabilem scilicet, et eum qui aspici nequit, interjectum. Ex iis qui Creator est et opifex, viderique potest, Judæorum esse Deum, eumdemque judicem. Cæterùm virginitas à Marcione prædicatur. Jejunium et sabbatum observari præcipit. Mysteria catechumenis cernentibus apud illum celebrantur : ad hæc verò mysteria aquam adhibet. Sabbato ob eam causam jejunium sanxit. Cùm enim, ait, Judæorum Dei, qui hunc mundum fabricavit, illa sit requies, cùm die VII. requieverit, eàdem nos jejunare instituimus, ne Judæorum Dei ritibus uti videamur. Carnem negat resurgere, idque habet plerisque cum hæresibus commune. Animæ duntaxat resurrectionem ac vitam unius et salutem asserit. Baptismos

non semel, sed tertiò apud illos initiantur : quod fieri idci cò concessit, quòd à discipulis suis, quibus fuerat cognitus, ob delictum illud ac virginis stuprum, ludibrio esset habitus. Nam cùm virginem in patriâ constuprasset, et ingentis flagitii convictus aufugisset, alterum sibi circumforaneus iste baptismum adscivit : licere pronuntians ter omninò aquis eluì, ac baptismo peccatorum ad condonationem expiari ; ut si quis post usurpatum priorem peccaverit, ad secundum cum pœnitentiâ confugiat, similiterque tertium, si post secundum iterùm se delictis obstrinxerit.

Prætereà Legem ac Prophetas omnes abjicit ; quos principis illius afflatu, qui hunc orbem condidit, vaticinatos existimat. Christum verò ideò de cœlo delapsum illo à Parente, qui nec videri nec nominari potest, ut et animas liberaret, et Judæorum ac Legis, et Prophetarum, atque istiusmodi cæterorum Deum redargueret. Imò ad inferos usque descendisse Dominum, ut et Caïno, et Core, ac Dathani, et Abironi, necnon Esaü, ac nationibus omnibus, quibus Judæorum Deus fuerat ignotus, salutem afferret. Abelum verò, Enochum, Noëmum, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Moysen, Davidem ac Salomonem illic relictos : quoniam Judæorum Deum, inquiunt, agnoverunt, qui universitatis conditor ac fabricator est, ejusque Leges et instituta seculi sunt : ac non se potiùs alteri illi Deo, qui videri oculis nequit, addixerunt. Jam mulierculis baptizandi potestatem facit. Nihil est enim apud illos nisi ludibrio ac risu dignissimum : cùm vel mysteriis ipsis, adstantibus catechumenis, operarî non dubitent. Quod ad resurrectionem attinet, hanc ille corporum esse negat, uti monuimus : animarum concedit ; quibus solis salutem, non item corporibus circumscribit. Animarum denique ab aliis in alia corpora migrationes ac transitus statuit.

N. 9. Ad ejus scripta, vel potiùs sceleratè commissa me confero. Nam iste solum Lucæ Evangelium amplectitur, amputato tamen ejus initio, quòd ibi Salvatoris in utero generationem, et ejusdem adventum cum corpore perspicuè commemoret. Nec initium modò circumscripsit ille, sui potiùs quàm Evangelii corruptor ; sed ex initio pariter ac medio plerasque veritatis sententias sustulit, aliasque pro illis substituit. Hanc unam porrò Evangelii formam, quod à Lucâ scriptum est, admittit. Epistolas prætereà Pauli Apostoli decem, quibus solis utitur, nec iis quidem integris, sed alia ex illis capita detrahit, alia commutat. Atque hos libros duos duntaxat pro canonicis habet : præter quos alia insuper à se elucubrata volumina erroris sui studiosis obtrusit. Epistolæ verò, quæ ab illo probantur, hæ sunt. Prima est ad Galatas ; 2. ad Corinthios prima : 3. ad Corinthios secunda : 4. ad Romanos : 5. ad Thessalonicenses prima : 6. ad Thessalonicenses secunda : 7. ad Ephesios : 8. ad Colossenses : 9. ad Philemonem : 10. ad Philippenses. Habet et ad Laodicenses epistolæ particulas aliquot.

S. Philastr. Brix. Epic. *Lib. de Hæres. in Catal. eorum qui post Christi pass. hæres. arguuntur*, *n.* 17. Marcion autem discipulus ejus, genere Ponticus, de civitate Sinope, urbem Romam devenit, ibique degens sceleratam hæresim seminabat, atque interrogans Presbyteros sanctos Ecclesiæ, sensûs sui eis errorem mortiferum propinabat, dicens ita : Quid est, quod in Evangelio (*Matth.* ix. 16. 17.) dicente Domino scriptum est : Nemo pannum rudem mittit in vestimentum vetus, neque vinum novum in utres veteres, alioquin rumpentur utres et effundetur vinum. Et iterùm : (*Id.* vii. 17. 18.) Non est arbor bona, quæ faciat malum fructum, neque arbor mala, quæ faciat bonum fructum. Deque hoc accipiens interpretationem à sanctis presbyteris, non acquiescebat veritati, sed magis Cerdonis sui doctoris firmabat mendacium, et iste similiter unum Deum bonum et unum malum annuntians, Christum autem putativè apparuisse, id est, quasi per umbram, et passum cum fuisse umbratiliter, non tamen in verâ carne credebat. Secundùm Lucam autem Evangelium solum accipit, non Evangelia nec Epistolas Pauli Apostoli, nisi ad Timotheum et Titum : quæ enim de Christo dicunt, ut de Deo vero præterit : quæ autem quasi de homine dicunt Scripturæ, ea accipit capitula, et neque Christum judicem esse omnium confitetur. Qui devictus atque fugatus à beato Joanne Evangelista et à Presbyteris de civitate Ephesi, Romæ hanc hæresim seminabat.

sunt. (F) In hanc hæresim impegit, proh dolor! *Tertullianus*, præstantissimum sæculo secundo et tertio Ecclesiæ lumen; Tertullianus, inquam, qui in libro de Præscriptionibus

S. Aug. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum*, *n.* 22. Marcion quoque, à quo Marcionitæ appellati sunt, Cerdonis secutus est dogmata de duobus principiis : quamvis Epiphanius eum tria dicat asseruisse principia, bonum, justum, pravum : sed Eusebius Synerum quemdam, non Marcionem, trium principiorum atque naturarum scribit auctorem.

Theodoret. *Hæres. fabul. lib.* 1. *n.* 24. Marcion verò Ponticus, cùm hæc à Cerdone didicisset, traditâ sibi doctrinâ contentus non fuit, sed auxit impietatem. Quatuor enim ingenitas substantias oratione suâ finxit; et alium quidem bonum et incognitum dixit, quem et Domini Patrem appellavit : alium Creatorem et justum, quem et malum nominavit : et præter hæc materiam quæ mala sit, et alii malo subsit. Creatorem autem malo devicto materiam accepisse, ex eâque omnia creasse : ex eo quidem quod purissimum erat, cœlum; ex reliquo quatuor elementa, et ex fæce quæ subsederat, inferos et tartara. Rursùm autem, cùm terræ quod purissimum erat percolasset, constituit, inquit, paradisum; ex hujus autem cespite uno Adam formavit, de suâ illi substantiâ dans animam. Hinc, ut ait, animæ corporisque orta contentio, corpore animam ad materiam illam deprimere contendente : animâ verò corpus ad Creatorem extollere conante. Hi quoque serpentem creatore meliorem dicere non verentur. Hic enim arborem cognitionis edere vetuit, ille verò hortatus est. Nec sentiunt impii, quòd serpentis consilium mortem peperit. Itaque nonnulli eorum serpentem venerantur : et inveni ipse apud illos serpentem æneum in arculâ quâdam cum exsecrandis eorum mysteriis reconditum. Non solùm autem Creatorem blasphemant, sed et Patriarchas et Prophetas iniquos vocant, ut Creatorem malorum amatorem esse ostendant. Hic ex Evangeliis id solum quod est secundùm Lucam recipit, genealogiæ maximâ parte amputatâ : Legem verò et Prophetas et totum vetus Testamentum, tanquàm ab alieno Deo datum rejicit. Descendisse autem Dominum nostrum Jesum Christum dicit, ut à Creatoris servitute illos liberet, qui in ipsum crediderint. Hominem porrò visum esse, cùm humanum nihil haberet, et visum esse pati, cùm minimè passus sit. Rejicit etiam corporum resurrectionem, hanc fieri non posse existimans. Caïn quidem et Sodomitas, et omnes alios impios, salutem consecutos esse dixit, et in regnum assumptos, cùm ad Christum Servatorem apud inferos accessissent : Abel verò et Enoch et Noë, et Patriarchas, reliquosque Prophetas, libertatem illis datam adeptos non esse, quòd ad illum se conferre noluerint. Quâ de causâ, inquit, ad habitandos infer s damnati sunt. Hæc adversùs Creatorem Marcion, atque his etiam multò graviora debacchatus est : majores enim blasphemias, silentio præterii. Novi autem ex his senem quemdam nonagenarium, qui manè cùm surgeret sputi excremento faciem suam lavabat, causamque rogatus, respondit se nolle opus habere creatore, nec aquam quæ illius operibus est usurpare. Et cùm dicerent qui aderant, Quomodò ergo comedis, quomodò bibis, et vestiris, et dormis, et solita mysteria peragis? Respondens, necessitate adactum id se facere dixit, quod nec vivere aliter possit, nec mysteria celebrare. Confessusque est amens vel invitus, nihil habere illum quem bonum vocant, sed omnibus bonis frui ex operibus Creatoris.

(F) S. Irenæus *Lib.* 3. *contra Hæres. cap.* 11. *n.* 9.... Alii verò ut donum spiritûs frustrentur, quod in novissimis temporibus secundùm Placitum Patris effusum est in humanum genus, illam speciem non admittunt, quæ est secundùm Joannis Evangelium, in quâ paracletum se missurum Dominus promisit; sed simul et Evangelium, et propheticum repellunt spiritum. Infelices verò, qui Pseudo-prophetæ quidem esse volunt; propheticam verò gratiam repellunt ab Ecclesiâ : similia patientes his, qui propter eos qui in hypocrisi veniunt, etiam à fratrum communicatione se abstinent. Datur autem intelligi, quòd hujusmodi neque Apostolum Paulum recipiant. In eâ enim Epistolâ, quæ est ad Corinthios,

adversùs Hæreticos argumenta congesserat, quibus omnes Montani errores invictissimè refellerentur. Quo territi exemplo sentiant superbi quòusque insaniæ devenire pos-

de propheticis charismatibus diligenter locutus est, et scit viros et mulieres in Ecclesiâ prophetantes. Per hæc igitur omnia peccantes in spiritum Dei, in irremissible incidunt peccatum.

EUSEBIUS *Eccles. Histor. Lib.* 5. *cap.* 14. Hostis Ecclesiæ Dei.... peregrinas quasdam hæreses adversùs Ecclesiam pullulare iterùm fecit. Quarum sectatores alii quidem venenatorum anguium instar per Asiam Phrygiamque repserunt. Qui et Montanum Paracletum, duasque ejus comites Priscillam et Maximillam Montani Prophetissas esse jactabant.

Ex incerto auctore apud EUSEB. *ibid. cap.* 16. Cùm essem Ancyræ in Galatiâ, et Ecclesiam illius loci novâ illâ, non ut ipsi dicunt, prophetiâ, sed ut posteà demonstrabitur pseudo-prophetiâ turbatam deprehendi.... Obstinata illorum coitio adversùs Ecclesiam, et nova perniciosi schismatis hæresis, hanc habuit originem. Vicus quidam esse dicitur in Mysiâ confinis Phrygiæ, nomine Ardaba, in quo aiunt Montanum quemdam ex iis, qui fidelium numero recèns adscripti fuerant, immodicâ primi loci cupiditate captum, primùm sub Grato Asiæ Proconsule aditum in se adversario spiritui præbuisse; et dæmone repletum, subito quodam furore ac mentis excessu conculi cœpisse, et nova quædam atque inaudita proloqui; hariolantem ac prædicentem futura, præter morem atque institutum Ecclesiæ à majoribus traditum et continuâ deinceps successione propagatum. Porrò ex his, qui tunc temporis adulterinos hominis sermones audierunt, alii quidem ut abreptitium et dæmoniacum ac spiritu erroris actum, turbasque in populo excitantem indignabundi objurgabant, et loqui ulteriùs prohibebant: quippè qui in mente haberent discrimen à Domino prænotatum, minasque quibus jubemur adventum falsorum Prophetarum vigilanter ac sollicitu observare. Alii verò velut sancto et Spiritu et prophetiæ gratiâ elati inflatique mirum in modum, et distinctionis à Domino præmonstratæ penitùs obliti, illum infatuantem et adulatorem, vulgique seductorem spiritum ultrò ad loquendum provocabant, capti ejus illecebris et in fraudem inducti. Hâc igitur arte seu potiùs fraude ac versutiâ diabolus adversùs eos, qui dicto Domini audientes non erant, exitium machinatus, cùm ab illis immeritò coleretur, mentes eorum à verâ fide secubantes somnoque oppressas excitavit paulatim ac vehementiùs inflammavit. Quippè duas alias mulierculas suscitavit, et adulterino spiritu replevit, adeò ut ipse quoque perindè ac suprà memoratus ille, insana quædam et importuna atque aliena loquerentur. Et eos quidem, qui eâ re delectabantur atque intumescebant, spiritus ille beatos prædicabat, et promissorum magnitudine supramodùm inflabat. Interdùm tamen conjecturis et fide dignis argumentis utens, palàm eos condemnabat, quòd scilicet etiam objurgatorius videretur. Hi perpauci erant Phryges, hujusmodi fraude decepti. Universam verò, quæ per orbem terrarum sparsa est, Ecclesiam, idem ille arrogantissimus spiritus maledictis appetere eos docebat, eò quòd nec honorem, nec aditum ullum ad ipsam pseudo-propheticus spiritus reperiret. Nam cùm fideles qui in Asiâ erant, sæpiùs et in plurimis Asiæ locis ejus rei causâ convenissent, novamque illam doctrinam examinassent, et profanam atque impiam judicassent; damnatâ hæresi, isti ab Ecclesiâ et fidelium communione expulsi sunt.... Nec verò ullus eorum pro Christi nomine prehensus in crucem actus est: sed neque ulla mulier in Judæorum synagogis aut flagris cæsa, aut lapidibus impetita est. Nusquam profectò, nec unquam. Immò longè alio mortis genere interiisse dicuntur Montanus et Maximilla. Ambo enim, ut fama est, ab insano spiritu incitati, laqueo sibi gulam fregerunt: non quidem simul, sed suæ quisque mortis tempore, atque ita instar perditoris Judæ vitam finierunt. Sic etiam admirabilis ille Theodotus, qui primus propheticæ illorum quasi procurator quidam fuit, plurimorum sermones perlibetur falso mentis excessu abreptus fuisse, perindè ac si levaretur aliquando et assumeretur in cœlum; cùmque se totum fraudulentissimo

sint vel homines ingenii præstantioris et perspicacioris, dùm, in pœnam superbiæ, suis ipsi tenebris permittuntur; sentiant, inquam, quàm necessarium sit vel eruditis-

spiritui permisisset, ab eo in altum jactatus miserabili exitu periisse. Et id quidem ita factum esse narrant. Sed quoniam ipsi non vidimus, nequaquam existimamus nos quidquam eorum certò cognoscere. Nam fortè hoc, fortè etiam alio mortis genere Montanus ac Theodotus et mulier illa jam à nobis nominata occubuerunt.

Ex APOLLONIO *apud eumdem, ibid. cap.* 18. Sed quisnam est novus ille doctor? (*inquit Apollonius de Montano loquens*) opera ejus et doctrina satis apertè produnt. Hic est qui nuptiarum dissidia docuit, qui jejuniorum leges imposuit: qui Pepuzam et Tymium Phrygiæ oppidula, Jerusalem nominavit, ut cunctos undique homines eò convocaret. Qui pecuniarum exactores constituit, qui sordidam munerum captationem oblationum nomine callidè obvelavit. Qui doctrinam suam prædicantibus salaria præbet, ut per fœdam ventris ingluviem doctrina ejus convalescat. Hæc ille de Montano. De Montani verò Prophetissis aliquantò post loquitur in hunc modum. Ostendimus igitur, inquit, has principes Prophetissas simul ac spiritu impletæ sunt, viros suos dimisisse. Quantoperè ergo mentiebantur qui Priscam virginem vocabant? *Multas deindè historias narrat de ipsorum Prophetis ac Prophetissis, falsisque Martyribus, quæ non sunt hujus loci.*

S. EPIPHAN. *contra Montanistas seu Cataphryges, hæres.* 48. *n.* 1. Cataphryges (sic enim appellant) tam vetus quàm novum instrumentum asciscunt. Mortuorum resurrectionem approbant.... Montanum quemdam Prophetam, cùm Priscillà et Maximillà Prophetissis prædicant; quibus inhærentes à rectâ viâ deflectunt. *N.* 9. Eum qui secundis nuptiis illigatus fuerit, expellunt, ac ne facere istud audeat vim ac necessitatem adhibent.... *N.* 11.... Montanus adjicit: *Ego sum Dominus Deus, qui in homine versor....* Pergit Montanus infelix homuncio: *Non Angelus*, inquit, *non legatus aliquis, sed Egomet Deus Pater accessi.*

N. 14.... Inter orandum indicem manûs digitum naso imponunt, ut animi tristitiam, et affectatam quamdam sanctitatem præ se ferant: à nonnullis ideò Tascodrugitæ nominantur, quasi *paxillonasones* dixeris. Sed in hàc Montani, vel in ejus germanâ Quintillianorum, aut certè Priscillianorum, et Pepuzianorum hæresi horrendum quiddam ac detestandum fieri dicitur. Nam infantulum per solemne quoddam festum acubus æreis toto corpore pungentes, exceptum sanguinem sacrificiis suis adhibent.

Hæres. 49. *adversùs Quintillianos, n.* 1.... Etenim Cataphryges isti, sive Priscilliani Quintillam aut Priscillam: neque enim ultra sit certò scimus; sed harum alteram dicunt Pepuzæ aliquando somno correptam: tùm ad eam descendisse Christum, ac simul cum ipsâ ejusmodi habitu dormiisse, ut vana muliercula jactabat. *Muliebri*, inquit, *specie, ac veste splendidâ venit ad me Christus, mihique sapientiam indidit, atque hunc locum sanctum esse significavit; in eumque sanctam Hierusalem delabi.* Ob id nonnullæ ad hodiernum usque tempus mulieres, ac viri eodem intiari cultu solent, ut ibidem excubantes Christum contemplentur....

N. 2. Singularem Evæ gratiam tribuunt: quòd prima de scientiæ fructu comederit. Sororem verò Moysis Prophetissam jactitant; cujus exemplo suo illi cooptandarum in clerum mulierum instituto suffragantur. Quin et quatuor, inquiunt, Philippus Prophetissas filias habuit. Sæpenumero in illorum Ecclesiam septem cum facibus virgines ingrediuntur candidâ veste, ut populo videlicet oracula reddant. Hæ cùm speciem quamdam furoris præ se tulerint, adstantibus illudunt, et ad fletum provocant; ut is pœnitentiæ luctus esse videatur. Nam et lacrymas profundunt, et toto corporis gestu vitam hominum deplorant. Apud eosdem mulieres Episcopi sunt, et Presbyteri, et ad cæteros gradus allegantur, nullum ut sexûs discrimen servetur. *Nam in Christo Jesu neque mas est, neque femina.* Cæterùm Artotyritas eosdem idcircò vocant, quòd ad celebranda mysteria sua panem et caseum adhibent.

N. 8. Cæterùm libri penès illos quamplurimi sunt. Nam interrogatio-

nes quasdam Mariæ venditant. Alii de eo, quem diximus Jaldabaoth, sub Sethi nomine complures libros suppositilios obtrudunt. Sed et Adami revelationes alias, et alia item Evangelia falsa discipulorum nomine conscribere sunt ausi. Nec eos dicere pudet Salvatorem nostrum ac Dominum Jesum Christum ejusmodi per sese turpitudinem monstrasse; etenim in Mariæ interrogationibus quas majores vocant, (sunt enim aliæ minores perindè commentitiæ) huic illum patefecisse fingunt, cùm eam in montem eduxisset, essetque precatus, ac productâ de latere suo muliere cum eâ rem habere cœpisset: tùm seminis sui profusione degustatâ monstrasset, ita, ut vivere possimus, esse faciendum. Addunt, et perturbatam fuisse Mariam, atque humi cecidisse; eamque à Christo cum his verbis erectam: *Quare dubitasti modicæ fidei?* Atque hoc ipsum esse volunt, quod in Evangelio dicitur: (*Joan.* III. 12.) *Si terrena dixi vobis, et non credidistis, cœlestia quomodò credetis?* Item illud: (*Id.* VI. 63.) *Cùm videritis filium hominis eò ascendentem ubi erat priùs;* hoc est, inquiunt, profluens semen exsorptum, ut eò undè exierat, revertatur. Tùm quod alibi scriptum est: (*Ibid.* 54.) *Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis meum sanguinem:* ad quæ perturbatis discipulis, ac dicentibus: (*Ibid.* 61.) *Quis hoc potest audire?* de turpitudine sermonem eum institutum ferunt, ideòque turbatos retrò pedem retulisse: nondùm enim perfectè corroborati erant ac stabiliti. Quò etiam Davidis illud dictum (*Ps.* I. 3.) referunt: *Erit tanquam lignum quod plantatum est secùs decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Atque in eo quod scriptum est: *Secùs decursus aquarum*, indicari viri fœditatem asseruit: istud verò: *quod fructum suum dabit in tempore suo*, voluptatis demonstrare proluviem. Nam quod additum est: (*Ibid.* 4.) *et folium ejus non defluet*, tunc à nobis, inquiunt, perficitur, cùm in terram decidere non patimur, sed ipsimet illud absumimus.

N. 9.... Quin etiam eòdem illud spectat: *bibe aquam de tuis vasis.* Siquidem interire carnem, nec excitari denuò prædicant, eamque ad Principem pertinere. Vim autem illam, quæ in menstruis est ac semine, animam esse, quam collectam comedimus. Undè cùm carnibus aut oleribus, aut pane, aut alio quopiam vescimur, benè de creatis rebus meremur, dùm ex his omnibus animam corroganus, ac nobiscum in cœlum evehimus. Ideòque genere omni carnium utuntur, ut generis, aiunt, nostri misereamur. Cæterùm eamdem inesse putant animalibus et bestiis, et piscibus ac serpentibus animam, quæ hominibus insit, necnon et oleribus, et arboribus, ac germinibus infusam. Jam verò qui ex iis Phibionitæ vocantur, exsecranda illa libidinis sacra, quæ à nobis explicata sunt, 365. nominibus adscribunt, quæ principum esse propria commenti sunt. Ita mulierculis illudentes, Congredere mecum, inquiunt, ut te ad principem perducam. Tùm ad singulos coïtus barbarum aliquod unius ex illis nomen temerè ab iis excogitatum pronuntiant, ac nimirùm hàc formulâ precantur: Tibi N. offerimus, ut N. vicissim offeras: indè alio rursùs in congressu alteri se offerre prædicant, ut et is alteri repræsentet. Ita donec per 365. libidinis ac lasciviæ gradus ascenderint, vel descenderint potiùs, quoties venerem repetunt, ejusmodi aliquod nomen appellant. Indè per eadem illa turpitudinis vestigia relabuntur, ac circumventis à se mulierculis illudunt. Postquàm autem iterando sæpiùs concubitu, ac fictis illis nominibus repetendis 730. numerum implèrunt, deinceps qui id egerit, palàm de se prædicare non dubitat: Ego sum Christus, nam per 365. nomina Principum ex alto descendi.

N. 10. Majorum porrò Principum nomina hæc esse memorant. In supremo, inquiunt, orbe residet Iao: in secundo Saclan, is qui stupris ac libidinibus præest: in tertio Sethus. In quarto Daden statuunt: quippè quartum esse cœlum asseverant, et tertium: ac rursùs quintum, in quo Eloæum collocant, qui idem et Adonæus dicitur. At sextum occupare volunt alii Jaldabaoth, Ætileum alii. Sed et septimum esse nonnulli definiunt, cui Sabaoth insideat, quod ab aliis negatur, qui Jaldabaoth septimam illam stationem attribuunt. In octavo Barbeloni domicilium esse fingunt: necnon et universorum parenti illi, qui idem Dominus sit, et suimetipsius pater, quemadmodùm et alteri cuidam

Christo, qui per sese sit in lucem editus. Tùm verò Christum ibidem ipsum collocant, qui de cœlo descendit, et ejusmodi cognitionem humano generi contulit; quem etiam appellatum fuisse Jesum prædicant. Verùm eumdem negant de Mariâ natum, sed per Mariam ostensum asserunt; neque carnem aliter quàm specie ipsâ suscepisse. Quod ad Sabaoth pertinet, hunc asini quidam, alii porci figurâ constare censent. Ob idque Judæis, aiunt, suillis carnibus interdixerat. Hunc esse cœli terræque conditorem, tùm eorum qui consequuntur cœlestium orbium, Angelorumque suorum. Porrò digredientem hinc animam per illos transire principes : neque tamen penetrare posse, nisi cognitione illâ plenissimè perfusa fuerit, vel condemnatione potiùs; quâ quidem cumulata Principum istorum ac potestatum manus effugiat. Addunt et hujus mundi præsidem Draconis effigiem habere, ab eoque animas absorberi cognitione illâ destitutas, rursùmque per caudam in hunc mundum refundi. Ex quo deinceps in porcorum aliorumque animantium corpora transfusæ per eadem denuò vestigia sursùm efferantur. Quòd si quis, aiunt, eâ fuerit cognitione præditus, seseque per menstrua illa ac libidinis profusionem ex hoc mundo collegerit, eum nihil hîc detineri ampliùs, sed eos, quos diximus, prætergredi principes : et ad Sabaoth usque pervenire, atque illius proculcare caput (ita enim sacrilegè atque impudenter effutiunt) indèque ad supremum illud domicilium evadere, ubi viventium mater est Barbero, quæ et ab illis Barbelo dicitur : hanc esse animæ rationem adipiscendæ salutis. Illud verò prætereà infelices illi ad fabulam adjunxerunt, eidem Sabaoth capillos esse muliebres.

N. 11. Illud prætermitti non potest : quosdam ex horum esse numero, qui ita mulierum consuetudinem abstinent, ut seipsos manibus suis conspurcent, iisque fœdissimum libidinis virus excipiant, atque eo vescantur. Ad quod testimonium illud per summam calumniam detorquent. *Manus istæ suppeditârunt non mihi solùm, sed et iis qui mecum sunt.* Item istud : *Operantes manibus propriis, ut possitis iis, qui non habent, communicare....* Apud illos quippè satietas libidinis nulla, et quò fœdiora quisque perpetraverit, eò majori omnium laude ac prædicatione celebratur.

N. 12. Infinita porrò penès illos sunt supposititia atque impudenter conficta monimenta. Cujusmodi est qui de progenie Mariæ liber inscribitur, in quo horribilia quædam ac detestanda illorum dicta continentur....

N. 13.... De illorum Levitis, sic enim appellant, non nihil dicamus : Isti non cum mulieribus, sed secum invicem miscentur; ac scilicet præcipua inter illos dignitate ac laude commendantur. Tùm verò eos omnes deridet, qui monasticum vitæ genus amplexi sunt, aut castitatem virginitatemque profitentur, quòd frustrà id sibi molestiæ ac laboris imponant. Prætereà Evangelium quoddam sub Philippi sanctissimi Christi discipuli nomine circumferunt, in quo ista narrantur : *Mihi*, inquit, *Dominus aperuit, quibus anima verbis uti cùm in cœlum ascendit, ac quemadmodùm unicuique cœlestium virtutum respondere debeat. Nimirùm : Ego me ipsam agnovi, atque undequàque collegi : neque principi filios genui; sed ejus radices exstirpavi, ac dissipata membra in unum coëgi; neque adeo, qui sis novi : sum enim è cœlestium numero.* Atque hoc modo, inquiunt, illa dimittitur. Sin autem sobolem propagasse reperitur, tandiù infrà detinetur, donec filios suos recipere potuerit, et ad semetipsam attrahere.

S. Philastr. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. hæres. quæ sub Apost. exstiterunt, n.* 2. Post istos surrexerunt Cataphryges, in Phrygiâ provinciâ habitantes; isti Prophetas et Legem accipiunt, Patrem et Filium et Spiritum confitentur, carnis resurrectionem exspectant, quæ et Catholica Ecclesia prædicat : quosdam autem suos Prophetas, id est, Montanum nomine et Priscillam, et Maximillam annuntiant, quos neque Prophetæ, neque Christus nuntiavit. Addunt etiam plenitudinem sancti Spiritûs non per Apostolos, Christo dante, fuisse concessam, sed per illos suos Pseudo-prophetas æstimant impertitam, et separant se à Catholicâ Ecclesiâ per illos suos Pseudo-prophetas et falsos Doctores. Hi

simos auctoritati Ecclesiæ subjici. Montanistarum hæresim Gallicana Ecclesia proscripsit, ut accepimus ex celebri Epistolâ Ecclesiæ Viennensis et Lugdunensis ad Ecclesias Asiæ et Phrygiæ de Martyribus Lugdunensibus apud Eusebium. (*Lib.* 5. *Hist. Eccles. c.* 3.) (G) Adversùs eamdem hæresim scripserunt, referente eodem Eusebio (*cap.* 16.) Apollinaris Hierapolitanus Episcopus, Apollonius, Miltiades, Serapion et alii. (H)

mortuos baptizant, publicè mysteria celebrant, Pepuzam villam suam, quæ sic dicitur in Phrygiâ, Jerusalem appellant, ubi Maximilla et Priscilla et ipse Montanus, vitæ tempus vanum et infructuosum habuisse dignoscuntur. Ubi et mysterium Cynicorum, et infantis exsecranda celebratur impietas. Dicunt enim eos de infantis sanguine in Paschâ miscere in suum sacrificium, suisque ita ubique emittere et perniciosis et satellitibus.

S. Aug. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, n.* 26. Cataphryges sunt quorum auctores fuerunt, Montanus tanquam Paraclitus, et duæ Prophetissæ ipsius, Prisca et Maximilla. His nomen provincia Phrygia dedit; quia ibi exstiterunt, ibique vixerunt: et etiam nunc in eisdem partibus populos habent. Adventum Spiritûs sancti à Domino promissum, in se potiùs quàm in Apostolis fuisse asserunt redditum. Secundas nuptias pro fornicationibus habent: ideò dicunt eas permisisse Apostolum Paulum, quia ex parte sciebat, et ex parte prophetabat: nondùm enim venerat quod perfectum est. Hoc autem perfectum in Montanum et in ejus Prophetissas venisse delirant. Sacramenta perhibentur habere funesta: nam de infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes; qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro Martyre; si autem vixerit, pro magno Sacerdote.

Theodoret. *Hæret. fabul. lib.* 3. *n.* 2. Hæresim, quam Cataphrygas vocant, inchoavit Montanus regionis illius vico natus, cui nomen Ardaban. Hic dominandi cupiditate motus Paracletum scipsum appellavit, et Prophetissas duas fecit, Priscillam et Maximillam, harumque scripta libros propheticos appellavit, et Pepuzæ vico Jerusalem nomen dedit. Hic et matrimonium solvi constituit, et nova jejunia præter Ecclesiæ consuetudinem introduxit. Doctrinam verò de divinâ Trinitate non corrupit, et de mundi creatione eadem nobiscum docuit. Qui verò hujus doctrinæ adhærent, ab eo quidem Montanistæ dicti sunt, sed vocantur iidem Cataphryges à gente, et Pepuziani à vico, quem ille Jerusalem appellavit. Priscillæ porrò et Maximillæ prophetiæ in majore apud illos sunt honore, quàm divinum Evangelium. De mysteriis verò nonnulli quædam jactant, sed ipsi non fatentur, et accusationem illam, calumniam vocant. Quidam illorum tres divinitatis hypostases, sicut Sabellius, inficiati sunt, eumdem esse dicentes, et Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, quemadmodùm Noëtus Asianus.

(G) Eusebius *Eccles. histor. lib.* 5. *cap.* 3. Cæterùm cùm Montanus et Alcibiades ac Theodotus, tunc primùm in Phrygiâ opinione hominum tanquam Prophetæ celebrari cœpissent (multa quippe divinæ gratiæ miracula in pluribus Ecclesiis etiammùm fieri solita, fidem plurimis faciebant eos quoque prophetare) cùmque illorum hominum causâ dissensio orta esset, qui in Gallià erant fratres, privatum de his judicium suum, religiosum in primis et cum rectâ fide consentiens, rursùs eidem Epistolæ subjunxerunt, prolatis interfectorum apud se Martyrum variis Epistolis, quas illi dùm in vinculis adhuc essent, partim ad fratres in Asiâ et Phrygiâ degentes, partim ad Eleutherum Romanæ urbis Episcopum scripserant, pro pace Ecclesiarum quasi legatione fungentes.

(H) Euseb. *Eccles. histor. lib.* 4. *cap.* 27. Apollinaris.... scripsit contra Cataphrygum hæresim, quæ quidem non longè posteà maximos tumul-

Tatianus ejusque discipuli *Encratitæ* dicti, damnabant nuptias ut corruptelam, negabant licitum esse vesci carnibus animantium et uti vino. Propterea dicti sunt *Encratitæ*, id est, *continentes*. Propter vini horrorem meram aquam ad Missæ sacrificium adhibebant, negabant Adamum salvatum fuisse. (1) Eorum errores confutârunt S. Clemens Alexandrinus, S. Irenæus, Origenes, S. Epiphanius et alii complures.

tus excitavit : tunc temporis verò primùm enasci cœperat, Montano cum falsis vatibus suis adhuc erroris sui fundamenta jaciente.

Lib. 5. *cap.* 17. *Auctor incertus è cujus libro multa post Eusebium retulimus suprà hocce 2. litt.* (F) In eodem quoque libro Miltiadis cujusdam Scriptoris mentionem facit, qui adversùs supradictam hæresim librum conscripserit.... qui peculiari opere docuerat non decere Prophetam in extasi loqui.

Cap. 18. Sed et Apollonius Ecclesiasticus Scriptor, supradictam Cataphrygarum hæresim adhuc suâ ætate vigentem refutare aggressus, peculiare adversùs eos volumen condidit, tùm falsas Prophetias quæ ab illis circumferuntur verbatim expendens, tùm vitam moresque eorum qui hæresis illius auctores fuerunt, discutiens.

Cap. 19. Serapio.... Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus post Maximinum... in Epistolâ, quam ad Caricum et Ponticum scripsit, eamdem refellens hæresim.

Theodoret. *Hæret. fabul. lib.* 3. *n.* 2. Contra hos scripsit Apollinarius, qui Hierapolis in Phrygiâ fuit Episcopus, vir laude dignus, et qui præter rerum divinarum cognitionem, externâ quoque disciplinâ fuit excultus. Similiter et Miltiades et Apollonius, alii quoque scriptores. Contra Patroclum autem, qui eidem hæresi præfuit, scripsit Caius.

(1) S. Irenæus *adv. hæres. lib.* 1. *cap.* 30. Ab his autem qui prædicti sunt, jam multæ propagines multarum hæresum factæ sunt, eò quòd multi ex ipsis, imò omnes velint Doctores esse et abscedere quidem ab hæresi in quâ fuerunt. Aliud autem dogma ab aliâ sententiâ, et deinceps alteram ab alterâ componentes, nova docere insistunt, semetipsos adinventores sententiæ quamcunque compegerint enarrantes. Ut exempli gratiâ dicamus, à Saturnino et Marcione, qui vocantur Continentes, abstinentiam à nuptiis annuntiaverunt, frustrantes antiquam plasmationem Dei, et obliquè accusantes eum, qui et masculum et feminam ad generationem hominum fecit : et eorum, quæ dicuntur apud eos animalia, abstinentiam induxerunt, ingrati existentes ei qui omnia fecit Deo. Contradicunt quoque ejus saluti, qui primus plasmatus erat, et hoc nunc adinventum est apud eos.

Cap. 31. Tatiano quodam primo hanc introducente blasphemiam, qui cùm esset Justini auditor, in quantùm quidem apud eum erat, nihil enarravit tale : post verò illius martyrium absistens ab Ecclesiâ, et præsumptione magisterii elatus et inflatus, quasi præ cæteris esset, proprium characterem doctrinæ constituit. Æonas quosdam invisibiles similiter atque hi qui à Valentino sunt, velut fabulam enarrans : nuptias autem corruptelas et fornicationes similiter ut Marcion et Saturninus dicens. Adæ autem saluti ex se contradictionem faciens.

Euseb. *Eccles. hist. lib.* 4. *cap.* 28. Musani.... elegantissimus quidam exstat liber ad quosdam fratres, qui ad Encratitarum hæresim desciverant : quæ tunc primùm exorta novum quemdam ac perniciosum errorem orbi invexit. Hujus Sectæ auctorem fuisse perhibent Tatianum.

Cap. 29. Eum ipsum cujus verba superiùs adduximus de admirabili illo Justino, ubi etiam ejusdem Martyris discipulum eum fuisse retulimus.... Non multò verò posteà Severus quidam, cùm supradictæ hæresi robur ac vires addidisset, in causâ fuit, ut illius sectæ homines ex ipsius vocabulo Severiani dicerentur. Hi legem quidem et Prophetas cum Evangeliis admittunt, sed proprio quodam sensu sacras Scripturas exponunt. Paulum autem Apostolum maledictis impetentes, Epistolas ejus repudiant, ac ne Apostolorum quidem Actus suscipiunt. Cæterùm

primus illorum auctor atque institutor Tatianus, catenam et collectionem nescio quam Evangeliorum contexuit, quam *dia tessaron*, hoc est Evangelium ex quatuor Evangeliis compositum, nominavit: quod opus à quibusdam etiamnùm habetur. Aiunt etiam nonnulli, ausum illum esse dicta Pauli Apostoli elegantioribus verbis exprimere, utpotè qui compositionem verborum illius corrigere studeret. Maximum certè librorum numerum ab eo relictum esse constat.

S. Epiphan. *Contra Tatianos*, *hæres.* 46. *n.* 1.... Is (Tatianus) primùm, utpotè Græcis eruditus artibus, Justini Philosophi sanctissimi, ac religiosissimi viri consuetudine est usus, qui è Samaritanis ad Christi fidem transierat... Quamdiù cum sancto Martyre vixit, cùm cæteris in rebus honestissimè se gessit, tùm egregiâ fuit ac constanti fide præditus. Sed illo mortuo, perindè ac si cæcus ab altero deductus à ductore destituatur, in præceps sese committens, præ cæcitate deorsùm ita fertur, ut cohibere lapsum nequeat, donec in exitium ruat: ita Tatiano contigit. Erat hic, quemadmodùm accepimus, natione Syrus. Qui primùm in Mesopotamiâ novam sectam condere aggressus est, circa annum 12. Antonini cognomento Pii. Quippè post sancti Justini Martyrium Româ profectus in Orientem, et ibidem habitans, in absurdas opiniones incidit, ac nescio quos æonas è Valentinianis fabulis, et principia quædam ac propagationes commentus est. Sed Antiochiâ præsertim, quæ ad Daphnem est, illius dogma derivatum in Ciliciâ, ac Pisidiâ cumprimis coaluit. Hinc enim Encratitarum orta successio est quibus venenum illud aspersum. Ferunt opus illud quod ex IV. Evangeliis contextum est, quodque secundùm Hebræos nonnulli vocant, ab eo esse conscriptum.

N. 2. Cæterùm eadem ferè cum antiquis hæresibus defendit. Ac primùm Adamum negat esse salvum. Deindè continentiam cælibemque vitam prædicat. Nuptias adulterium esse merum ac corruptelam existimat: nec ab illâ discrepare penitùs, sed idem et unum esse. Quâ quidem continentiæ ac pudicitiæ specie, velut illecebrâ propositâ, homo vafer obrepsit, tanquam rapax quidam lupus pellem ovis induens, coque cultu, quem ad tempus susceperat, miseros homines in fraudem pelliciens. Similiter et mysteria quædam ad Ecclesiæ sanctæ imitationem instituit: sed ad ea tamen nihil præter aquam adhibuit.

Hæres. 47. *adversùs Encratitas*, *n.* 1. Inter primarias Scripturas habent Andreæ, ac Joannis acta; nec non Thomæ, et apocryphos alios. E vetere Testamento quæ libuerit, eligunt.... Animatis vesci prohibent: non temperantiæ studio, neque peculiari ex instituto vitæ, sed falso quodam, et affectato metu; ne ob animatorum usum sibi ipsi damnationem arcessant. Aquam ad mysteria solam adhibent. Nam vino penitùs abstinent, et diabolicum appellant; quod qui bibant, eove utantur, improbos ac peccatores esse statuunt.

S. Philastr. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. hæres. quæ sub Apost. exstiterunt. n.* 1. Post Decii autem persecutionem fuit Tarcianus (*lege* Tatianus) quidam discipulus sancti Juliani (*lege* Justini) Martyris, qui recessit à veritate post passionem ipsius: doctrinamque tanti ac tam beati Martyris et magistri contempsit in omnibus, dicens æonas quosdam de cœlo fuisse prolatos. Addens etiam hoc: Adam patrem nostrum protoplastum non salvari. Æonas autem nuntians sicut Marcion deliravit. Qui etiam generationem hominum exsecratur, et jus nuptiarum legitimum abjicit, idque juris à Deo statutum non confitetur.

S. Aug. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum*, *n.* 25. Tatiani à Tatiano quodam instituti, qui et Encratitæ appellati sunt, nuptias damnant, atque omninò pares eas fornicationibus aliisque corruptionibus faciunt: nec recipiunt in suorum numerum conjugio utentem, sive marem, sive feminam. Non vescuntur carnibus, easque omnes abominantur. Prolationes quasdam fabulosas seculorum etiam isti sapiunt. Saluti primi hominis contradicunt. Epiphanius Tatianos et Encratitas ita discernit, ut Encratitas Tatiani schismaticos dicat.

Theodoret. *Hæres. fabul. lib.* 1. *n.* 20. Tatianus verò Syrus, Sophista primùm fuit, posteà divini quoque Juslini Martyris discipulus. Post magistri verò mortem, hæresis princeps fieri voluit. Figmenti porrò

Complures sectarum auctores hoc seculo exstitêre. Celebriores commemorare sufficiet, Novatum et Novatianum, undè Novatiani; Sabellium, undè Sabelliani; Paulum Samosatenum, ex quo Paulianistæ; Manem, ex quo Manichæi; Origenem, ex quo dicti Origenistæ.

NOVATUS Presbyter Carthaginensis cùm conscientiam criminum timeret, esseique jam jam ab Episcopis non solùm privandus Sacerdotio, sed etiam communione Ecclesiasticâ, Carthagine clàm discessit; et Romam profectus, ibi Novatiano auctor fuit faciendi schismatis.

NOVATIANUS quondam energumenus, posteà clinicus, id est, in lecto, urgente morbo baptizatus, nec deindè confirmatus; contra Ecclesiæ Canones, dispensante Romano Episcopo, Presbyter tandem ordinatus, Schismaticus primùm, deindè Hæreticus fuit. Schismaticus, quia Romanam sedem invasit, vivente sancto Cornelio, qui canonicè electus fuerat. (A) Hæreticus, propter errores

materiam emendicavit : à Valentino quidem æonum productiones, à Saturnilo autem et Marcione, quòd nuptias respuat, et animantium vinique usum. Hunc habent ducem qui Hydroparastatæ et Encratitæ dicuntur. Hydroparastatæ autem vocantur, quòd aquam pro vino offerant : Encratitæ, quòd nec vinum bibant, nec animatis vescantur. Ab his autem abstinent, tanquam malum abhorrentes. Cælibatum quoque observant, nuptias scortationem appellantes, et legitimam conjunctionem diabolicam vocantes. Hic Evangelium, quod diatessaron dicitur, composuit, amputatis genealogiis, et aliis omnibus, quæ Dominum ex semine David secundùm carnem natum ostendunt. Eoque usi sunt non modò qui ejus erant Sectæ, sed ii etiam qui Apostolica dogmata sequebantur, compositionis fraudem non cognoscentes, sed simpliciùs tanquam compendiario libro utentes. Nactus sum etiam ipsi libros hujusmodi supra ducentos in honore habitos in Ecclesiis nostris, quos omnes in unum congestos seposui, et pro his quatuor Evangelistarum Evangelia introduxi.

(A) *Ex Epistolâ* S. CORNELII *ad Fabium Antioch. Episc. apud* EUSEBIUM *Lib. 6. Hist. Ecclesiast. c. 43.* Nam egregius ille vir, qui tremendis quibusdam sacramentis affirmaverat se Episcopatum non concupiscere, repentè tanquam ex machinâ quàdam in medium projectus, Episcopus apparuit. Et is qui se doctorem et Ecclesiasticæ disciplinæ propugnatorem ferebat, cùm Episcopatum sibi à Deo minimè concessum rapere ac vindicare conaretur, duos deploratæ salutis homines sibi socios adjunxit : ut eos in exiguam ac vilissimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos tres Episcopos, homines planè rudes ac simplices, fraudulentâ quàdam molitione deciperet... Qui cùm advenissent,.... eos à quibusdam sui simillimis, quos ad id comparaverat, inclusos horâ decimâ, temulentos et crapulâ oppressos, adumbratâ quàdam et inani manuum impositione Episcopatum sibi tradere per vim cogit : eumque nullo sibi jure competentem per fraudem atque insidias vindicat.... Exponamus deinceps quibus operibus et cujusmodi conversatione confisus, ad Episcopalem locum aspiraverit. An ideò fortasse quòd ab initio in Ecclesiâ versatus est, et multa pro ejus defensione certamina subivit, multisque et gravissimis periculis religionis causâ conflictatus est? Minimè id quidem. Quippè cui causam atque initium credendi præbuit Satanas in ipsum ingressus atque in ipso aliquandiù commoratus. Cùmque ab Exorcistis foveretur, in morbum gravissimum collapsus : dùm jamjamque morituras creditur, in ipso in quo jacebat lectulo perfusus, baptismum suscepit; si tamen hujuscemodi baptismum suscepisse di-

multiplices, quos infrà referemus. Schismati Novatianorum fortiter obstitit S. Cyprianus, ut patet ex ejus litteris ad S. Cornelium; eâque occasione scripsit librum egregium de Unitate Ecclesiæ, quo non solùm Novatiani schisma refellitur, sed et in antecessum à fundamentis convelluntur quotquot suboriri ad finem usque seculi poterunt hæreses et schismata.

Hæresis Novatianorum in eo præcipuè posita fuit, 1. quòd negarent concessam fuisse Ecclesiæ potestatem remittendi graviora crimina post baptismum commissa; quod quidem Novatianus ad omnia crimina extenderat. 2. Damnabant secundas nuptias. 3. In Baptismi administratione sacri Chrismatis unctionem non adhibebant, quia Novatianus ipse non fuerat sacro Chrismate delibutus. (B) Adversùs hos

cendus est. Sed neque postquam liberatus est morbo, reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent: neque ab Episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipere? Et aliquantò post. Qui persecutionis, inquit, tempore præ metu, ac nimiâ vivendi cupiditate Presbyterum se esse negavit. Admonitus enim et rogatus à Diaconis, ut ex cubiculo, in quo seipsum incluserat, egressus, fratribus auxilio indigentibus succurreret, tantùm abfuit ut hortantibus Diaconis morem gereret, quin potiùs irâ et indignatione percitus, abiit ac discessit. Neque enim Presbyterum se ampliùs velle esse respondit, sed alterius philosophiæ desiderio teneri. Paucis deindè transcursis hæc iterùm subjungit. Nam cùm egregius ille vir Ecclesiam Dei reliquisset, in quâ post susceptum baptismum, Presbyteri gradum fuerat consecutus, idque per gratiam Episcopi, qui manus illi imponens eum ad Presbyterorum ordinem evexit. Cui cùm universus clerus multique ex populo refragarentur, cò quòd non liceret quemquam ex iis, qui urgente vi morbi in lectulo perindè ac ille perfusi fuissent, in clerum assumi; postulavit ab iis Episcopus, ut hunc solum ordinari à se paterentur. Posthæc facinus quoddam subjungit omnium, quæ ab illo commissa sunt, longè gravissimum, ita scribens: Etenim oblatione factâ, portionem singulis dividens: dùm eam tradit miseros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejus qui portionem accepit, ambabus suis manibus comprehensas retinens, nec priùs dimittens quàm jurati ista dixerint; ipsis enim utar illius verbis: Jura mihi per Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te nunquam meas partes deserturum, nec ad Cornelium esse rediturum. Ita miser ille non priùs gustare sinitur, quàm sibi ipse malum imprecatus sit. Et cùm panem illum accipiens dicere debuisset Amen, ejus loco dicit: Non revertar deinceps ad Cornelium.

(B) Eusebius *Lib.* 6. *Hist. Ecclesiasticæ c.* 43... Cùm Romæ congregata esset Synodus, in quâ sexaginta quidem Episcopi; Presbyteri verò ac Diaconi multò plures convenerunt: cùmque in provinciis Antistites, quid agendum esset, seorsùm consultassent, hujusmodi decretum à cunctis promulgatum est. Novatum quidem et eos qui unà cum ipso sese insolentiùs extulerant, et quicunque inhumanissimæ et à fraternâ charitate alienæ ejus opinioni consentire præsumpserant: alienos ab Ecclesiâ habendos esse: fratres verò qui in calamitatem inciderant, pœnitentiæ remediis curandos esse et confovendos. Exstant adhuc Epistolæ Cornelii Romanorum Episcopi ad Fabium Antiochensis Ecclesiæ Præsulem missæ.... Prætereà... Cypriani et aliorum antistitum.... ex quibus colligitur, ipsis etiam placuisse ut subveniretur iis, qui in tentationem inciderant: utque auctor nefariæ opinionis simul cum iis, qui ad partes ipsius desciverant, ab Ecclesiæ Catholicæ consortio meritò abdicaretur.

Ex S. Dionysio Alexand. Episc. *apud* Euseb. *Lib.* 7. *Histor. Eccles. cap.* 8. Nam Novatianum, inquit, meritò aversamur, quippè qui Ecclesiam discidit, et quosdam ex fratribus ad impietatem blasphemiamque

Hæreticos scripsêre S. Cyprianus Carthaginensis, S. Pacianus Barcinonensis, S. Ambrosius Mediolanensis, S. Basilius Cæsariensis in Cappadociâ, et alii. Damnata autem est

pertraxit, qui nefariam de Deo doctrinam invexit, et clementissimum Dominum nostrum Jesum Christum, quasi implacabilem calumniatur: qui præterea sacrum lavacrum obliterat: fidemque et confessionem quæ baptismum præcedunt, evertit: et Spiritum sanctum penitùs ab illis fugat, tametsi spes aliqua subsit vel quòd in illis adhuc maneat, vel quòd ad eos reversurus sit.

S. Epiphan. *contra Catharos hæres.* 59. *n.* 1.... Novatus porrò Romæ persecutionis illius tempore fuit, quæ eam antecessit, quam Maximinus excitavit; quæ Decii, ut opinor, aut Aureliani fuit. Quamobrem propter eos, qui in illâ persecutione lapsi fuerant, cùm arrogantiâ unà cum suis inflatus eos in communionem nollet admittere, qui post persecutionem pœnitentiam susceperant, ad eam se convertit hæresim, nullam ut esse spem salutis assereret, atque unam duntaxat esse pœnitentiam. Qui autem post Baptismum delinqueret, nullam erga eum misericordiam adhiberi posse....

N. 3.... Si quis post baptismum secundam uxorem duxerit, ab illis non ampliùs admittitur.

S. Philastr. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. hæres. quæ sub Apost. exstiterunt*, *n.* 34. Novatiani surrexerunt post persecutionem postremam à Novato quodam, qui sicut Ecclesia Catholica credebant anteà, vetus Testamentum et novum accipientes. In persecutione autem quia lapsi sunt multi fideles, et in pœnitentiam suscepti sunt à Catholicâ Ecclesiâ, irati, imò potiùs præsumptione ducti ac superbiâ, vanam doctrinam conati sunt seminare, separantes se ab Ecclesiâ Catholicâ, atque à Christi bonitate ac misericordiâ dissonantes, atque dicentes: Non esse fideli post baptismum locum aliquem pœnitentiæ: ignorantes quod per Prophetam (*Ezech.* xxxiii. 11.) clamat: *Vivo ego dicit Dominus: Nolo mortem peccatoris, sed magis ut revertatur et vivat.*

S. Aug. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum*, *n.* 38. Cathari, qui se ipsos isto nomine, quasi propter munditiam, superbissimè atque odiosissimè nominant, secundas nuptias non admittunt, pœnitentiam denegant, Novatum sectantes hæreticum: undè etiam Novatiani appellantur.

Theodoret. *Hæres. fabul. Lib.* 3. *n.* 5. Novatus autem Romanæ Ecclesiæ Presbyter erat. Cùm autem gravissima tempestas Ecclesias invasisset, accidit ut quidam è pietatis alumnis post varia tormenta defatigarentur, et negationis verba usurparent. Hi, redditâ tranquillitate, rogârunt ut pœnitentiæ remedia obtinerent. Atque optimis quidem Pastoribus metuenda Domini accusatio videbatur, quæ dicit, (*Ezech.* xxxiv. 4.) O Pastores, quod confractum erat non colligastis, et quod aberraverat non reduxistis, et quod ceciderat non erexistis, lapsisque manum esse porrigendam, et hos juxta Domini præceptum confirmandos. Dominus enim magno Petro dixit: (*Luc.* xxii. 31.) *Simon, Simon, expetivit vos Satanas ut vos cribraret sicut triticum: et ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* His consiliis Novatus non acquievit, sed palàm contradixit, non oportere salutem illos consequi, qui abnegassent, perindè faciens ut ii, qui ægrotos medicamentis uti prohibent. Qui verò remedium adipisci postulabant, arguebant eum, quòd sæpè rogatus, ut ad ipsos properaret, et verbis eos confirmaret, qui tyranni machinis pulsabantur, occultans se ipse et latere studens, Presbyterum etiam se esse negârit. Sed tamen his quoque auditis, qui Romæ convenerant Episcopi, persuadere conati sunt, ut iis, qui recta sentiebant, assentiretur. Postquàm autem illum furentem viderunt, et Deo invisam crudelitatem sancire, ab Ecclesiæ corpore illum segregârunt, Romam regente Cornelio. Hic Novatus cùm paucos admodùm in hæresis societatem adduxisset, abiit in Italiam, et tres oppidulorum Episcopos decipiens duxit, tanquam pro ipso apud Episcopum Romanum intercessuros: et in vicum quemdam cum eis profectus, coëgit ut ipsum Episcopum ordinarent. Atque hanc illi vim sibi factam conquesti sunt, cùm Romam venerunt, et quæ facta fuerant, docuerunt. Sic ordinationem miser suffuratus, hæresis princeps

hæresis pluribus in Conciliis tùm Romæ, tùm in Italiâ, tùm in Africâ, tùm Antiochiæ habitis. Tandemque in primo Concilio Nicæno œcumenico.

SABELLIANI discipuli fuêre *Praxeæ*, *Noëti* (C) et *Sabellii*, (D) à quo nomen sumpsêre. Negabant quod negant quoque factus est. Sectæ verò suæ asseclas, non solùm Novatianos, sed etiam Catharos appellavit. Nec Domini Dei accusationem veritus est, quam adversùs quosdam fecit dicens, *Qui dicunt, mundus sum, ne me tangas.* Et subjunxit, (*Isai.* LXV. 5.) * *ipse fumus iræ meæ, ignis ardet in ipso omnibus diebus.* Dominus enim superbis resistit. Hujus autem successores alia etiam dogmata adjecerunt. Eos enim qui secundas nuptias inierint, à sacris mysteriis repellunt : et pœnitentiæ mentionem prorsùs à suis conventibus exterminant : et iis, quos baptizant, sanctissimum chrisma non præbent. Quapropter eos, qui ex hâc hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, laudatissimi Patres inungi præceperunt. Adversùs hanc hæresim multas Epistolas scripsit Cornelius, multas etiam Dionysius Alexandrinus Episcopus, et alii quoque illius temporis Episcopi, per quos manifesta statim omnibus facta est Novati inhumanitas.

(C) S. EPIPHAN. *Contra Noëtianos Hæres.* 57. *n.* 1. Noëtus.... prodit; neque multis abhinc annis; sed ante hos ferè centum ac triginta.... in Asiâ oriundus, urbe Epheso.... Passum esse Patrem non dubitavit asserere.... Sese Moysen, fratrem verò suum Aaronem esse dixit. Inter hæc beatæ memoriæ Presbyteri ejus rei famâ permoti, hominem advocant; deque his omnibus interrogant, utrumnam tam contumeliosum in Patrem dogma proposuisset.... Coram Presbyterorum consessu productus.... Quid, inquit, mali feci? Unum Deum veneror, unum novi; nec præter ipsum alterum natum, passum, mortuum. Ad quam opinionem cùm constanter adhæresceret, cum pariter atque ejus discipulos ab Ecclesiâ pellunt. Moritur deindè paulò post cum fratre suo : neque tamen aut ille pari ac Moyses olim, aut ejus frater eâdem, quâ Aaron, honorificentiâ sepulti sunt : tanquam enim desertores abjecti sunt, nec ab ullo Catholicorum sepulturæ mandati.

S. PHILASTR. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. hæres. quæ sub Apost. exstiterunt, n.* 6. Alii autem Noëtiani insensati, cujusdam nomine Noëtiani : qui dicebat Patrem omnipotentem ipsum esse Christum, et ipsum passum, et ipsum mortuum fuisse in corpore : hic etiam dicebat se Mosem esse, fratrem suum Heliam Prophetam.

S. AUG. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, n.* 6. Noëtiani à quodam Noëto, qui dicebat Christum eumdem ipsum esse Patrem et Spiritum sanctum.

THEODORET. *Hæres. fabul. lib.* 3. *n.* 3. Noëtus verò : genere fuit Smyrnæus, hæresim autem renovavit, quam Epigonus quidam nomine in lucem primus ediderat, Cleomenes verò susceptam confirmârat. Hæresis autem ista sunt capita... Unum dicunt Deum et Patrem esse, universorum creatorem : non apparentem illum quando vult, et apparentem cùm voluerit. Invisibilemque eumdem esse et conspicuum, genitum et ingenitum : ingenitum quidem ab initio, genitum verò, quando ex Virgine nasci voluit. Impassibilem et immortalem, rursùsque patibilem et mortalem. Impassibilis enim cùm esset, crucis, inquit, passionem suâ sponte sustinuit. Hunc et Filium appellant, et Patrem, prout usus exegerit, hoc et illud nomen sortientem. Noëti appellati sunt qui hanc hæresim adamârunt. Eamque post Noëtum propagnavit Callistus, qui et ipse impietati dogmatis additamenta quædam adjecit.

(D) S. DIONYSIUS Alex. Episc. *apud* EUSEBIUM *Histor. Eccl. lib.* 7. *cap.* 6. In eâdem Epistolâ de Sabellianis hæreticis, (*inquit Eusebius*) utpotè qui tunc temporis increbrescebant, Xystum (Romanum Pontificem) certiorem facit (*Dionysius*) his verbis. Nam de dogmate illo, quod nuper apud Ptolemaïdem urbem Pentapoleos commotum est, pleno impietatis ac blasphemiæ adversùs omnipotentem Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi : pleno etiam incredulitatis erga unigenitum ejus Filium, primogenitum omnis creaturæ, Verbum quod inter homines versatum est : pleno denique stuporis adversùs Spiritum sanctum.

etiamnùm impii Sociniani, tres personas à se distinctas in uno Deo subsistere. Sed unam contendebant esse personam, quæ modò Pater, modò Filius, modò Spiritus sanctus diceretur pro diversitate operationum. Undè asserebant tam Patrem fuisse crucifixum quàm Filium. Hinc dicti sunt *Patripassiani.* Adversùs Sabellianos scripsêre SS. Dionysius Alexandrinus, Epiphanius, Basilius, Athanasius, Theodoretus et alii. Damnati sunt et proscripti ab universâ Ecclesiâ.

S. EPIPHAN. *Contra Sabellianos Hæres.* 62. *n.* 1. Non multis abhinc annis Sabellius quidam hæreticus emersit : quippè recens ille est ; à quo Sabelliani profecti sunt. Qui quidem, paucis quibusdam exceptis, eadem cum Noëtianis asseruit. Atque hujus sectæ plurimi cùm in Mesopotamiâ, tùm Romæ versantur, vesaniâ quâdam perciti. Horum hæc opinio est : eumdem esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum, ut ad eamdem hypostasim tres appellationes conveniant. Aut perindè atque in uno homine corpus, et anima, et spiritus inest : ita ut corporis instar sit Pater, animæ Filius, Spiritus denique in ipsâ divinitate humani spiritûs instar habeatur. Quod et Solis similitudine declarant ; in quo cùm una sit hypostasis, triplex nihilominùs actus est, nimirùm illustrandi vis, et calefaciendi, et orbicularis figura. Ac vim quidem illam calefaciendi, hoc est colorem, atque æstum, Spiritui respondere ; Patrem denique totius hypostasis velut quamdam esse formam. Igitur Filium affirmant radii in mortem emissum, omnia quæ ad Evangelii, et humanæ salutis procurationem attinerent, in hoc mundo præstitisse, atque ita in cœlum rediisse, quemadmodùm is, qui à Sole manavit, radius in eumdem posteà refunditur. Spiritum porrò sanctum in hunc orbem immitti, ac deinceps sigillatimque in eos omnes illabi, qui eo munere digni sunt ; eumdemque instaurare vitam, et animare fervore, fovere denique, ac calefacere, ut ita dicam, vi quâdam consensioneque spiritûs....

N. 2. Hunc autem errorem omnem, ejusque firmamentum ex apocryphis quibusdam hauserunt ; præsertim ab Ægyptiorum Evangelio : hoc enim illi nomen indiderunt ; in quo pleraque sunt hujus generis, quæ ex personâ Salvatoris clam atque occultè, velut mysteria, promuntur : quasi discipulis ipse declaret, eumdem esse Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum....

S. PHILASTR. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. hæres. quæ sub Apost. exstiterunt, n.* 7. Sabellius post illum (*Noetum*) de Libyâ discipulus ejus, similitudinem sui doctoris itidem secutus est et errorem, undè et Sabelliani posteà sunt appellati, qui et Patripassiani, et Praxiani à Praxeâ, et (*Hermogeniani*) ab Hermogene, qui fuerunt in Africâ, qui et ita sentientes abjecti sunt ab Ecclesiâ Catholicâ.

S. AUG. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, n.* 41. Sabelliani ab illo Noëto, quem suprà memoravimus, defluxisse dicuntur ; nam et discipulum ejus quidam perhibent fuisse Sabellium. Sed quâ de causâ duas hæreses eas Epiphanius computet, nescio : cùm fieri potuisse videamus, ut fuerit Sabellius iste famosior, et ideò ex illo celebrius hæc hæresis nomen acceperit. Noëtiani enim difficilè ab aliquo sciuntur : Sabelliani autem sunt in ore multorum. Nam et Praxeanos eos à Praxeâ quidam vocant ; et Hermogeniani vocari ab Hermogene potuerunt : qui Praxeas et Hermogenes eadem sentientes, in Africâ fuisse dicuntur. Nec tamen istæ plures sectæ sunt ; sed unius sectæ plura nomina, ex his hominibus qui in eâ maximè immotuerunt : sicut Donatistæ, iidem Parmenianistæ : sicut Pelagiani, iidem Cælestiani, etc.

THEODORET. *Hæret. fabul. lib.* 2. *n.* 9. Sabellius verò Afer Pentapolitanus hanc hæresim inchoavit. Unam hypostasim esse dixit Patrem, et Spiritum sanctum, et unam triplicis nominis personam : eumdemque nunc ut Patrem vocat, nunc ut Filium, nunc ut Spiritum sanctum. Ac in veteri quidem Testamento, ut Patrem, legem tulisse : in novo autem, ut Filium, esse incarnatum, et ut Spiritum sanctum, ad Apostolos venisse. Contra hunc scripsit Dionysius Alexandrinus.

Paulus Samosatenus Episcopus Antiochenus, homo vanissimus et perditus moribus, negavit cum Sabellio trinitatem personarum divinarum, cum Cerintho et Ebionæis divinitatem Christi: ipsumque esse purum hominem asseruit. (E) Damnatus est in duobus Conciliis Antiochenis (F)

(E) **Eusebius** *Histor. Eccles. lib.* 5. *cap.* 28. Artemonis hæresim.... Paulus Samosatensis nostris temporibus renovare aggressus est.

Lib. 7. *cap.* 27. Defuncto Antiochiæ Demetriano, Paulus Samosatensis Episcopatum suscepit. Hic cùm adversùs Ecclesiæ doctrinam nimis abjectè et humiliter de Christo sentire cœpisset, quasi is nihil supra communem hominum naturam habuisset: Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus rogatus ut ad Concilium veniret, adventum quidem suum distulit, senectutem et infirmitatem corporis causatus. Cæterùm quid ipse de hàc quæstione sentiret, per Epistolas indicavit. At reliqui Ecclesiarum Pastores undique exciti, tanquàm adversùs gregis Dominici vastatorem, simul omnes Antiochiam convenerunt.

Cap. 28. Omnibus igitur vario tempore diversimodè ac sæpenumero in unum coëuntibus, multæ disputationes et quæstiones in unoquoque consessu agitatæ sunt; cùm hinc Samosatensis Paulus dogmatis sui novitatem occultare adhuc niteretur; illinc Sacerdotes hæresim illius et adversùs Christum blasphemiam denudare atque in medium producere laborarent.

Cap. 29. Hujus (*Aureliani Imperatoris*) temporibus postrema Synodus innumerabilium ferè Episcoporum congregata est: in quâ auctor ille nefariæ apud Antiochiam hæreseos Paulus convictus et ab omnibus manifestissimè deprehensus falsi dogmatis reus, ab universâ, quæ sub cœlo est, Ecclesiâ Catholicâ eliminatus est. Præcipuè verò illum coarguit, et latere cupientem confutavit Malchion quidam.... Presbyterii honorem consecutus. Hic adversùs Paulum susceptâ disputatione, excipientibus cuncta notariis.... occultos hominis sensus fraudesque detegere solus omnium valuit.

Cap. 30. Omnes itaque in unum congregati Antistites, unam ex communi sententiâ ad Dionysium Romanæ urbis Episcopum, et ad Maximum Alexandrinum scripserunt Epistolam: eamque ad omnes deindè provincias transmiserunt: tùm ut studium suum ac diligentiam omnibus declararent, tùm ut perversum Pauli dogma, confutationes quoque et disputationes adversùs illum habitas, cunctamque hominis vitam ac mores exponerent.... Ipsamet illorum verba.... non incommodum fuerit hic referre.

Dionysio et Maximo, et omnibus per universum orbem comministris nostris: Episcopis, Presbyteris et Diaconis; et universæ Ecclesiæ Catholicæ quæ sub cœlo est, Helenus et Hymenæus, Theophilus, Theotecnus, Maximus, Proculus, Nicomas, Ælianus, Paulus, Bolamis, Protogenes, Hierax, Eutychius, Theodoretus et Malchion et Lucius: et reliqui omnes qui nobiscum sunt vicinarum urbium et Provinciarum Episcopi, Presbyteri ac Diaconi; et Ecclesiæ Dei charissimis fratribus in Domino salutem.... Scripsimus etiam ad complures Episcopos longiùs dissitos: eosque hortati sumus, ut ad exitialis doctrinæ morbum curandum accederent. Nam et ad Dionysium Alexandrinum, et ad Firmilianum Cappadociæ Antistitem, beatæ recordationis viros, litteras dedimus. Quorum ille scripsit quidem Antiochiam: sed erroris ducem ne salutatione quidem dignatus est; neque ad eum nominatim, verùm ad universam Antiochensium Ecclesiam litteras suas direxit.... Firmilianus verò cùm bis Antiochiam venisset, damnavit quidem dogmatis ab illo invecti novitatem, ut testamur nos qui adfuimus, et alii plures perindè ac nos optimè norunt. Sed cùm ille mutaturum se sententiam promisisset; credens ei Firmilianus, speransque sine ullo religionis nostræ probro atque dispendio rem optimè posse constitui, distulit sententiam suam; deceptus scilicet ab homine, qui Deum ac Dominum suum negabat, et qui fidem, quam anteà profitebatur, violaverat. Nunc quoque Antiochiam venturus erat Firmilianus: et jam Tarsum usque per-

celeberrimis ann. 266 et 272. Scripsêre adversùs illas hæreses SS. Dionysius Alexandrinus, Athanasius, Basilius, aliique. Damnavit eas et Concilium Nicænum.

venerat. Quippè improbitatem hominis Deum negantis anteà fuerat expertus. Sed cùm nos jam convenissemus; intereà loci dùm illum accersimus, dùm ejus adventum exspectamus, abiit è vitâ.... Sed quoniam à fidei regulâ recedens, (*Paulus Samosatensis*) ad spuriam et adulterinam doctrinam se transtulit, hominis ab Ecclesiâ alieni actus examinare nihil attinet: neque quòd cùm anteà pauper et mendicus esset, nec ullas omninò facultates aut à parentibus relictas accepisset, aut artis illius exercitio sibi comparasset, nunc ad incredibilem opulentiam pervenit, per scelera ac sacrilegia, fratrumque concussiones: dùm injuriâ affectos decipit, promittens quidem sese illis, acceptâ mercede, opem laturum: fallens autem ipsos, et ex facilitate litigantium, qui ut negotio liberentur quidvis dare parati sunt, lucrum inaniter captans; et pietatem quæstum esse existimans. Neque quòd fastu et arrogantiâ supra modum elatus seculares gerit dignitates, et Ducenarius vocari quàm Episcopus mavult; per forum magnificè incedens; epistolas legens ac dictans inter ambulandum palàm ac publicè, stipatusque maximâ hominum multitudine partim præeuntium, partim subsequentium: adeò ut ex illius fastu et arrogantiâ, incredibilis invidia odiumque multorum adversùs fidem nostram conflatum sit. Neque ilem attinet examinare ambitiosam hominis vanitatem in Ecclesiasticis conventibus, quam omni studio consectatur; nihil aliud quàm inanem gloriam captans et pompam affectans, atque hujusmodi artibus animos imperitorum perterrefaciens. Nam et tribunal et sublimem thronum, non ut Christi discipulus sibi ipse construxit: et secretum, perindè ac seculares magistratus, ita appellatum habuit. Ad hæc femur manu percutere, et tribunal pedibus pulsare solitus. Eos verò qui non laudarent, nec ut in theatris fieri solet oraria concuterent, neque unà cum fautoribus ipsius, viris ac mulierculis indecorè auscultantibus exclamarent atque exsilirent, sed cum gravitate ac modestiâ sicut in Domo Dei decet audirent, increpabat et contumeliis afficiebat. Et alios quidem legis nostræ doctores jam vitâ functos petulanter in concione lacerabat: de se autem ipse magnificè loquebatur, non ut Episcopus, sed ut sophista quidam et impostor. Quin etiam Psalmos in honorem Domini Jesu Christi cani solitos, quasi novellos et à recentioribus hominibus compositos abolevit. Mulieres autem magno Paschæ die in mediâ Ecclesiâ Psalmos quosdam canere ad sui ipsius laudem instituit; quod quidem audientibus horrorem meritò incusserit. Episcopos quoque vicinorum pagorum et civitatum, necnon et Presbyteros assentatores suos submisit, qui in suis ad populum concionibus eadem de ipso prædicarent: Etenim Filium Dei è cœlo descendisse, nobiscum conflteri renuit, ut aliquid obiter præmittamus ex iis, quæ infrà uberiùs exponentur. Neque [illegible] simplici assertione nostrâ, sed ex ipsis, quæ ad vos misimus, ges[illegible]s non semel declaratur: maximè verò ubi dicit Jesum Christum è terrâ ortum fuisse. At verò illi, qui in ejus honorem Psalmos canunt et coram populo eum deprædicant; ipsum quem impietatis doctorem habuerunt, Angelum esse dicunt è cœlo delapsum. Atque hæc ille omnium hominum superbissimus non prohibet: sed interest ipse cùm dicuntur. Quid hic referre attinet subintroductas, ut Antiocheni vocant mulieres, tam ipsius quàm Presbyterorum ejus ac Diaconorum? In quibus non hoc solùm sed etiam alia insanabilia crimina, quorum conscius est, et quorum ipsos reos esse convicit, nihilominùs tegit ac dissimulat, ut illos sibi obnoxios habeat: utque dùm sibi ipsis metuunt, ipsum ob ea, quæ impiè agit ac loquitur, accusare non audeant. Ad hæc divitiis eos locupletavit. Cujus rei causâ ab iis, qui talia concupiscunt, amatur atque suspicitur. Quid, inquam, attinet hæc scribere? Scimus utique, fratres dilectissimi, Episcopum et universum clerum, bonorum operum exemplum multitudini præbere debere. Neque illud ignoramus, quot ex ejusmodi mulierum contubernio partim in præceps lapsi sint, partim in suspicionem venerint.

MANES anteà *Curbicus* nomine, posteà *Manichæus*, nomen dedit famosæ *Manichæorum* sectæ, quæ ex principiis priorum Hæreticorum orta, longè latèque pullulavit, ut infrà

Itaque etiamsi quis concesserit nihil ab eo turpe commitli, suspicionem tamen, quæ indè nasci solet, vitari oportebat; ne quemquam offenderet, neve aliquos ad imitationem sui provocaret. Quo enim modo increpabit alium et admonebit ut à frequentiori mulieris consuetudine abstineat, ne fortè corruat sicut scriptum est, is qui unam quidem jam dimisit, duas verò ætate florentes et formâ conspicuas secum habet, et quocunque proficiscitur, circumducit; idque deliciis diffluens et epulis sese ingurgitans. His de causis omnes quidem apud se privatim ingemiscunt atque suspirant: sed potentiam ejus ac tyrannidem adeò reformidant, ut accusare illum non audeant. Verùm de his, sicut anteà diximus, examinaverit fortasse aliquis et in judicium vocaverit hominem Catholicæ professionis, nobisque fidei ac ministerii societate conjunctum. Ab hoc verò qui prodito atque ejurato religionis nostræ mysterio ad exsecrandam transgressus hæresim Artemæ, (quidni enim parentem illius vobis tandem indicemus?) in eâ se plurimùm jactavit: ab hoc, inquam, rationem eorum omnium exigendam esse non existimamus.... Hunc igitur Deo bellum indicentem, nec cedere volentem, cùm à communione nostrâ abdicassemus, necesse habuimus alium ejus loco Ecclesiæ Catholicæ Episcopum ordinare, non absque divinâ, ut credimus, providentiâ: Demetriani scilicet beatæ memoriæ Episcopi, qui ante hunc magnà cum laude eamdem rexit Ecclesiam, filium Domnum, virum omnibus, quæ Episcopum decent, dotibus exornatum. Quod quidem idcircò vobis significavimus, ut et ad eum scribatis, et ab eo communicatorias litteras accipiatis. Hic verò ad Artemam scribat, si lubet; et qui Artemam sectantur, cùm eo communicent.... Igitur cùm Paulus à rectâ fide simul et Episcopatu excidisset, Domnus.... administrationem Antiochensis Ecclesiæ suscepit. Sed cùm Paulus è domo Ecclesiæ nullatenùs excedere vellet; interpellatus Imperator Aurelianus rectissimè hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi præcipiens, quibus Italici Christianæ religionis Antistites et Romanus Episcopus scriberent. Hoc modo vir suprà memoratus, cum summo dedecore per secularem potestatem ab Ecclesiâ exturbatus est.

S. EPIPHAN. *Contra Paulum Samosat. Hæres.* 65. *n.* 1. (*Paulus*) Samosatis Mesopotamiæ ad Euphraten urbe natus, Aureliano ac Probo imperantibus, Antiochenæ Ecclesiæ præpositus est. Qui.... Artemonis hæresim instauravit.... Deum Patrem et Filium ac Spiritum sanctum unum esse Deum. Verbum Dei ejusque Spiritum inesse Deo perpetuò, sicut hominis in corde proprium verbum inesse cernimus. Filium Dei subsistentiam habere per sese nullam, sed in Deo subsistere. Id quod Sabellio quoque placuit.... et Noëto.... quanquam non eodem cum istis modo, sed diverso quodam ille sentiat.... Dei Verbum in terras delapsum in Jesu, qui homo merus esset, habitasse. Ita unus, inquit ille, Deus est: neque aut Pater est Pater, aut Filius Filius, aut Spiritus sanctus Spiritus est sanctus. Imò verò Deus unus est Pater, et hujus in ipso Filius, ut est in homine sermo. Quam quidem opinionem ex iisce ferè testimoniis colligit. Primùm, quòd Moyses dixerit (*Deuter.* VI. 4.) *Dominus Deus tuus, Dominus unus est.* Neque verò cum Noeto Patrem ille passum esse definit; sed solùm, inquit, adveniens Verbum, totum illud administravit, et ad Patrem revertit.

S. PHILASTR. Brix. Episc. Paulus quidam fuit Samosatenus post hos in Syriâ, qui Verbum Dei, id est, Christum Deum Dei Filium substantivum, ac personalem, et sempiternum esse cum Patre denegabat: prolativum autem, id est, quasi aëra quemdam dicebat, non tamen personam vivam Filii sempiternam cum sempiterno Patre credendum docebat. Hic Christum hominem justum, non Deum verum prædicabat, Judaïzans potiùs, qui et circumcisionem docebat, undè et Zenobiam quamdam Reginam in Oriente tunc temporis ipse docuit Judaïzare.

S. AUG. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum. n.* 44. Pauliani à Paulo Samosateno, Christum non semper fuisse dicunt; sed ejus initium, ex

videbimus. Duo suprema omnium principia et numina admittebant, unum bonum, malum alterum. Duas in singulis hominibus animas esse effutiebant, unam bonam, quæ esset à bono principio, alteram à malo malam. Carnem detestabantur, ideòque earum esu interdicebant. Vinum quo de Mariâ natus est, asseverant : nec eum aliquid amplius quàm hominem putant. Ista hæresis aliquando cujusdam Artemonis fuit : sed cùm defecisset, instaurata est à Paulo, et posteà sic à Photino confirmata, ut Photiniani quàm Pauliani celebriùs nuncupentur. Istos sanè Paulianos haptizandos esse in Ecclesiâ Catholicâ Nicæno Concilio constitutum est. Undè credendum est eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi hæretici, cùm de Catholicâ discederent, abstulerunt, eamque custodiunt.

THEODORET. *Hæret. fabul. lib.* 2. *n.* 8. Paulus verò Samosatenus, Antiochensium quidem Episcopus fuit. Zenobia autem tunc temporis toparchiam obtinente, (Persæ siquidem Romanis devictis Syriam illi et Phœnicem regendas dederant) in Artemonis hæresim lapsus est, hàc ratione demereri illam ratus, quæ eadem cum Judæis sentiebat. Quod cùm didicissent Ecclesiarum rectores, non vacare periculo censuerunt, tantum morbum negligere, qui serpere festinabat, et adjutricem habebat maximè civitatis amplitudinem. Et Dionysius quidem Alexandrinus Episcopus, vir doctrinâ insignis, profectionem distulit propter senectutis imbecillitatem, per litteras autem suasit illi quæ conveniebat, et Episcopos, qui convenerant, ad zelum pro veritate suscipiendum excitavit. Inter eos autem qui convenerant, primas tenebant Gregorius ille magnus et celeberrimus, qui per inhabitantem in eo Spiritûs gratiam ab omnibus decantata miracula peregit, et Athenodorus ejus frater, et Firmilianus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, vir illustris, et qui scientiâ utràque pollebat, tùm externâ, tùm divinâ ; et Helenus prætereà Cilicum regens metropolim. Hi cùm multi essent, qui convenerant, cæteris præsidebant. Ac primùm quidem suasionibus et consiliis conati sunt Paulum à pravâ opinione abducere. Postquàm verò apertè negavit ille se tale quidpiam sensisse, sed Apostolica se dogmata sequi dixit, Dominum pro concordiâ laudantes ad greges suos redierunt. Procedente autem tempore, fama iterùm oras omnes pervadens, Pauli depravationem omnibus nuntiavit. Sed ne sic quidem laudatissimi Patres facilè ad virum abscindendum processerunt : Sed primò quidem morbo mederi per litteras conati sunt. Ubi verò immedicabile malum esse perspexerunt, Antiochiam iterùm alacri animo contenderunt, et lenia medicamenta adhibuerunt, admonentes, et exhortantes, et pacta conventa in memoriam revocantes. Post hæc videntes et illum inficiantem, et instantes accusatores, et illum se convicturos pollicentes, convenerunt in Concilium. Hic Malachione quodam, qui Sophisticam anteà professus, Presbyter posteà fuerat ordinatus, disputationem habente cum Paulo, deprehensus est Christum hominem dicere, divinâ gratiâ insigniter ornatum. Tunc itaque concordi in eum latâ sententiâ, ex sacris illum catalogis meritò expunxerunt. Et quoniam resistebat, Ecclesiæque principatum obtinebat, Aurelianum, qui tunc imperabat, de Pauli audaciâ edocentes, persuaserunt ut ex Ecclesiâ illum expelleret. Idolorum enim cultui deditus æquum existimavit, cum qui fidei suæ hominum sententiæ non acquiesceret, ab eorum consortio resecari.

(F) CONCIL. ANTIOCH. I. *ann.* 226. Filium verò, qui est apud Patrem, Deum quidem et Dominum omnium creaturarum dicit ; à Patre autem missum de cœlis, et carne assumptâ factum esse hominem : quamobrem corpus ejus ex Virgine sumptum *in quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitavit* (*Coloss.* II. 9.) divinitati immutabiliter unitum et deificatum est.

CONC. ANTIOCH. II. *ann.* 272. *Epistola synodica ad Dyonisium.* Quoniam Paulus (Samosat. hæresiarcha) relicto Ecclesiæ canone, ad adulterinam depravatamque doctrinam se transtulit, ejus res gesta, cùm sit extra Ecclesiæ fines ejectus, nihil attinet disquirere.

gustare iis sacrilegium erat. Damnabant nuptias, et tamen in omnem erant effusi libidinem et intemperantiam. Asserebant Christum assumpsisse corpus merè phantasticum, adeòque negabant hunc fuisse verè mortuum, verè crucifixum, verè è mortuis suscitatum. Deum contendebant esse auctorem peccati, nullum in homine admittebant liberum arbitrium, nullum peccatum originale. Negabant proindè baptismum esse necessarium ad salutem, negabant fidem esse necessariam. Carnis concupiscentiam à malo principio in nobis inesse, non à peccato contendebant. Rejiciebant prorsùs auctoritatem veteris Testamenti, novum verò adulteratum esse contendebant, aliudque Evangelium ipsi confinxerant. Plura alia somniabant et fabulabantur in perniciem animarum. (G) Quæ omnia fusè descripsit S. Augus-

(G) EUSEBIUS *Hist. Eccles. lib.* 7. *cap.* 51. Iisdem temporibus (*sub Rom. PP. Dionysio et Felice*) ille meritò dictus Manes, id est furiosus, qui dæmoniacam hæresim nominis sui condidit; armatus insaniâ, ab adversario Dei Satanâ ad multorum hominum perniciem productus est. Hic in universâ vivendi ratione cùm sermone ipso, tùm moribus barbarus, et suâpte naturâ furiosus ac dæmoniacus: his consentanea aggressus, seipsum Christum fingere instituit. Et nunc quidem Paracletum se, ipsumque Spiritum sanctum esse prædicabat; præter insaniam superbiâ etiam elatus. Nunc verò quasi Christus duodecim discipulos novi dogmatis consortes eligebat. Cùm igitur falsa et impia dogmata ex variis hæresibus jam pridem exstinctis hinc indè collecta consarcinasset, ea tanquam lethale quoddam virus ex Perside in orbem Romanum effudit. Ex quo impium Manichæorum nomen exortum, multis in locis ad hunc usque diem exuberat.

S. EPIPHAN. *Adversùs Manichæos*, *Hæres.* 65. *n.* 1. Manichæi, quos Acuanitas de Acuæ veterani cujusdam nomine vocant, qui è Mesopotamiâ profectus, lethiferum illud virus Eleutheropolim transtulit, magnum per illud tempus, in quod ætas ipsorum incurrit, prædicatione suâ malum in orbem terrarum invexerunt. Nam Aureliano imperante, quarto ejus imperii anno emergere cœperunt. Celeberrima hæc hæresis est, et quamplurimas regiones illius fama peragravit: quæ à Mane quodam per multas oras partesque terrarum dissipandi sui initium accepit.

Porrò Manes genere Persa, Cubricus primùm appellatus, Manis sibi nomen imposuit... Cubricus iste viduæ cujusdam servus fuit, quæ sine liberis decedens, infinitam ei pecuniarum vim et auri argentique, et aromatum, cæterarumque rerum copiam testamento reliquit; cùm eamdem ipsam hæreditatem à Terbintho quodam perindè et ipso servo mulier accepisset, qui mutato nomine Assyriorum linguâ Buddas est dictus. Atque hic Scythiani cujuspiam servus fuit, qui è regione Saracenorum oriundus in Palestinæ finibus, in Arabiâ scilicet educatus fuerat. Ubi græcorum linguâ, ac litterarum studiis institutus, summam inanissimarum hujus mundi disciplinarum scientiam adeptus est. Cùmque identidem negotiandi gratiâ in Indiam proficisceretur, magnam et copiosam mercaturam faciebat. Ex quâ plurimùm locupletatus, Thebaïdem obire solebat.

N. 2. Hic initio divitiis inflatus, et aromatum, cæterarumque ex Indiâ opum copiâ, cùm Hypselen Thebaïdis oppidum venisset, ibique perditam quamdam mulierculam invenisset eleganti corporis specie, pro eo ac stolidus erat stupore affectus, è lupanari, ubi tùm meretriciam exercebat, abduxit; et ad eam adhærescens in libertatem assertam sibi in matrimonium adjunxit. Deindè longo post tempore homo nefarius, præ deliciis minimè sese continens, et in otio degens, ac sceleribus assuetus, novi aliquid in orbem introducere nimio ex luxu in animum induxit. Itaque voces quasdam ejusmodi ex sese, non ex litteris sacris, aut ex sancti Spiritûs oraculis, sed ex infelici humani ingenii ratione commentus est. Quæ enim, aiebat, ratio est, cur quæ in totâ hâc rerum universitate

continentur, inæqualia sunt, putà album, et nigrum, fulvum et viride, humidum et siccum, cœlum ac terra, nox et dies, anima et corpus, bonum et malum, justum et injustum, nisi quod ex duobus hæc sunt principiis exorta ?.., Scythianus ille excæcatus animo, atque à Pythagorâ erroris argumenta nactus.... libros quatuor conscripsit : quorum unum, Mysteriorum, inscripsit : alterum Capitum : tertium Evangelium ; quartum Thesaurorum.

N. 3. Inter hæc cùm audisset Prophetarum ac Legis oraculis mundi procreationem, atque unum solumque omnium principem moderatoremque celebrari, qui et semper existeret, nec desineret unquam, Patrem scilicet, ac Filium, et Spiritum sanctum, abundantioribus animi deliciis impulsus, atque ut rudi imperitoque erat ingenio, cavillans, ac vehementiore luxu fractus, Hierosolymam sub Apostolorum tempora proficisci statuit, ut illic sermonem cum iis conferret, qui ea prædicarent, quæ ad unius principatum, resque à Deo conditas pertinerent. Itaque simul atque ad urbem illam accessit, cum Presbyteris, qui illic erant, quique ex Legis a Deo Moysi traditæ, ac propheticæ disciplinæ præscripto vitam instituebant, disputare cœpit. Qui enim, aiebat, unum esse Deum asseritis, qui noctem diemque condiderit, necnon carnem et animam, siccum et humidum, cœlum atque terram, tenebras ac lumen ? Quòd cùm illi apertè demonstrarent : neque enim occulta veritas est ; contrà ille sine ullo pudore contendere. Verùm ubi nihil proficit, in eâdem nihilominùs molestiæ impudentiâ persistit. Postremò cùm nihil efficeret omninò, sed victus potiùs abscederet, magicis quibusdam libris adhibitis, (erat enim maleficiorum peritus, ac perniciosam illam et exitiabilem artem ex Indorum et Ægyptiorum, Gentiliumque disciplinâ velut mercimonium quoddam abstulerat) præstigiis illudere conatus est ; ac domo quâdam conscensâ nihilo magis, quod volebat, assecutus est. Quippè indè præceps decidens ex hâc vitâ migravit, cùm multos illic annos egisset ; atque unum tantummodò secum discipulum habuisset, Terbinthum videlicet illum, quem diximus, cui et sua omnia velut fidissimo benevolentissimoque administro commisit. Hic mortuum Scythiat num quàm honorificentissimè sepelivit. Tùm apud se deliberans, statuiad illam mulierculam non reverti : quam è meretricio quæstu, ac servitute sibi Scythianus adjunxerat. Itaque cum omnibus quæ habebat auro scilicet, argento, cæterisque copiis in Persidem aufugit. Ibi ne de prehenderetur, mutato nomine pro Terbintho Buddam se, uti diximus, appellat. Atque hic pessimam rursùs quatuor illorum Scythiani librorum, ac magicarum artium et præstigiarum hæreditatem adiit. Idem enim litterarum apprimè studiis erat eruditus. Sed cùm in Perside et ipse disputaret, atque apud viduam quamdam habitans, cùm Ædituis ac Sacerdotibus Mithræ imprimisque Parco quodam, ac Labdaco Prophetis de duobus principiis contenderet, neque vel idololatriæ antistitibus resistere posset, sed ab iis turpissimè convictus esset, Scythiani, quem sequebatur, exemplo domûs fastigium conscendens, ibique magicis artibus id efficere studens, ne quis sibi deinceps contradicere auderet, ab Angelo dejectus cecidit, atque ob ea quæ moliebatur maleficia, periit : anus porrò sepulto illius corpore pecuniam omnem obtinuit. Quæ quidem cùm liberos, ac propinquos haberet nullos, diù in illo statu perseveravit. Tandem verò Cubricum, qui et Manes dictus est, ad obsequia famularia servum coëmit, cui moriens malam illam hæreditatem, perindè atque aspidis virus, multorum ad interitum ac perniciem reliquit.

N. 4. Itaque Cubricus, qui se Manem vocavit, inter Persas, apud quos degebat, disputare instituit. Verùm cùm nemini dogmata sua probaret ; sed quicunque doctrinam illius audiebant molestè ferrent, ac novitate ipsâ, horrendisque illis, et ad decipiendum compositis fabulis, ac vocibus vehementer obstupescerent ; cùmque omnes ille, quos de impio commento sermones habebat, refelli evertique cerneret, occasionem quamdam excogitavit, per quam inanissimis illis, et ad stuporem confictis fabulis auctoritatem asciscceret. Cùm enim percrebuisset Persarum Regis filius quàdam ægritudine correptum in regiâ Persarum urbe decumbere : (neque enim Manes illic degebat, sed alio quodam in loco ab Regis aulâ dissito) excæcante illum improbitate suâ : ratus in heri sui Terbinthi,

sive Buddæ qui et Scythiani hæres fuerat, libris posse se ad sanandum Regis filium remedia quædam invenire, ex urbe suâ digressus ad regiam contendit: ac quorsùm venisset aperiens, certam filio Regis opem promittit. Sed spes impostorem fefellit. Nam cùm ægro medicamenta quædam adhibuisset, exspectatione suâ frustratus est: adeò ut inter illius manus adolescens postremò sit mortuus, quo vana ipsius ac mendacia promissa convinceretur. Hæc cùm ita contigissent, jussu Regis in vincula conjicitur. Neque enim Persarum Reges in gravioris delicti reos subindè supplicia decerunt; sed exquisitiori quodam mortis excogitato genere, tormentis priùs illos ac quæstioni subjiciunt.

N. 5. At Manes, sive Cubricus interim in carcere detinebatur, ubi illum discipuli ejus identidem invisebant. Jam enim suam, ut ita dicam, manum circulator iste collegerat, quos discipulos nominabat, duos ac viginti. Quorum è numero tres elegit, Thomam, Hermeam et Addam. Ac cùm animo repeteret, quæ de sacris Christianorum libris audierat qui in Judæâ, totoque terrarum orbe circumferebantur, hoc est, Lege, Prophetis, Evangeliis, Apostolorumque scriptis; numeratâ pecuniâ Hierosolymam illos allegat. Sed hoc antè fecerat, quàm in carcerem conjiceretur, quando apud multos verba faciens dogma suum probare non poterat. Quamobrem audito Christi, ejusque servorum, hoc est, Christianorum nomine, hâc ipsâ professionis hujus appellatione ad illudendos homines abuti statuit. Profecti itaque discipuli libros illi nullâ interpositâ morâ coëmunt. Deindè ad Magistrum reversi, jam eum libertate privatum, atque in carcerem compactum reperiunt: quo ad illum ingressi libros offerunt. Quibus acceptis, ac diligenter evolutis, malâ fide pleraque depravavit, ac veritati mendacium suum admiscuit, ubicunque speciem aliquam orationis appellationemque nactus est, quæ non nihil opinionis suæ simile præ se ferret: unde et confictam deinceps à se fabulam affirmare conatus est. Interim ingenti pecuniarum vi, assiduisque precibus exorato commentariensi fugam arripit, ac relictâ Perside Romanorum fines ingreditur. Cùmque jam ad Mesopotamiæ Persidisque confinia, ac solitudinem, quæ illic est, pervenisset, nuntiatum est præstantissimum quemdam esse virum, atque excellenti pietate præditum, Marcellum nomine, qui Cascharæ, quod Mesopotamiæ oppidum est, habitaret, virum undequàque Christianum, atque in omnibus justitiæ officiis planè mirabilem: qui et viduis, et pauperibus, necnon et orphanis ac denique indigentibus largiretur. Ad hunc igitur applicare se constituit, ut cùm obnoxium sibi hominem habuisset, non in Mesopotamiâ modò, sed et toto illo Syriæ Romanique Imperii tractu dominari posset. Quocircà ejusmodi ad illum Epistolam scribit:

Manichæi ad Marcellum Epistola.

N. 6. Manichæus Apostolus Jesu Christi, et qui mecum sunt sancti omnes, et virgines, Marcello filio carissimo, gratia, misericordia, pax à Deo Patre, et Domino nostro Jesu Christo: ac te lucis dextera custodiat à præsenti seculo nequam, ejusque casibus, et laqueis maligni, amen.

Quòd te summâ caritate præditum esse cognovi, vehementer sum gavisus. Quòd verò non rectæ rationi consentaneam fidem profiteris, equidem dolui. Quamobrem, cùm ad corrigendum genus humanum missus fuerim, eorumque, qui in se fraudem erroremque commiserint, rationem habeam, necessarium putavi has ad te litteras scribere: quibus imprimis animæ tuæ, tùm tuorum saluti consulerem, ut ne confusum quiddam perturbatumque sentires, pro eo ac rudiorum magistri docent; qui quidem ita prædicant: Bonum ac malum ab eodem proficisci; unumque duntaxat principium statuunt: neque lucem à tenebris, bonum à malo, exteriorem hominem ab interiori, ut anteà dixi, discernunt ac separant: imò verò alterius cum altero confundendi, miscendique nullum finem faciunt. Tu verò, fili, ne ut plerique hominum temerè ac sine ratione ambo ista conjungito; neque bonitatis auctori Deo tribuito. Nam illi principium, ac finem, et horum auctorem malorum ad Deum referunt, *quorum finis maledicto proximus est.* Non enim iis, quæ in Evangeliis à Salvatore ac Domino nostro Jesu Christo dicuntur, fidem adhibent: *Non potest arbor bona fructus malos facere: neque arbor mala bonos fructus facere.* (*Luc.* VI. 43.) Quemadmodùm verò Deum satanæ malorum-

que, quæ ab eo geruntur, conditorem ac procreatorem asserere audeant, magnoperè demiror. Atque utinam hactenùs vanissima illorum consilia progrederentur; nec unigenitum Dei Filium Christum Dominum, *qui de Patris sinu descendit*, Mariæ cujusdam mulierculæ filium esse dicerent, atque ex sanguine carneque, tùm verò reliquo mulierum fœtore prodiisse. Sed ne longiorem Epistolam scribens diutiùs æquitatem tuam detineam, cùm præsertim naturali eloquentiâ caream, his quæ dicta sunt ero contentus. Ubi verò ad te venero pleniùs omnia cognosces; si quidem salutis tuæ curam aliquam suscipis. Neque enim cuiquam laqueum injicimus, ut stolidiores nonnulli faciunt. Intellige quæ dico, fili charissime.

N. 7. Hanc Epistolam cùm Marcellus vir egregius, ac religiosissimus, et imprimis illustris legisset, mirum in modum obstupuit. Ac tùm fortè contigit, ut eodem die, quo illam à Manichæo Epistolam Dei servus accepit, Archelaüs urbis Episcopus unà cum illo domi esset. Qui re omni perspectâ, dentibus fremens, rugientis leonis instar, ac divino quodam ardore percitus, ad Manichæum potiùs proficisci cupiebat, hominemque à barbaris, undè is ortus erat, advenientem, et ad humani generis perniciem insurgentem capere. Sed prudens Marcellus, mitigato precibus Episcopo, Tyrbonem hortatus est, ut ad Manem in Arabionis castellum rediret, ubi ab illo exspectabatur. Sed cùm Tyrbo reverti ad Manichæum nollet, eo relicto expeditum quemdam cursorem è familiâ suâ destinat, per quem has ad illum litteras dedit.

Marcelli ad Manichæum Epistola.

Marcellus vir illustris Manichæo per Epistolam mihi cognito salutem. Accepi quas ad me dedisti litteras. Tyrbonem verò pro meâ benignitate suscepi. Quid autem litteræ tuæ sibi velint nondùm intellexi: nisi tu ad nos veniens singula, uti per litteras recepisti, ad verbum exposueris. Valete.

N. Hæc ubi Manes accepit, tametsi nihil in eâ Tyrbonis retentione boni esse secum animadverteret; (persæpè verò falli opinione solebat, aliaque omnia, quàm ita uti se res habebat conjicere) ut de totâ re certior fieret, occasione ex Marcelli litteris acceptâ, celerrimè ad illum accurrit. At Archelaüs Episcopus præter doctrinam fidei insuper ardore præditus, auctor erat, ut si fieri posset, homo ille, pardi instar ac lupi vel cujusvis alterius bestiæ, interceptus morti traderetur, ne ejusmodi feræ incursione pecora læderentur, cùm illius ingressum cognosceret. Marcellus contrà patienter ac leniter potiùs illum in colloquio tractandum putabat. Ille verò compertâ jam Manis opinione ac doctrinâ: siquidem Tyrbo utrique totam illius sectæ vanitatem explicârat...

N. 10. Hæc igitur cùm ita se haberent, et Archelaüs penitùs omnia cognosset, ut de quæstione illâ disputare posset; cùmque ad id esset instructissimus, partim quòd à multiplici divinarum rerum scientiâ paratissimus erat, partim quòd à Tyrbone perdoctus antè fuerat, et omnes nefarii hominis præstigias accuratè didicerat; ecce tibi cum suorum comitatu Manes accessit. Quare subindè nullâ interjectâ morâ publicam collationem instituunt in oppido ipso Caschara, ut ante omnia controversiam agitarent. Ad id verò concertationis arbitros deligunt. Marsipum quemdam, et Claudium, et Ægialeum, et Cleobulum: quorum primus gentilis sapientiæ, secundus medicinæ Professor, tertius Grammaticus: postremus erat Sophista. Multa in eâ disputatione ultrò citròque jactata sunt: cùm hinc Manes fabulas suas proponeret, indè Archelaüs velut egregius miles adversarii tela vi suâ, ac virtute discuteret. Postremò victus est Manes, ac de judicum sententiâ veritati victoria cessit..

N. 11. Secundum hæc Manes fugâ sibi consulit. Populus enim lapidibus illum obruere volebat; nisi Marcellus in medium prodiens, vultu ipso venerationis pleno aspectuque repressisset. Quod nisi fecisset, jamdudùm infelix ille periisset. Indè igitur discedens Diodoridem (Pagus is est in Charcharis) sese contulit: ubi Tryphon quidam erat vir optimus, ac tunc loci illius Presbyter. Ad hunc Manes divertens rursùm miscere omnia, ac se arroganter efferre, nactus hominem alioqui bonum, et excellenti pietate præditum, sed orationis præsidio destitutum. Verùm ne sic quidem, uti speraverat, illudere Christi servo potuit. Deus enim iis, qui

in se confidunt, Spiritûs sancti dona præparat, abundè largitur, prout ipse pollicitus est, qui mentiri non potest. *Nolite*, inquit (*Matth.* x. 19. 20.) *solliciti esse, quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris mei, qui loquitur in vobis.* Sed cùm Manes iterùm cum Tryphone Presbytero congredi vellet, qui sibi in plerisque contradixerat, ille rem omnem per litteras Archelao significat, his verbis: Homo quidam hùc accessit, qui infestissimi lupi more ovile perdere aggreditur. Verùm obsecro te scribere ad me, quemadmodùm adversùs illum me gerere oporteat, ac quibus rationibus perniciosæ ejus doctrinæ resistere. Quòd si venire ipse dignaberis, Christi ovile, gregemque ab omni sollicitudine liberabis. Archelaüs, his acceptis litteris, duos ad eum libros mittit, quos in promptu facilèque comprehenderet, contra Manem conscriptos. Cæterùm ut adventum suum præstolaretur admonuit. Interim Manes medium in pagum summo diluculo prodiens, Tryphonem ad disputandum provocat. Qui cùm se stitisset, et ad omnia quæ quæsierat sigillatim pro eâ, quam à Deo acceperat, sapientiâ respondisset, atque impostorem leniùs agitaret, apud se non nihil hæsitans; repentè Archelaüs nec opinatò conspectus est, qui tanquam acerrimus pater-familias, suorumque studiosissimus audacter in prædonem fremens incurrit. Quem ut Manes aspexit, simulatâ blanditiâ; Sine me, inquit, cum Tryphone contendere: tu enim me, cùm sis Episcopus, dignitate superas. Archelaüs verò, ex eo quòd jam illius dogma confutatum erat, multò quàm verbis exprimi posset, simulandi callidiorem esse docuit, osque illi prorsùs occlusit. Tùm quæ ab illo proposita fuerant dissolvens, novum ei pudorem incussit, cùm ne hiscere quidem ampliùs auderet. Sub hæc populus ardentibus rursùm animis scelestum illum opprimere conatus est. Quorum ille manus effugiens ad castellum Arabionis reversus est.

N. 12. Sed Persarum Rex, compertâ Manichæi fugâ, missis satellitibus in eodem illo castello, comprehensum hominem ignominiosè in Persidem abduxit: ubi calamo cute detractâ, ultimum de eo supplicium sumpsit. Quam quidem cutem utris in modum, infartis paleis, ad hodiernum diem in Perside servant. Hunc igitur ille exitum vitæ consecutus est. Ob id Manichæi lectulis suis arundines substernunt. Ergo ille sic mortuus eos, quos dixi, discipulos reliquit, Addam, Thomam, et Hermeam, quos antequàm illo mortis genere pœnas lueret, varia in loca dimiserat. Hermeas enim in Ægyptum profectus est, quocum plerique versati sunt. Neque enim antiqua est admodùm hæc hæresis, adeò ut qui cum Hermeâ Manis discipulo collocuti sunt, nobis quæ ad illum pertinebant, narraverint. Addas in superiorem regionem abiit, Thomas in Judæam. Atque ab iis, secta illa ad hodiernum usque diem vires atque incrementum habuit....

N. 13..... Manes in eo libro, quem de fide scripsit: libros enim varios edidit, quorum unus viginti duas in partes distributus est, alphabetico ordine pro litterarum, quibus Syri utuntur, numero..... hujus inscriptio est, Manichæi Mysteria. Alius est cui Thesauro nomen inditum. Præter hos, alios quosdam ad illudendos homines contexuit, velut minorem Thesaurum. Item de Astrologiâ. Neque enim à curiosis illis artibus abhorrent: quin potiùs astronomiæ scientiam præ se ferunt, ac de eâ gloriantur. Sed et amuleta, hoc est, appensa quædam è collo, necnon et cantiones magicas ac præstigias usurpant....

N. 20. Colliguntur ab ascensione Christi ad Manem, et Aurelianum ac Probum Imperatores anni 276. ex quorumdam Chronographorum calculo. Ex aliorum verò supputatione 246....

N. 21.... A magnis viris admirabiles ad illius refutandos errores lucubrationes sunt editæ. Velut ab Archelao Episcopo, ut antèà dictum est: Origene, ut accepimus, Eusebio Cæsariensi, et altero Emeseno, Serapione Thmuensi, Athanasio Alexandrino, Georgio Laodiceno, Apollinario item Laodiceno, Tito, ac plerisque aliis, qui adversùs illum scripserunt.

Manichæi impia dogmata.

N. 25.... Hic igitur Deos geminos colit, ingenitos, à semet existentes, sempiternos, invicemque contrarios. Quorum alterum bonum, malum alterum definit, atque uni lucis nomen imponit, tenebrarum alteri. Ad

lucis partes hominis animam pertinere putat ; tenebris verò corpus, ac materiæ opificium tribuit. Horum verò permistionem ac temperationem hunc in modum accidisse dicit, ac duorum Regum exemplo declarat, qui jamdudùm inimici mutuò sibi bellum inferunt, ita ut uterque privatim sua possideat. Ita tenebras, ait, collectis viribus, finibus suis egressas incursionem fecisse, ac cum luce dimicasse. Cum autem bonus pater tenebras in terrâ suâ versari cognosceret, vim à se ipso quamdam edidisse, quæ vitæ mater appellata sit. Ab hâc primum hominem productum, necnon et Elementa quinque, ventum, lucem, aquam, ignem, materiam. Hæc cùm velut ad bellicum apparatum induisset, in inferiora delapsum cum tenebris pugnasse. Tenebrarum verò Principes, qui cum eâ decertabant, ex illius armaturâ, quam animam esse dicit, non nihil ademisse. Quo quidem tempore primum hominem in inferioribus his locis à tenebris magnoperè esse vexatum. Quòd nisi orantem Pater exaudisset, atque alteram à se productam vim in subsidium misisset, quæ vivus spiritus diceretur, ac nisi descendens dexteram ei porrexisset, atque è tenebris eduxisset, jamdudùm primum illum hominem detentum periculum ingens aditurum fuisse. Ab eo igitur tempore animam inferiori hâc sede reliquit. Quæ causa est cur Manichæi, quoties invicem occurrunt, hujus rei significandæ gratiâ mutuò sibi dexteras porrigant, tanquam à tenebris crepti. Omnes enim sectas versari in tenebris asserit. Tunc vivum illum spiritum mundum condidisse, ac tres alias virtutes ferentem, et delapsum principes extulisse sursùm, et in firmamento stabiliisse, quod ipsorum corpus est, sive globus.

N. 26. Tùm verò præterea eodem à spiritu luminaria creata, quæ sunt animæ reliquiæ ; itaque ab illo perfecta, ut firmamentum circumacta percurrerent. Rursùm verò terram octuplici specie fabricasse. At bajulum infrà sustinere, fatigatumque tremere, ac terræ motum præter constitutum tempus efficere. Ob id bonus, inquit, Pater Filium è sinu suo in terræ penetralia, atque intimas ejus partes allegavit, ut illius consentaneo desiderio satisfaceret : et quoties terra movet, vel ille laborans tremuit, vel onus in alterum humerum transfert. Per idem tempus materia stirpes ex sese procreavit ; quas cùm nonnulli principes diriperent, convocatis illa principum primoribus, unam ab singulis virtutem accepit, hominemque condidit ad primi illius hominis exemplar, cui et animam allegavit. Eiusmodi commixtionis est ratio. Sed vivus Pater, quòd animam in corpore afflictam cerneret, ut est misericors, ac benignus, carissimum sibi Filium ad illius recuperandam salutem emisit. Hanc enim ob causam, simul et bajuli gratiâ misisse dicitur. Igitur Filius adveniens sese hominis in figuram convertit, atque homini similis hominibus apparuit, licèt homo non esset ; eumdemque genitum esse homines vulgò crediderunt. Itaque mox ut accessit, opus quoddam ad animarum salutem molitus est, machinamque construxit, in quâ cadi erant duodecim : quæ globi cujusdam agitatione conversa mortuorum animas sursùm evehit, quas magnum illud sidus radiis suis exceptas ac repurgatas in lunam transportat. Ita fit, ut hujus orbis impleatur, qui discus à nobis vulgò dicitur. Navigia quippè, et pontones duo esse sidera illa censet. Onusta verò luna ad subsolanum transvehit. Ita deposito onere levatur, ac rursùm navigium complet : hinc novis per cados evectis animis, iterùm exoneratur, donec suam ac peculiarem animæ partem eripiat. Etenim animam omnem, atque omne quod movetur animal boni illius patris naturæ particeps esse docet. Porrò cùm onus illud animarum ad patris æones luna transvexerit, manent eæ in gloriæ columnâ, qui perfectus aër dicitur. Est autem hic aër lucis columna quædam ; quoniam animabus, quæ purgantur, est referta. Hæc ipsa causa est per quam salutem animæ consequantur.

N. 27. Cur autem moriantur homines causam hujusmodi proponit. Virgo quædam, inquit, formosa atque compta blanditiarumque plena principes à vivo spiritu in firmamentum eductos ac cruci suffixos, suis illecebris allicere aggreditur : quæ se maribus pulcherrimæ feminæ, feminis verò elegantis ac formosi specie juvenis offerens, principes, cùm eam tam exquisito ornatu viderint, ad sui desiderium vehementer accendit. Qui cùm eam assequi nequeant, extra potestatem exeuntes, præ amore ac cupiditate eorum in modum exardescunt. Cùmque accur-

rentibus illis virgo se ex illorum aspectu subduxerit, tùm magnus Princeps ex sese nubes emittit, ut præ iracundià mundo tenebras offundat. Atque hoc modo si vehementiùs prematur, hominis instar ex sudore lassatur, qui quidem sudor pluviam efficit. Sic et princeps alter Messor appellatus, si virginis illecebrà capiatur, pestem in universam terram perdendis hominibus immittit. Siquidem corpus istud cum majore mundo comparatum corpus dicitur. Cæterùm homines universi radices habent infrà cum superioribus connexas. Igitur cùm à virgine pellectus captusque fuerit, tunc hominum amputare radices incipit, quibus succisis pestilentia grassatur, itaque moriuntur. Quòd si superiora radicis præ labore quatiantur, terræ motus consequitur, quo bajulus etiam concutitur. Ea causa mortis est.

N. 28. Nunc illud vobis exponam, quemadmodùm anima quinque in corpora transfundatur. Imprimis enim pars illius exigua repurgatur. Tùm in canis vel cameli vel alterius animalis corpus transfertur. Ac si homicidium anima perpetravit, in celephorum corpus transfertur. Si messuisse deprehendatur, in balbos ac linguà præpeditos. Animæ verò hæc ipsa nomina sunt, mens, notio, intelligentia, cogitatio, ratiocinatio. At messores quicunque metunt, principum similes sunt, qui in tenebris jam tùm ab initio versantur. cùm primi hominis armaturam adederunt. Ideò transportari illos in fœnum aut phaselos, aut hordeum, aut spicam, olerave necesse est, ut meti succidique possint. Pane si quis vescitur, panem hunc fieri oportet, ut et ipse comedatur. Avem qui occiderit, avis fiet. Similiter qui murem occiderit, in murem commutabitur. Præterea si quis in hâc vitâ dives fuerit, ubi ex corpore migraverit, in mendici corpus transferetur, ut oberrans stipem corroget, indèque sempiternum ad supplicium perveniat. Ac cùm nostrum istud corpus ad principes materiamque pertineat, qui Persicam arborem plantat, multa ei corpora obeunda sunt, donec Persica illa deciderit. Qui sibi ipsi domum exstruit, in universa corpora distrahetur. Qui in aquâ lavat, suammet ipsius animam adstringit. Qui Electis ipsius pietatis aliquod munus non dederit, per multas generationes pœnas expendet, atque in Catechumenorum corpora transibit, donec munera quamplurima largiatur. Ob id ciborum exquisitos quosque Electis offerunt. Panem antequàm comedant, orationem ita concipiunt ad panem sermone converso: Neque ego te messui, neque molui, nec expressi, nec in clibanum imposui: alius hæc omnia præstitit, mihique obtulit; ergo ab omni culpâ innocens vescor. Quæ cùm apud se pronuntiavit, tùm Catechumeno dicit: Pro te oravi, ita ille discedit. Nam ut vobis paulò antè dixi, qui messuerit et ipsum esse metendum, ita qui in instrumentum aliquod frumentum injecerit, injiciendus et ipse est: ut qui massam subegerit subigendus, coquendusque qui panem coxerit. Propterea omni opere illis interdicitur. Quin etiam alii sunt, inquiunt, mundi ex quibus oriuntur sidera, quæ ab hoc nostro occidendo recedant. Si quis humi ambulet, terram lædit: ut et aërem lædit qui manum agitat, cùm aer hominum et bestiarum ac volucrum et piscium et reptilium anima sit. Quicunque verò in mundo est, hoc ipsum, ut dixi, corpus non Dei, sed materiæ est, et tenebris obduci necesse est.

N. 29. Quod ad Paradisum pertinet, mundus is appellatur. Arbores porrò in eo sunt, cupiditas, aliæque fraudes, quibus illorum hominum corrumpuntur animi. Quæ autem in paradiso consita est arbor, cujus beneficio bonum discernitur, Jesus est, ejusque cognitio, quæ in mundo est: quam qui percipit, bonum malumque discernit. Sed nec mundus ipse ad Deum pertinet, verùm ex materiæ mole formatus est; ob id universa pereunt. Quod autem primo ex homine principes rapuerunt, istud ipsum onus est, quod imponitur lunæ, quodque singulis diebus à mundi contagione purgatur. Anima verò, quæ veritatis expers ex hâc vitâ discedit, dæmonibus traditur, ut eam gehenna atque incendiis edoment. Deindè ita castigata in corpora edomandi rursùm gratiâ, transmittitur: undè ingentem in ignem ad finem usque mittitur.

N. 30. De Prophetis nostris ita disserit: impietatis sive improbitatis tenebrarum esse spiritum, qui ascendit ab initio; et ob id aberrantes nihil locuti sunt, quòd illorum princeps occæcatus animo fuerit. Quo-

rum qui sermonibus auscultat, in sempiternum perit, ad glebam illigatus, pro eo quòd Paracleti scientiam minimè didicit. Quin etiam solis Id Electis suis, qui non plures quàm septem fuerunt, hoc mandatum dedit: Ubi cibum sumpseritis, orate, et oleum multorum invocatione nominum consecratum in caput inspergite; ut hæc in vobis fides corroboretur. De quibus nominibus nihil est mihi significatum: soli enim illi septem his utuntur. Prætereà sacrum illud ac venerandum apud nos Sabaoth nomen, ipsam esse dicunt hominis naturam, cupiditatisque patrem. Quapropter.... cupiditatem adorant, et esse numen arbitrantur.

De Adami creatione ita sentit: eum qui ita locutus est: *Venite, faciamus hominem ad imaginem nostram et similitudinem*, (*Gen.* 1. 26.) sive ad eam quam vidimus formam, principem esse, qui reliquis principibus dixerit: adeste, date mihi ex illâ luce, quam accepimus, *et faciamus hominem* ad nostram, qui principes sumus, effigiem qualem aspeximus: qui quidem primus homo est: ita hominem fabricasse. Eàdem et Evam ratione condidisse, eique de suâ cupiditate ad Adamum decipiendum impertiisse. Ab iis igitur ex principiis opificio mundus iste fabricatus est.

N. 31. Ad hæc Deum nihil habere cum hoc mundo commune, nec eo delectari; quòd ipsum deprædati sint principes, ac molestiam exhibuerint. Propterea quotidiè per sidera ista, solem videlicet ac lunam, animam suam eripere, quibus ab sideribus mundus universus, ac quicquid est creatum diripitur. Eum qui cum Moyse, ac Judæis, et Sacerdotibus locutus est, tenebrarum fuisse principem existimat: ex quo efficitur Christianos cum Judæis ac Gentilibus unum et idem esse, utpotè qui eumdem Deum venerentur, qui pro suis illos cupiditatibus decipit, cùm nihil minùs sit quàm veritatis Deus. Quare qui ejusmodi Deo confidunt, qui cum Moyse, Prophetis locutus est, vinciendi cum illo sunt, quoniam veritatis in Deo minimè confidunt. Nam ille alter pro ipsorum, uti dixi, libidine cum eis locutus est. Post hæc omnia postremò, ut ille scripsit, ubi senex imaginem suam ostenderit, tunc bajulus terram extra se dimittit. indèque vehemens ignis erumpens mundum consumit universum. Deindè glebam novo cum æone mittit, ut omnes peccatorum animæ in æternum vinculis constrictæ teneantur. Quæ tùm accident cùm simulacrum advenerit. Quicquid verò propagatæ sobolis est; putà Jesus, qui minore navigio vehitur, et vitæ mater, et gubernatores 12. et lucis virgo, et tertius senex, qui in majore navigio residet, unà cum vivo spiritu, et ingentis ignis muro, ventique pariter muro, et aëris, aquæ, vivique et exterioris ignis, apud exiguum sidus habitant, donec incendium universum mundum absumat; id quod certo annorum spatio continget, quorum numerum nescio. Quibus perfectis naturæ duæ pristinum in statum restituendæ sunt, ac principes inferiora sedium suarum incolent, superiora pater occupabit, ac locum suum recipiet.

N. 32. Hæc ego ex Archelaï libro proponenda putavi.

S. Philastr. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. hæres. quæ sub Apost. exstiterunt*, *n.* 14. Manichæi post hos de Perside à Mane homine, sive Turbone ita dicto surrexerunt, fomenta de illis perniciosa sumentes prioribus, qui duos Deos, unum bonum et unum malum esse asserentes, et pugnam inter Deum et Dominum esse prædicantes, et hominis quidem animam de Deo esse propriè putantes, corpus autem à Diabolo factum arbitrantur. Resurrectionem negantes, judicium non sperantes, Dæmonia colentes, elementa adorantes, Deorum Dearumque nomina ut Pagani, invocantes, et masculos feminas quasdam esse dicentes, et utriusque naturæ participes, et nefandæ turpitudini servientes, qui ab Archelao sancto Episcopo in disputatione superati, abjecti atque notati, manifestati sunt universi illo in tempore, et ut latrones jam sub figurâ confessionis Christianæ multorum animas mendacio, ac pecudiarià turpitudine non desinunt captivare, qui et in Hispaniâ et quinque provinciis latere dicuntur, multosque hâc quotidiè fallacià captivare.

S. Aug. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum*, *n.* 46. Manichæi à quodam Persà exstiterunt, qui vocabatur Manes: quamvis et ipsum, cùm ejus insana doctrina cœpisset in Græciâ prædicari, Manichæum discipuli ejus appellare maluerunt, devitantes nomen insaniæ. Undè quidam

eorum quasi doctiores, et eo ipso mendaciores, geminatâ N litterâ, Manichæum vocant, quasi manna fundentem. Iste duo principia inter se diversa et adversa, eademque æterna et coæterna, hoc est, semper fuisse, composuit: duasque naturas atque substantias, boni scilicet et mali, sequens alios antiquos Hæreticos, opinatus est. Quarum inter se pugnam et commixtionem, et boni à malo purgationem, et boni, quod purgari non poterit, cum malo in æternum damnationem, secundùm, sua dogmata asseverantes, multa fabulantur, quæ cuncta intexere huic operi nimis longum est. Ex his autem suis fabulis vanis atque impiis coguntur dicere, animas bonas, quas censent ab animarum malarum naturæ scilicet contrariæ commixtione liberandas, ejus, cujus Deus est, esse naturæ. Proindè mundum à naturâ boni, hoc est, à naturâ Dei factum, confitentur quidem, sed de commixtione boni et mali, quæ facta est, quando inter se utraque natura pugnavit. Ipsam verò boni à malo purgationem ac liberationem, non solùm per totum mundum et de omnibus ejus elementis virtutes Dei facere dicunt, verùm etiam electos suos per alimenta quæ sumunt. Et eis quippè alimentis, sicut universo mundo, Dei substantiam perhibent esse commixtam: quam purgari putant in Electis suis eo genere vitæ, quo vivunt Electi Manichæorum, velut sanctius et excellentius Auditoribus suis. Nam his duabus professionibus, hoc est, Electorum et Auditorum, Ecclesiam suam constare voluerunt. In cæteris autem hominibus, etiam in ipsis Auditoribus suis, hanc partem bonæ divinæque substantiæ, quæ mixta et colligata in escis et potibus detinetur, maximèque in eis, qui generant filios, arctiùs et inquinatiùs colligari putant. Quidquid verò undique purgatur luminis, per quasdam naves, quas esse lunam et solem volunt, regno Dei tanquam propriis sedibus reddi. Quas itidem naves de substantiâ Dei purâ perhibent fabricatas. Lucemque istam corpoream animantium mortalium oculis adjacentem, non solùm in his navibus, ubi eam purissimam credunt, verùm etiam in aliis quibusque lucidis rebus, ubi secundùm ipsos tenetur admista, crediturque purganda, Dei dicunt esse naturam. Quinque enim elementa, quæ genuerunt principes proprios, genti tribuunt tenebrarum: eaque elementa his hominibus nuncupant, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum. In fumo nata animalia bipedia, undè homines ducere originem censent; in tenebris serpentia, in igne quadrupedia, in aquis natatilia, in vento volatilia. His quinque elementis malis debellandis alia quinque elementa de regno et substantiâ Dei missa esse, et in illâ pugnâ fuisse permixta, fumo aëra, tenebris lucem, igni malo ignem bonum, aquæ malæ aquam bonam, vento malo ventum bonum. Naves autem illas, id est, duo cœli luminaria, ita distinguunt, ut lunam dicant factam ex bonâ aquâ, solem verò ex igne bono. Esse autem in eis navibus sanctas virtutes, quæ se in masculos transfigurant, ut illiciant feminas gentis adversæ, et rursùs in feminas, ut illiciant masculos ejusdem gentis adversæ; et per hanc illecebram, commotâ eorum concupiscentiâ, fugiat de illis lumen, quod membris suis permixtum tenebant, et purgandum suscipiatur ab Angelis lucis, purgatumque illis navibus imponatur ad regna propria reportandum. Quâ occasione, vel potiùs exsecrabilis superstitionis quâdam necessitate, coguntur Electi eorum, velut Eucharistiam conspersam cum semine humano sumere, ut etiam indè, sicut de aliis cibis, quos accipiunt, substantia illa divina purgetur. Sed hoc se facere negant, et alios, nescio quos, sub nomine Manichæorum facere affirmant. Detecti sunt tamen in Ecclesiâ... apud Carthaginem.... quando, instante Urso Tribuno, qui tunc domui regiæ præfuit, aliqui adducti sunt: ubi puella nomine Margarita istam nefariam turpitudinem prodidit; quæ cùm esset annorum nondùm duodecim, propter hoc scelestum mysterium se dicebat esse vitiatam. Tunc Eusebiam quamdam Manichæam quasi sanctimonialem, idipsum propter hoc ipsum passam, vix compulit confiteri, cùm primò illa se asseruisset integram, atque ab obstetrice inspici postulasset: quæ inspecta, et quid esset inventa, totum illud turpissimum scelus, ubi ad excipiendum et commiscendum concumbentium semen farina substernitur, (quod Margaritâ indicante absens non audierat) similiter indicavit. Et recenti tempore nonnulli illorum reperti, et ad Ecclesiam

ducti, sicut Gesta Episcopalia, quæ nobis misistis, ostendunt, hoc non sacramentum, sed exsecramentum, sub diligenti interrogatione confessi sunt : quorum unus nomine Viator, eos qui ita faciunt propriè Catharistas vocari dicens, cùm alias ejusdem Manichææ sectæ partes in Mattarios et specialiter Manichæos distribui perhiberet, omnes tamen has tres formas ab uno auctore propagatas, et omnes generaliter Manichæos esse, negare non potuit. Et certè illi libri Manichæi sunt omnibus sine dubitatione communes, in quibus libris illa portenta ad illiciendos et per concupiscentiam dissolvendos utriusque sexûs principes tenebrarum, ut liberata fugiat ab eis, quæ captivata tenebatur in eis divina substantia, de masculorum in feminas et feminarum in masculos transfiguratione conscripta sunt, undè ista, quam quilibet eorum negant ad se pertinere, turpitudo defluxit. Divinas enim virtutes, quantùm possunt, imitari se putant, ut purgent Dei sui partem : quam profectò, sicut in omnibus corporibus et terrestribus, atque in omnium rerum seminibus, ita et in hominis semine teneri existimant inquinatam. Ac per hoc sequitur eos, ut sic eam etiam de semine humano, quemadmodùm de aliis seminibus quæ in alimentis sumunt, debeant manducando purgare. Undè etiam Catharistæ appellantur, quasi purgatores, tantâ eam purgantes diligentiâ, ut se nec ab hâc tam horrendâ cibi turpitudine abstineant. Nec vescuntur tamen carnibus, tanquam de mortuis vel occisis fugerit divina substantia, tantùmque ac tale indè remanserit, quod jam dignum non sit in Electorum ventre purgari. Nec ova saltem sumunt, quasi et ipsa cùm franguntur expirent, nec oporteat ullis mortuis corporibus vesci, et hoc solum vivat ex carne, quod farinâ ne moriatur excipitur. Sed nec alimoniâ lactis utuntur, quamvis de corpore animantis vivente mulgeatur sive sugatur : non quia putant divinæ substantiæ nihil ibi esse permixtum, sed quia sibi error ipse non constat. Nam et vinum non bibunt, dicentes fel esse principum tenebrarum ; cùm vescantur uvis : nec musti aliquid, vel recentissimi, sorbent. Animas Auditorum suorum in Electos revolvi arbitrantur, aut feliciore compendio in escas Electorum suorum, ut jam indè purgatæ in nulla corpora revertantur. Cæteras autem animas et in pecora redire putant, et in omnia quæ radicibus fixa sunt atque aluntur in terrâ. Herbas enim atque arbores sic putant vivere, ut vitam quæ illis inest, et sentire credant, et dolere, cùm læduntur : nec aliquid indè sine cruciatu eorum quemquam posse vellere aut carpere. Propter quod agrum etiam spinis purgare, nefas habent. Undè agriculturam, quæ omnium artium est innocentissima, tanquam plurium homicidiorum ream dementer accusant : suisque Auditoribus ideò hæc arbitrantur ignosci, quia præbent indè alimenta Electis suis ; ut divina illa substantia in eorum ventre purgata, impetret eis veniam, quorum traditur oblatione purganda. Itaque ipsi Electi, nihil in agris operantes, nec poma carpentes, nec saltem folia ulla vellentes, exspectant hæc afferri usibus suis ab Auditoribus suis, viventes de tot ac tantis, secundùm suam vanitatem, homicidiis alienis. Monent etiam eosdem Auditores suos, ut si vescuntur carnibus, animalia non occidant, ne offendant principes tenebrarum in cœlestibus colligatos, à quibus omnem carnem dicunt originem ducere : et si utuntur conjugibus, conceptum tamen generationemque devitent, ne divina substantia, quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole. Sic quippè in omnem carnem, id est, per escas et potus venire animas credunt. Undè nuptias sine dubitatione condemnant, et quantùm in ipsis est, prohibent, quando generare prohibent, propter quod conjugia copulanda sunt. Adam et Evam ex parentibus principibus fumi asserunt natos : cùm pater eorum nomine Saclas sociorum suorum fetus omnium devorasset, et quidquid indè commixtum divinæ substantiæ ceperat, cum uxore concumbens in carne prolis, tanquam tenacissimo vinculo colligasset. Christum autem fuisse affirmant, quem dicit nostra Scriptura serpentem, à quo illuminatos asserunt, ut cognitionis oculos aperirent, et bonum malumque dignoscerent : eumque Christum novissimis temporibus venisse ad animas, non ad corpora liberanda. Nec fuisse in carne verâ, sed simulatam speciem carnis ludificandis huma-

tinus. Eorum mores et dogmata apprimè noverat sanctus doctor; siquidem fuit et ipse eorum erroribus irretitus ante baptismum suum, sed cognitam demùm eorum impietatem et insaniam ejuravit, et nemo hanc hæresim confutavit deinceps luculentiùs, et majori successu. (II) Confutaverant illam ante sanctum Augustinum et plures ex sanctis Patribus. Hanc hæresim et prædixerat et prædamnaverat

nis sensibus præbuisse, ubi non solùm mortem, verùm etiam resurrectionem similiter mentiretur. Deum, qui Legem per Moysen dedit, et in Hebræis Prophetis locutus est, non esse verum Deum, sed unum ex principibus tenebrarum. Ipsiusque Testamenti novi Scripturas, tanquam infalsatas ita legunt, ut quod volunt indè accipiant, quod nolunt rejiciant, eisque, tanquam totum verum habentes, nonnullas apocryphas anteponant. Promissionem Domini Jesu Christi de paracleto Spiritu sancto in suo hæresiarchâ Manichæo dicunt esse completam. Undè se in suis litteris, Jesu Christi Apostolum dicit, eo quòd Jesus Christus se missurum esse promiserit atque in illo miserit Spiritum sanctum. Propter quod etiam ipse Manichæus duodecim discipulos habuit, ad instar apostolici numeri, quem numerum Manichæi hodièque custodiunt. Nam ex Electis suis habent duodecim, quos appellant magistros, et tertium decimum principem ipsorum: Episcopos autem septuaginta duos, qui ordinantur à magistris; et Presbyteros qui ordinantur ab Episcopis. Habent etiam Episcopi Diaconos. Jam cæteri tantummodò Electi vocantur: sed mittuntur etiam ipsi, qui videntur idonei, ad hunc errorem vel ubi est sustentandum et augendum, vel ubi non est etiam seminandum. Baptismum in aquâ nihil cuiquam perhibent salutis afferre: nec quemquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant. Orationes faciunt ad solem per diem, quaquàversum circuit: ad lunam per noctem si apparet; si autem non apparet, ad Aquiloniam partem, quà sol cùm occiderit ad Orientem revertitur, stant orantes. Peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis, sed substantiæ tribuunt gentis adversæ: quam dogmatizantes esse hominibus mixtam, omnem carnem non Dei, sed malæ mentis perhibent esse opificium, quæ à contrario principio Deo coæterna est. Carnalem concupiscentiam, quâ caro concupiscit adversùs spiritum, non ex vitiatâ in primo homine naturâ nobis inesse infirmitatem; sed substantiam volunt esse contrariam, sic nobis adhærentem, ut quando liberamur atque purgamur, separetur à nobis, et in suâ naturâ etiam ipsa immortaliter vivat: easque duas animas, vel duas mentes, unam bonam, alteram malam, in uno homine inter se habere conflictum, quando caro concupiscit adversùs spiritum, et spiritus adversùs carnem. Nec in nobis sanatum hoc vitium, sicuti nos dicimus, nunquam futurum: sed à nobis sejunctam atque seclusam substantiam istam mali, et finito isto seculo post conflagrationem mundi in globo quodam, tanquam in carcere sempiterno, esse victuram. Cui globo affirmant accessurum semper et adhæsurum quasi coopertorium atque tectorium ex animabus, naturâ quidem bonis, sed tamen quæ non potuerint à naturæ malæ contagione mundari.

Hæc prolixiora ideò exscripsi quòd multi hodièque exstent Manichæi aut Manichæorum dogmatum fautores, quorum proindè vanitatem in propatulo exponere supervacaneum non putavi.

Legendus THEODORET. Hæret. fabul. *Lib.* 1. *num.* 26. *et ult. ubi* de Manete *fusiùs agit, ac* SS. EPIPHANII *atque* AUGUSTINI *relationem suo testimonio confirmat. Cùm verò his, quæ ab eis dicta sunt, nihil addiderit novi, hìc non duxi describendum.*

(II) *Quæ scripsit* S. AUGUSTINUS adversùs Manichæos *in tomo I. Operum S. Doctoris à RR. PP. Benedictinis simul congesta sunt. Hosce etiam Hæreticos in multis tam Epistolis quàm concionibus ad populum, quæ tomo secundo et sequentibus leguntur, confutavit: quæ omnia legere debet, quicunque cum novis Manichæis congredi voluerit.*

Apostolus his verbis, ad Timotheum scribens : (1. *Epist.* IV. 1.) *Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem, quia* OMNIS CREATURA DEI BONA EST, *et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur : sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.* Manichæos etiam proscripsit S. Leo summus Pontifex, implorato auxilio Valentiniani Imperatoris. (l)

ORIGENISTARUM secta sic dicta ab ORIGENE, viro, quo non fuit unquam alius toto terrarum orbe celebrior, sive eruditionem spectes, sive Scripturarum intelligentiam, sive discipulorum præstantiam, sive sanctitatis famam et celebritatem. Nam et sub persecutione Decii multa pro Christo fuerat perpessus, et patrem habuit Martyrem Leonidam. De eo plura lege apud Vincentium Lirinensem, in Commonitorio. Origenes tamen in plures errores eosque gravissimos lapsus fuisse fertur, undè de eo hoc celebre effatum, *ubi benè nemo melius, ubi malè nemo pejus.* Præcipui errores, qui vel Origeni vel ejus Discipulis objecti fuêre, ii sunt. Animam Christi fuisse Verbo unitam ante incarnationem ; animas hominum ante corpora creatas

(l) S. LEO MAGN. *Serm.* 15. *de Jejunio* 10. *Mensis* 5. *cap.* 4. Sed cùm in cunctis perversitatibus multiformem teneat (*Diabolus*) principatum, arcem tamen sibi in Manichæorum struxit insaniâ, et latissimam in eis aulam, in quâ se exultantiùs jactaret, invenit ; ubi non unius pravitatis speciem, sed omnium simul errorum impietatumque mixturam generaliter possideret. Quod enim in paganis profanum, quod in Judæis carnalibus cæcum, quod in secretis magicæ artis illicitum, quod denique in omnibus hæresibus sacrilegum atque blasphemum est, hoc in istos, quasi in sentinam quamdam cum omnium sordium concretione confluxit. Undè universas eorum impietates ac turpitudines enarrare perlongum est. Superat enim verborum copiam criminum multitudo.... De sacris tamen eorum, quæ apud illos tam obscœna sunt, quàm nefanda, quod inquisitioni nostræ Dominus manifestavit, non tacemus, nec quisquam putet nos de hâc re dubiæ famæ et incertis opinionibus credidisse. Residentibus itaque mecum Episcopis ac Presbyteris, ac in eumdem consessum Christianis viris ac nobilibus congregatis, Electos et Electas eorum jussimus præsentari. Qui cùm de perversitate dogmatis sui, et de festivitatum suarum consuetudine multa reserarent ; illud quoque scelus, quod eloqui verecundum est, prodiderunt, quod tantâ diligentiâ investigatum est, ut nihil minùs credulis, nihil obtrectatoribus relinqueretur ambiguum. Aderant enim omnes personæ, per quas infandum facinus fuerat perpetratum, puella scilicet ut multum decennis, et duæ mulieres, quæ ipsam nutrierant, et huic sceleri præparârant. Præstò erant etiam adolescentulus vitiator puellæ, et Episcopus ipsorum detestandi criminis ordinator. Omnium par fuit horum et una confessio, et patefactum est exsecratum, quod aures nostræ vix ferre potuerunt.... Quibus plenissimè docetur nullam in hâc sectâ pudicitiam, nullam honestatem, nullam penitùs reperiri castitatem : in quâ lex est mendacium, diabolus religio, sacrificium turpitudo.

fuisse, et fuisse immissas in corpora, velut in carceres supplicii causâ, propter vetera peccata : Christum mortuum fuisse non solùm pro hominibus, sed etiam pro dæmonibus à supplicio liberandis, adeòque pœnas inferni non fore æternas. Circa gratiæ divinæ necessitatem et peccatum originale fertur et Pelagianis præivisse Origenes. (K)

(K) *Qui Origenis historiam omnem, exantlatosque ab eo pro fide labores vult pernoscere, adeat* EUSEBII Historiam Ecclesiasticam : *librum sextum ferè integrum pervolvat et lib.* 7. *cap.* 1. *quæ quidem nihil ad rem nostram faciunt, cùm hic tantùm Origenem in quantum à veritate deviavit consideremus.*

S. EPIPHAN. *Adversùs Origenianos Hæres.* 63. *n.* 1. Nuptias repudiant : neque tamen obscœnis libidinibus modum ullum adhibent : adeòque omni genere spurcitiæ et corpus suum et mentem animamque contaminant. Quidam enim ex eis monasticam vitam specie ipsâ profitentur, ilidemque mulieres idem vitæ institutum præferunt ; qui omnes corruptis sunt corporibus : adeò ut cùm libidinem ipsi suam expleant, facinus, ut honestiùs dicam, illud perpetrent, quod Judæ filius Onas admisisse legitur.... Imò verò profluvium illud suum in solo pedibus exterunt ; ne surreptum ab impuris spiritibus, ad ullam fœtûs procreationem possit excipi.

N. 2.... Tam veteris quàm novi Testamenti libros adhibent ; necnon et apocryphos quosdam, velut Andreæ, et aliorum actus. *Hi fuisse videntur ignoti cujusdam Origenis discipuli. De his ipsis Epiphanii verbis loquitur* S. AUG. *de Hæres. ad Quodvultdeum, n.* 42.

Adversùs Origenem, Hæres. 64. *n.* 1. Origenes cognomento Adamantius sequitur. Natus hic Leonidâ patre, beatissimo sanctissimoque Martyre. Sed et ille primis ætatis suæ annis multa in persecutione mala sustinuit. Atque ubi virilem ad ætatem pervenit, Græcis litteris apprimè excultus, atque in Ecclesiæ gremio nutritus, Decio Imperatore Alexandriæ claruit. Genere quippè Ægyptius, Alexandriæ domicilium educationemque nactus est. Ac nescio an Athenis quoque scholas aliquandiù frequentarit. Sed pro Christianâ religione, ac fide, Christique nomine quàmplurima perpessus esse dicitur. Nam et in urbe tractus sæpiùs, et conviciis affectus, et immanissimis quæstionibus, tormentisque subjectus est. Inter cætera adrasum illum aliquando Græci pro templi Serapidis (quod illorum idolum est,) gradibus collocantes palmarum surculos in eos distribuere jusserunt, qui ad exsecrandos ritus obeundos, venerandumque simulacrorum adibant. Hic enim simulacrorum apud illos Sacerdotibus est habitus. At Origenes ramis illis acceptis magnâ voce constanstique animo, sine ullo metu, ac dubitatione ita vociferatus est : Adeste, capite non simulacrorum templi, sed Christi surculum.

N. 2. Sed in ejusmodi præmii possessione perpetuò non permansit. Etenim ob eximiam sanctitatem, et eruditionem, in summam est invidiam adductus : eaque res Magistratus ac præfectos majorem in modum acuit. Tùm illud verò diaboli callidilate improbitatis artifices commenti sunt, ut ad turpitudinis necessitatem hominem adigerent, atque ejusmodi pœnam statuerent, ut ad illius corporis stuprum inferendum Æthiopem compararent. Adhæc Origenes fraudulentum illud diaboli consilium non sustinens, vocem illam edidit, quâ, duobus illis propositis, sacrificare maluit. Quanquam non omninò sponte illud sua præstitisse vulgò dicitur ; sed ubi semel hoc se esse facturum assensus est, thus in manum illius impositum in subjectum aræ focum excussisse gentiles asserunt. Hoc modo et à martyrii gloriâ Confessorum Martyrumque, qui illis temporibus erant, judicio excidit, et ab Ecclesiâ dejectus est. Accidit hoc Alexandriæ ; ubi cùm exprobrantium ludibria ferre non posset, illinc abiit, et in Palestinâ, sive Judæâ domicilium constituit. Fortè contigit ut Hierosolymam profectus, ut erat sacrarum litterarum egregius, et eruditissimus Interpres, ab Sacerdotum collegio (nam et ipse priusquàm sacrificaret ad sacerdotii gradum pervenisse dicitur ;) ad verba in Ecclesiâ facienda sollicitaretur. Cùmque ab iis, uti dixit, qui tunc sacerdo-

Non defuêre Theologi et veteres et recentiores qui Origenem ab illis erroribus aliisque vindicaverint, asserentes his erroribus post ejus mortem infecta fuisse scripta Origenis in Ecclesiâ dignitatem obtinebant, vi propemodùm ad id agendum impelleretur, ille in pedes consurgens, reliquis versibus prætermissis, postquàm hunc unum è psalmo quadragesimo nono locum attulisset, *Peccatori autem dixit Deus : quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ?* complicatum librum reddidit, flensque et lacrymans resedit, flentibus cum eo qui aderant universis.

V. 3. Posthæc, multis hortantibus, imò cogentibus, Ambrosii cujusdam viri inter Palatinos primarii familiaritate usus (quem nonnulli Marcionistam, alii Sabellianum fuisse memorant) huic ipsi, ut hæresim ejuraret ac damnaret, atque Ecclesiæ Catholicæ fidem amplecteretur, auctor exstitit. Ambrosius verò, cùm hæresi magnoperè implicatus hactenùs fuisset, et eruditus alioqui ac divinarum litterarum imprimis studiosus esset, propter sententiarum, quæ iisdem sacris codicibus continentur, profunditatem, ab Origine postulavit, ut ea sibi interpretatione suâ patefaceret. Qui ut hortanti Ambrosio, pro eo atque illi congruebat, satisfaceret, universam Scripturam interpretatione suâ, et expositione declarare instituit. Proindèque in urbe Tyro, quæ Phœniciæ est, viginti octo annos excellenti quàdam vitæ ratione in otio, ac commentandi labore transegit. Cùm et Ambrosius, quæ ad alendum ipsum unà cum librariis, ac cæteris administris necessaria erant, necnon et charlam, ac reliquos sumptus benignè suppeditaret : et Origenes magnis vigiliis, ingentique otio hunc enarrandæ Scripturæ laborem prosequeretur : primum ei studium fuit sex in unum interpretationes conferre, Aquilæ, Symmachi, septuaginta duorum, Theodotionis, unà cum editione quintà ac sextà ; quibus singulas Hebraïcas dictiones propriis elementis perscriptas addidit : tùm ex adverso alterà in paginâ contextum alterum fecit ex Hebraïcis dictionibus Græcis litteris exaratis. Hunc in modum volumina illa, quæ Hexapla dicuntur, composuit : quæ præter Græcas editiones duas insuper Hebraïci sermonis columnas continent, alteram Hebraïcis ipsis, alteram Græcis elementis conscriptam : adeò ut vetus omne Testamentum tam Hexaplis ejusmodi, quàm duplici Hebraïcorum vocabulorum contextu comprehensum fuerit. Cùm hoc totum opus summo ille cum labore, studioque perfecisset, non perpetuò nominis sui, ac gloriæ integritatem retinuit ; sed tanta doctrinæ vis ac copia ruinæ illi ac calamitatis occasionem dedit. Nam cùm, ut sibi proposuerat, nullam sacrarum litterarum partem, quam non explicaret, omittere vellet, in ingens se peccatum commisit, ac mortiferas quasdam voces exposuit. Undè Origenistarum secta profluxit, non superiorum illorum, qui insigni turpidine sunt. De illis enim, ut antè dixi, certè nihil affirmare possum ; utrum ab Adamantio Origene, an ab aliquo alio, qui et Origenes ipse diceretur, initium acceperint. Cæterùm eumdem illum Origenem narrant quidam in corpusculum excogitasse suum ; sive nervum sibi, ut quidam existimant, inciderit, quo se illecebrarum molestiâ liberaret, neque turpibus corporis motibus velut incendio quodam æstuaret : sive quod alii malunt, medicamento aliquo partibus illis imposito resiccârit. Sunt qui alia quædam illi tribuant, veluti quòd ad juvandam memoriam medicatam quamdam herbam repererit...

V. 4. Quod ad hæresim illam attinet, cujus auctor fuit, ea primùm in Ægypto propagata, hodiè inter præcipuos, atque eos maximè viget, qui monasticum vitæ genus specie ipsâ profitentur... Principio eò temeritatis progressus est, ut asserat unigenitum Filium Patrem videre non posse, neque Spiritum Filium, neque Angelos Spiritum, neque homines Angelos. Atque hic primus illius lapsus fuit. Ita enim ex Patris substantiâ Filium esse censet, ut nihilominùs creatus fuerit. Quem quidem solâ id gratiâ consecutum existimat, ut Filius diceretur. Sed aliis longè gravioribus erroribus implicatus est. Nam animam hominis ante corpus exstitisse putat, et easdem Angelos esse, virtutesque superiores, quæ quòd peccata contraxerint, supplicii causâ in hoc corpus inclusæ sunt ; proindeque ad pœnas subeundas à Deo relegari, ut hic judicii prioris damna-

nis ab ejus discipulis vel ab aliis hæreticis, ut suis dogmatibus ex tanti viri nomine majorem auctoritatem compararent. (L) Origenistarum errores confutârunt maximè S. Hieronymus et S. Epiphanius : et prosc ripsit sæpiùs Ecclesia multis in Conciliis tam Occidentis quàm Orientis, sive particularibus sive œcumenicis, præsertim in Concilio quinto œcumenico sub Vigilio summo Pontifice et Justiniano Imperatore Constantinopoli habito anno 533.

Seculum Quartum.

Sectæ complures Hæreticorum quarto seculo prodiêre. Imprimis Donatistæ, Ariani, Macedoniani, Anomœi, Aëriani, Photiniani, Messaliani, Luciferiani, Apollinaristæ, Priscillianistæ, Jovinianistæ, Collyridiani, etc.

Donatistæ fuêre primùm schismatici, deindè hæretici. Schismatis auctor fuit Donatus à Casis-nigris Episcopus in Africâ, qui Majorinum Carthaginensem Episcopum ausu temerario ordinavit, vivente Cæciliano Episcopo legitimo, qui mortuo Mensurio Carthaginensi Episcopo ritè et canonicè successerat. Hæc autem fuit occasio Schismatis, quòd

tionem sustineant. Quam ob causam, ait, et corpus σῶμα appellari, quòd corpori illigata sit anima... Quod à Propheta (*Ps.* cxviii. 67.) dictum est *priusquàm humiliarer, ego deliqui*, verba esse animæ ipsius affirmat ; cùm in cœlo anteà deliquisset, quàm ad hoc corpus abjiceretur... Mortuorum resurrectionem mancam ac defectam asserit. Quam quidem partim verbis affirmat, partim funditùs tollit. Aliàs verò partem duntaxat hominis excitari putat.

N. 33... Cùm ita dixisset, Dominum Sadducæis tentantibus respondisse : *Qui compotes resurrectionis essent, Angelorum instar futuros :* (*Matth.* xxii. 30.) post ita subjunxit : Angeli porrò carnis expertes in summâ felicitate degunt ac gloriâ : quare et nos, quos æquari Angelis oportet, necesse est ad eumdem modum carne nudari.

S. Aug. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, n.* 42. Alios autem Origenianos continuò subjiciens (*Epiphanius :*)

N. 43. *Origeniani*, inquit, *alii, qui et Adamantii tractatoris, qui et mortuorum resurrectionem repellunt : Christum autem creaturam et Spiritum sanctum introducentes : Paradisum autem et cœlos et alia omnia allegorizantes.* Hæc quidem de Origene Epiphanius : sed qui eum defendant, unius ejusdemque substantiæ esse, dicunt, docuisse, Patrem et Filium et Spiritum sanctum : neque resurrectionem repulisse mortuorum : quamvis et in istis eum convincere studeant, qui ejus plura legerunt. Sed sunt hujus Origenis alia dogmata, quæ Catholica Ecclesia omnino non recipit ; in quibus nec ipsum falsò arguit, nec potest ab ejus defensoribus falli : maxime de purgatione et liberatione, ac rursùs post longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis universæ creaturæ. Quis enim Catholicus Christianus, vel doctus vel indoctus non vehementer exhorreat, eam quam dicit purgationem malorum, id est, etiam eos qui hanc vitam in flagitiis et facinoribus et sacrilegiis atque impietatibus quamlibet maximis finierunt, ipsum etiam postremò diabolum atque Angelos ejus, quamvis post longissima tempora, purgatos atque liberatos regno Dei lucique restitui, et rursùs post longissima tempora omnes, qui liberati sunt, ad hæc mala denuò relabi et reverti ; et has vices alternantes beatitudinum et miseriarum rationalis creaturæ semper fuisse, semper fore ?

(L) *Qui hanc quæstionem penitùs scrutari volent, adeant Domini* Le Nain de Tillemont Comm. in Hist. Eccles. Natalis Alexandri Dissertat. in Hist. Ecclesiast. *Illustrissimi* Huetii *Abrincensis Episc.* in opera Origenis præfat. *Patris* Halloix *è Societate Jesu librum, quem inscripsit* Origenes defensus, *et aliorum Auctorum ad de re dissertationes.*

vivente Mensurio, Cæcilianus tunc Archidiaconus Carthaginensis Lucillam feminam genere et divitiis conspicuam redarguit, eò quòd ipsa ante sacro-sanctam Corporis Christi communionem superstitiosis osculis veneraretur reliquias, nescio cujus Martyris, nondùm ab Ecclesiâ vindicati. Correpta Lucilla cum confusione discessit, meditans animo ultionem. Nec diù dilata occasio est : Cùm enim Cæcilianus in Mensurii mortui locum fuisset ordinatus Carthaginis Episcopus, junxit se femina præpotens et factiosa Botro et Cælestio, qui cathedram Episcopalem ambierant, et spe dejecti à Cæciliani communione recesserant, item senioribus Ecclesiæ, qui acceptum à Mensurio depositum ornamentorum et vasorum Ecclesiæ reddere Cæciliano coacti fuerant, ob idque subduxerant quoque se ab ejus communione. *Sic tribus convenientibus causis et personis factum est*, inquit S. Optatus, (*Lib.* 1. *n.* 18 *et* 19.) *ut malignitas haberet effectum* (ordinatione schismaticâ Majorini.) *Schisma igitur confusæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit.* Mortuo Majorino, schismatici suffecerunt in ejus locum *Donatum* alterum, à quo nomen Donatistarum, qui dudùm Ecclesiam et dirè vexâ-runt. (A)

Accessit deindè non multò post hæresis ad schisma. Hi præcipui fuêre Donatistarum errores. Sacramenta extra Ecclesiam collata nulla omninò esse. Omnes Hæreticos esse denuò Baptizandos, Ecclesiam toto terrarum orbe periisse, et intra suam sectam coarctari. Idcircò novos Episcopos et Presbyteros ordinaverunt per totam Africam quàcunque eorum Schisma sese extenderet, in locum Catholicorum, quos illegitimè ordinatos et jure ministerii excidisse jactitabant. Si quas fortè Donatistæ per vim occuparent Catholicorum Ecclesias, in iis exercebant omne sævitiæ et flagitii et sacrilegii genus. « Sacro-sanc-» tam Eucharistiam polluebant, et cùm eam projecissent » canibus, accidit, ut illi dominos suos tanquam sancti » Corporis reos dente vindice laniarent, » inquit S. Optatus. (*Lib.* 2. *n.* 19.) Sacrum oleum pedibus conculcabant; et cùm ampullam chrismatis per fenestram jactassent, ut frangeretur; *projecta casum sentire non potuit*, ait idem scriptor (*Ibid.*); et *Deo muniente, illæsa inter saxa consedit.* Altaria *sedem*, ut inquit Optatus (*Lib.* 6. *n.* 1.) *Corporis et Sanguinis Christi*, aut radebant aut frangebant aut removebant : vasa sacra *Calices Christi Sanguinis portitores* frangebant. Virgines Deo sacras pœnitentiæ subjiciebant, et ad emittenda denuò castitatis vota adigebant, quasi irrita fuis-

(A) *Lege novam* S. Optati *editionem à* D. Ellies du Pin *Doctore Sorbonico adornatam, et tomum nonum Operum* S. Augustini *editionis RR. PP. Benedictinorum in quo omnia S. Doctoris adversùs Donatistas opera continentur, si Epistolas aliquot nonnullasque conciones exceperis, quæ tomo* 2, 3, 4 *et* 5. *ejusdem editionis habentur.*

sent vota priora, quæ in Catholicâ Ecclesiâ emiserant. Sævitiam et immanitatem in Catholicos mille modis exercebant. Scissi sunt in factiones duas inter se infensissimas, adversùs Ecclesiam unam concordibus armis pugnantes ; quod et omnibus Hæreticis usu venire et advertit jampridem Tertullianus (B), et seculorum omnium experientia docuit. (C)

(B) TERTULLIAN. *de Præscript. adv. Hæret. cap.* 41. *Vide suprà* §. 7. *litt.* (K) *hocce capite.*

(C) S. EPIPHANIUS, *Hæres.* 59. *de Novatianis c.* 1. *n.* 18. Qui in Africâ, et Bizacenâ degunt, et à Donato quodam Donatiani vocantur, eadem cum prioribus illis sentientes, eamdemque ob causam, quòd videlicet cum his, qui in persecutione ipsi erant, nihil habere commune vellent, rebellantes; eâdem ratione disjiciuntur, quâ et Novatiani, sive Cathari, qui commune cum illis jugum trahunt.

S. PHILASTR. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. hæres. quæ sub Apost. exstiterunt*, *n.* 35. Montanistæ sunt, qui rebaptizant, si quos seduxerint, homines : et supra baptismum Ecclesiæ Catholicæ aliud suum baptisma insanientes promittunt, qui et Donatiani dicuntur, à quodam Donato in Africâ constituto, qui hanc hæresim seminavit, qui et Parmeniani nunc appellantur à Parmeniano quodam, qui eorum nuper successit erroribus atque falsitati.

N. 37. In Africâ sunt qui Circuitores dicuntur ; hi circumeunt terras, et quos inveniunt in viâ, cogunt eos ut interficiantur ab illis : dicentes se desiderare pati martyrium, et sub causâ hâc multi latrocinantur interdùm. Quidam autem ex iis velut biothanati moriuntur, sese dantes ad præcipitium, diversumque subeunt calamitatis interitum : qui cùm sine causâ perire ita properant, honestæ mortis sustinent detrimenta, et judicio Dei futurp se potiùs implicant quàm solvunt.

S. AUG. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum*, *n.* 69. Donatiani vel Donatistæ sunt, qui primùm propter ordinatum contra suam voluntatem Cæcilianum Ecclesiæ Carthaginensis Episcopum, schisma fecerunt : objicientes ei crimina non probata, et maximè quòd à traditoribus divinarum Scripturarum fuerit ordinatus. Sed post causam cum eo dictam atque finitam falsitatis rei deprehensi, pertinaci dissensione firmatâ, in hæresim schisma verterunt : tanquam Ecclesia Christi propter crimina Cæciliani, seu vera, seu quod magis judicibus apparuit, falsa, de toto terrarum orbe perierit, ubi futura promissa est, atque in Africanâ Donati parte remanserit, in aliis terrarum partibus quasi contagione communionis exstincta. Audent etiam rebaptizare Catholicos : ubi se ampliùs hæreticos esse firmârunt, cùm Ecclesiæ Catholicæ universæ placuerit, nec in ipsis Hæreticis baptisma commune rescindere. Hujus hæresis principem accipimus fuisse Donatum, qui de Numidiâ veniens, et contra Cæcilianum Christianam dividens plebem, adjunctis sibi ejusdem factionis Episcopis, Majorinum apud Carthaginem ordinavit Episcopum. Cui Majorino Donatus alius in eâdem divisione successit, qui eloquentiâ suâ sic confirmavit hanc hæresim, ut multi existiment propter ipsum potiùs eos Donatistas vocari. Exstant scripta ejus, ubi apparet eum etiam non Catholicum de Trinitate habuisse sententiam, sed quamvis ejusdem substantiæ minorem tamen Patre Filium, et minorem Filio putasse Spiritum sanctum. Verùm in hunc, quem de Trinitate habuit, ejus errorem Donatistarum multitudo intenta non fuit ; nec facilè in eis quisquam, qui hoc illum sensisse noverit, invenitur. Isti Hæretici in urbe Româ Montenses vocantur, quibus hinc ex Africâ solent Episcopum mittere : aut hinc illuc Afri Episcopi eorum pergere, si forte ibi eum ordinare placuisset. Ad hanc hæresim in Africâ et illi pertinent, qui appellantur Circumcelliones, genus hominum agreste et famosissimæ audaciæ, non solùm in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi eadem insanâ feritate parcendo. Nam per mortes varias maximèque præcipitiorum et aquarum et ignium se ipsos necare consuêrunt ; et in istum furorem alios quos potuerint sexûs utriusque seducere, aliquando ut occidantur

Damnati sunt Donatistæ in Concilio Romano anno 313. et Concilio Arelatensi primo anno 314. Permanserunt tamen in Hæresi et Schismate ad seculum sequens. Pluribus adversùs eos edictis sævierunt Imperatores Christiani. Honorius verò, ut eos ad Ecclesiæ unitatem reduceret, indixit collationem Episcoporum Catholicorum cum Donatistis. Habita est Carthagine collatio anno 411. Interfuerunt collationi Episcopi Catholici 286. Donatistæ autem 159. Hi à Catholicis plenè confutati sunt, præsertimque à sancto Augustino, cui præcipuum disputationis honorem sui Collegæ detulerunt. Tunc enituit Episcopalis charitatis et humilitatis insigne documentum. Omnes enim Catholici Episcopi uno ore significârunt Donatistis pseudo-Episcopis, paratos esse se vocare eos in consortium Episcopatûs, imò et in eorum gratiam Episcopatu cedere, modò isti Hæresim et Schisma sincerè ejurarent, et ad Catholicam fidem et unitatem ultrò reverterentur. (D) Sed repu-

ab aliis, mortem nisi fecerint comminantes. Verumtamen plerisque Donatistarum displicent tales, nec eorum communione contaminari se putant, qui Christiano orbi terrarum dementer objiciunt ignotorum crimen Afrorum. Multa et inter ipsos facta sunt schismata, et ab iis se diversis cœtibus alii atque alii separârunt, quorum separationem cætera grandis multitudo non sens't.

THEODORET. *Hæret fabul. lib.* 4. *n.* 6. In eâ autem, quæ Libya olim, nunc Africa vocatur, Donatistarum, quos vocant amentiam communis hostis excitavit. Hi quod ad hæresim attinet cum Ario sentiunt, sed novum insaniæ genus excogitaverunt. Violentam enim mortem martyrium vocant. Et qui appellationem hanc consequi cupiunt, id longo antè tempore fidei suæ sociis significant. Illi verò omni eos curâ prosequuntur, et omne ciborum genus afferunt, ac velut victimas quasdam præpascunt et pinguefaciunt. Postquàm autem in his deliciis diutiùs versati fuerint, cogunt per vias, quos offenderint, lethalia ipsis gladio vulnera inferre. Et nonnulli quidem optatis potiuntur, alii verò frustrantur. Quis enim sanæ mentis manifestæ cædis crimen in se suscipiat? Seipsos ergo Corybantum instar furentes ex alto deorsùm præcipitant. Ego verò inter Arianicas narrationes festivum quiddam, quod in his evenit, referre institui. Nam cùm ex his permulti, phasianorum instar adipati, in strenuum quemdam juvenem incidissent, et nudo ense porrecto, ut eis vulnera infligeret, juberent, jugulaturosque minarentur, nisi faceret quod jubebatur; ille vereri se dixit, ne aliquot interemptis, pœnitentiâ ducti reliqui cædis pœnas ab eo exigerent. Oportere itaque ligari priùs unumquemque, ac ensem posteà adigere. Cùmque paruissent illi, et vincula admisissent, virgis omnes cæcidit, et vinctos relinquens abiit.

(D) S. AUG. *in Brevic. Collation. cum Donat. in Col.at.* 1. *diei*, *cap.* 5. Quinto loco recitatæ sunt litteræ Catholicorum.... In eis.... se obstrinxerunt, et polliciti sunt, quòd si in parte Donati veritas eis demonstraretur Ecclesiæ, non se illic episcopalem honorem quæsituros, sed consilium eorum secuturos pro salute Christianâ: si autem in suâ communione potiùs veritas ostenderetur Ecclesiæ, honores episcopales eis non se negaturos: et hoc à se fieri bono pacis, ut intelligerent hi, quibus hoc præstaretur, quòd in eis Catholici non Christianam consecrationem, sed humanum detestarentur errorem. Quòd si plebes duos in unâ Ecclesiâ Episcopos ferre non possent, utrisque de medio recedentibus, singuli constituerentur Episcopi, ab eis Episcopis ordinandi, qui in suis plebibus singuli invenirentur.

Ex Epist. Episc. Cathol. Africæ ad Marcellinum in lib. S. AUG. *De gestis cum Emer. Donat. n.* 5. Illo etiam, veritate confisi, nos vinculo conditionis obstringimus, ut si nobis hi, cum quibus agimus, demonstrare

diata conditio est à Donatistis, et omnes ferè in obstinatione permanserunt. Veruntamen eorum secta post collationem maximè imminuta est; Donatistis ob reportatum

potuerint, cùm secundùm Dei promissa populi Christiani usquequàque crescendo jam magnam partem orbis implevissent, et in cæteram dilatarentur implendam, subitò Ecclesiam Christi nescio quorum, quos isti accusant, peccatorum perisse contagione, et in solà remansisse parte Donati: si hoc, ut dictum est, demonstrare potuerint, nullos apud eos honores Episcopatûs requiremus, sed eorum sequemur pro solà æternà salute consilium, quibus tanti gratiam beneficii pro cognità veritate debebimus. Si autem nos potiùs voluerimus ostendere Ecclesiam Christi omnium, non solùm Africanarum, verùm etiam transmarinarum provinciarum, multarumque gentium spatia feracissimà populorum copià jam tenentem, et sicut scriptum est, toto mundo fructificantem atque crescentem, nullorum hominum sibi commixtorum peccatis perire potuisse: si denique ipsorum, quos tunc accusare voluerunt potiùs, quàm convincere valuerunt, quæstionem definitam, quamvis non in eis Ecclesiæ causa consistat, et Cæcilianum innocentem, illos autem violentos et calumniosos esse judicatos ab eo Imperatore, ad cujus examen criminationes suas ultrò accusando miserunt: postremò si quidquid de peccatis quorumlibet hominum dixerint, vel humanis documentis, vel divinis probaverimus, aut eorum innocentiam falsis criminibus appetitam, aut Christi Ecclesiam, cujus communioni cohæremus, nullis eorum delictis esse destructam: sic ejus nobiscum teneant unitatem, ut non solùm viam salutis inveniant, sed nec honorem Episcopatûs amittant. Neque enim in eis divinæ sacramenta veritatis, sed commenta humani detestamur erroris. Quibus sublatis, fraternum pectus complectemur christianà nobis charitate conjunctum, quod nunc dolemus dissensione diabolicà separatum. Poterit quippè unusquisque nostrûm honoris sibi socio copulato vicissim sedere eminentiùs, sicut peregrino Episcopo juxtà considente collegà. Hoc cùm alternis basilicis utrinque conceditur, utroque alterum cum honore mutuo præveniente: quia ubi præceptio charitatis dilataverit corda, possessio pacis non fit angusta: ut uno eorum defuncto, deinceps jam singulis singuli pristino more succedant. Nec novum aliquid fiet: nam hoc ex ipsius separationis exordio, in eis, qui damnato nefariæ discissionis errore unitatis dulcedinem vel serò sapuerunt, catholica dilectio custodivit. Aut si fortè populi Christiani singuli delectantur Episcopis, et duorum consortium, inusitatà rerum facie, tolerare non possunt, utrique medio discedamus. et Ecclesiis singulis damnatà schismatis causà in unitate pacificà constituti, ab his qui singuli in Ecclesiis singulis invenientur unitate factà, per loca necessaria singuli constituantur Episcopi.

Et ipse S. AUG. *n.* 6. *sic pergit:* Et cùm legeret (*Alypius*) Augustinus Episcopus dixit: Dicam charitati vestræ, et commemorem rem dulcissimam et suavissimam, quam, Domino adjuvante, sumus experti. Cùm ante ipsam collationem inter nos aliqui fratres de hâc re colloquerentur, quia pro pace Christi Episcopi debent esse, aut debent non esse, quod vobis fatendum est, circumspicientes omnes fratres et Coëpiscopos nostros, non facilè nobis occurrebant, qui hoc vellent suscipere, et de hâc humilitate Domino sacrificare. Dicebamus, ut fieri solet, ille potest, ille non potest; ille consentit hoc, ille non tolerat: loquentes magis pro suspicionibus nostris, qui corda illorum videre minimè poteramus. Quando autem ventum est ut hoc palàm fieret, in Concilio universorum tam frequenti, penè trecentorum Episcoporum, sic placuit omnibus, sic exarserunt omnes, ut parati essent Episcopatum pro Christi unitate deponere, et non perdere, sed Deo tutiùs commendare. Duo ibi vix inventi sunt, quibus displiceret: unus annosus senex, qui hoc etiam dicere liberiùs ausus est, alter voluntatem suam tacito vultu significavit. Sed posteàquam illum senem liberiùs hoc dicentem obruit omnium fraterna correptio, illo mutante sententiam, vultum etiam ille mutavit.

insignem à Catholicis de hæresi triumphum, ad Ecclesiæ gremium magnâ ex parte redeuntibus, sensìmque paulò post hoc Schìsma evanuit. (E) Adversùs Donatistas scripsêre potissimùm S. Optatus Milevitanus Episcopus et S. Augustinus. Ille eorum historiam exaravit. Hic eos et tractatibus et concionibus, et Epistolis et Libris multis plenissimè planissimèque debellavit. Legant recentiores Hæretici has S. Augustini elucubrationes studio cognoscendæ veritatis, sentient sanè tam efficacibus argumentis omnia, quibus ipsi innituntur, principia fuisse à S. Doctore in antecessum confutata, ut non minùs contra Protestantes quàm contra Donatistas scripsisse videatur Augustinus. (F)

ARIANI, tot in Ecclesià turbarum et cladium auctores nemini non cogniti, ducem habuerunt *Arium* Presbyterum Alexandrinum. Is Pauli Samosateni vestigiis insistens, Verbum Dei negabat esse Deo Patri coæternum et consubstantiale, proindèque verum Deum. Hæc hæresis nostris temporibus sub aliâ formâ revixit impietate Socinianorum.

Ariani, cæterorum Hæreticorum more, brevi scissi sunt in sectas plures inter se oppositas, adversùs unam Ecclesiam concordes. Attractisque ad se per varias artes et fraudes Imperatoribus et Principibus Christianis, magnos intra breve tempus fecêre progressus, diras adversùs Catholicos suscitàrunt persecutiones. Sed tandem, devictis Arianis, veritas triumphavit. (G)

(E) S. AUG. *ad Donat. post Collation. cap.* 35. *n.* 58. *versùs finem.* Scimus quàm multi vestrùm, et fortè omnes aut penè omnes, dicere solcatis, *O si in unum locum convenirent*, ô si aliquando conferrent, atque illis disputantibus veritas appareret. Ecce factum est, ecce convicta est falsitas, ecce apparuit veritas : quid adhuc fugitur unitas ? quid adhuc contemnitur charitas ? Quid nobis est per hominum nomina dividi ? Qui nos creavit, unus est Deus, qui nos redemit, unus est Christus, qui nos consociare debet, unus est Spiritus. Jam nomen Domini honoretur, et appareat vobis in jucunditate, ut agnoscatis fratres vestros in ipsius unitate.

(F) *Vide* §. 9. *annotat.* 1. *litt.* (A)

(G) S. EPIPHANIUS *contra Ariomanitas*, (*seu Arianos*) *hæres.* 69. *n.* 1. (*Arius*) sub Alexandro Petri successore floruit ; à quo, non sine magnâ commotione ingentique coactâ Synodo, profligatus est. Alexander enim illum ejecit, atque ex Ecclesiâ, et urbe, velut ingens quoddam malum, quod ad humani generis perniciem grassabatur, exterminavit. Ferunt illum ex Libyâ oriundum Alexandriæ Presbyterum esse factum, qui tùm Baucalensis cujusdam Ecclesiæ præfecturam gerebat.... Vixit autem Arius sub Imperatore Constantino Constantini senioris filio....

N. 3.... Fuit hic proceriore staturâ, tristis oris specie, totàque corporis configuratione subdoli serpentis instar ad fraudem et fallaciam composità : ita ut callido illo externoque habitu facilè simplicioribus animis obreperet. Nam hemiphorium et colobium indutus in colloquiis ac salutationibus blandus erat imprimis, atque omnium animos adulationum illecebris devinctos tenebat. Quare brevi septingentas ferè Deo consecratas virgines, ab Ecclesiâ abstractas, in unum coegit. Adiunt et Presbyteros ab eo septem, ac duodecim Diaconos abductos : quin etiam subindè pestiferum illius virus ad Episcopos usque pervasit. Nam Secundum Pentapolitanum Episcopum, cum aliis nonnullis in partes suas pertraxit ; quæ omnia clam, beato Alexandro Episcopo,

Catholicam fidem adversùs Arianos summo studio propugnàrunt imprimis S. Alexander Alexandrinus Episcopus, illiusque successor magnus ille Athanasius, et scriptis in Ecclesiâ gerebantur : donec Meletius Thebaïdis in Egypto Archiepiscopus,.... et Alexandro subjectus, rem omnem ad Alexandri Archiepiscopi aures detulit.... Alexander Arium ad se vocans, ecquid ita sese res haberet, interrogat. Tùm ille nihil tergiversatus, aut cunctatus, statim frontem perfricans, pravam omnem suam opinionem evomuit, ut ex ipsius Epistolis, et actis illius inquisitionis constat. Quamobrem Alexander habito Presbyterorum ac quorumdam Episcoporum, qui aderant, conventu, de eo quæstionem habet, ac diligenter examinat. Tùm veritati cedere detrectantem ejecit ex Ecclesiâ, ac totâ civitate præscribit : cum quo et virgines illæ ac clerici, quos anteà commemoravi, cum reliquâ multitudine haud exiguâ, ab Ecclesiâ detracti sunt...

N. 4. Hinc Ario longiorem in urbe moram trahente, moritur confessor Meletius et martyr. Interim Arius divortium ac dissidium ubique faciens, et in uniuscujusque animos callidè sese insinuans multos perdidit. Sed ubi deprehensus, et in urbe convictus, atque omnium præconio traductus est, Alexandriâ fugiens in Palæstinam abiit. Ibi singulos Episcopos adire, ac prensare, adularique cœpit, quò plures sibi suffragatores adjungeret. Ex his, quidam illum receperunt, alii verò repulerunt. Quæ mox ut ad aures Alexandri Episcopi perlata sunt, encyclicas ad singulos Episcopos litteras dedit, quæ hodièque studiosiorum in manibus versantur, numero ferè septuaginta....

N. 5. At Arius ubi scriptas ad omnes Episcopos litteras comperit, cùm ab omnibus passim exclusus, à nemine, præterquàm à fautoribus suis, susciperetur, quorum princeps erat Eusebius grandi admodùm natu Nicomediensis Episcopus :.... Epistolas ad hunc ipsum Eusebium scripsit nugarum plenissimas, quibus impium omne dogma complexus est, quanquam nondùm Nicomediam ad illum veneral.... Harum unam, quæ ad nostras manus pervenit, hoc loco subscribere necessarium putavi....

Arii Epistola ad Eusebium.

N. 6. Domino dilectissimo, viro Dei, fideli, orthodoxo Eusebio, Arius, quem Alexander Papa injustè ob victricem omnium veritatem insequitur, cujus et tu propugnator es, in Domino salutem. Cùm Ammonius pater meus Nicomediam proficisceretur, non modò rationi consentaneum, sed et officio quodam à me debitum putavi, tibi ut per illum salutem dicerem, unàque charitati tuæ, ac benevolentiæ, quâ propter Deum ejusque Christum fratres prosequeris, subjicerem, quàm nos vehementer Episcopus infestet, atque hostiliter insequatur, nec ullum mali genus non adversùm nos commoveat, usque eò ut nos etiam velut impios, ac Deum negantes ex urbe expulerit; idque ob illam causam, quòd ei publicè ista pronuntianti nequaquam assentiamur : Semper Deus, semper Filius : simul Pater, simul Filius. Cum Deo ingenito perpetuò Filius existit, semper genitus, ab ingenito genitus : neque cogitatione, neque momento ullo Deus Filium antecedit : semper Deus, semper Filius : ex ipso Deo Filius. Quoniam verò Eusebius frater tuus Cæsareæ, et Theodasius, et Paulinus, et Athanasius, et Gregorius, et Aetius, et Orientales omnes Deum asserunt sine ullo principio ante Filium existere, anathemate damnantur, excepto Philogonio, Hellanico, Macario Hæreticis, ac rudimentorum fidei ignaris hominibus, qui Filium partim eructationem, partim ingenitam productionem appellant. Quorum quidem impiorum voces, ne auribus quidem admittere possumus, etiamsi mille nobis mortes ab Hæreticis intententur. Nos è contrario quid tandem dicimus, sentimus, docuimus, et docemus? Nimirùm Filium, nec ingenitum esse, nec ingeniti ullâ ratione pactum : sed neque ex subjectâ aliquâ materiâ factum : verùm Dei voluntate, ac consilio ante tempora seculaque substitisse plenè Deum unigenitum, immutabilem : qui antequàm gigneretur, sive crearetur, sive decerneretur, aut fundaretur, non fuit : neque enim non factus est. Nos igitur ob id insectantur, quod

et persecutionibus et laboribus pro Christo toleratis adeò celebris ; S. Hilarius Pictaviensis , S. Phæbadius Aginnensis alterum Gallicanæ Ecclesiæ lumen , SS. Grego-

diximus ; Principium habet Filius , Deus autem principio caret. Hæc vexandi nostri causa est : tùm quòd asserimus eadem è nihilo esse. Quod idcircò à nobis usurpatur , quia neque Dei pars est , nec ex subjectâ ullâ materiâ : propterea nos illi hostilem in modum persequuntur. Reliqua tu nosti. Benè valere te ærumnarum nostrarum memorem cupimus , idque à Deo petimus , collucianista , verè Eusebi , hoc est pie , ac religiose....

N. 7. Aliam prætereà Nicomediâ ad sanctissimum Papam Alexandrum , quasi excusandi sui gratiâ , scripsit longè superiore illâ pejorem , quæ tota illius est veneno ac contumeliosis in Divinum numen vocibus referta , quam Alexandriam misit. Eam nos subjiciendam putavimus.

Epistola Arii ad Alexandrum.

Beato Papæ et Episcopo nostro Alexandro , Presbyteri , et Diaconi salutem in Domino.

Fides illa quam et à majoribus accepimus , et à te didicimus , beatissime Papa , ejusmodi est. Credimus unum Deum , solum ingenitum , solum æternum , solum principio carentem , solum verum, solum immortalem , solum sapientem , solum bonum , solum præpotentem , solum judicem , omnium moderatorem , et administratorem , immotum , et immutabilem , justum , bonum , Legis et Prophetarum ac novi Testamenti pariter Deum : qui unigenitum Filium ante sempiterna tempora genuit : per quem et secula , et reliqua procreavit omnia. Genuisse porrò dicimus reipsà , non specie tenùs , ac subsistentem illum suâpte voluntate condidisse ; ejusmodi , ut neque converti , neque mutari possit ; perfectam Dei creaturam , sed non tanquam rerum creaturam aliquam : fœtum itidem , sed non tanquam unum è cæteris. Nec quemadmodùm Valentinus asseverabat , emissionem quamdam illum esse Patris fœtum : aut ut Manichæus , eumdem illum fœtum partem esse dixit Patri consubstantialem : neque ut Sabellius , qui unitatem divisit, et Filium Patrem appellavit : non item ut Hieracas lucernam è lucernâ , aut lampadem in duas partes divisam. Neque verò ejusmodi , ut cùm priùs fuisset , posteà sit genitus , ac denuò creatus in Filium ; quemadmodùm tu ipse , beatissime Papa , mediâ in Ecclesiâ , et consessu sæpenumero , qui hæc assererent , refutasti. Sed , ut diximus , Dei voluntate ante tempora et secula omnia creatum , ut viveret , atque esset , à Patre accepisse confitemur : adeò ut eâdem illâ creatione gloriam ei Pater splendoremque contulerit. Neque enim existimandum est : Patrem , cùm omnium rerum ei possessionem traderet , sibi ipsi quod ingenità quàdam in se ratione continebat , ademisse. Fons enim ille omnium est.

N. 8. Quamobrem tres sunt hypostases , Pater , Filius , Spiritus sanctus. Et quidem Deus , cùm rerum omnium causa sit , solus ex omnibus principii est expers. Filius verò sine tempore genitus à Patre , et ante secula creatus , ac fundatus , priusquàm gigneretur non fuit. Sed sine tempore , et ante omnia genitus solus à solo Patre productus est. Non enim æternus , aut coæternus est , nec cum Patre ingenitus. Neque cum Patre exstitit , ut nonnulli de his , quæ ad aliud referuntur , affirmant , qui ingenita duo principia constituunt. Verùm sic tanquam unitas et principium omnium ante omnia Deus est. Quare etiam ipso Christo prior est , ut à te didicimus , cùm id mediâ in Ecclesiâ prædicares. Igitur quatenùs à Deo , ut esset , consecutus est : necnon et vitam , splendorem , cæteraque , quæ in ipsum collata sunt , hâc ratione principium illius Deus est. Est enim illo prior , ac princeps , utpotè Deus ipsius , qui ante ipsum fuerit ; à quo etiam ille prodierit. Quòd si istiusmodi loquendi rationes , *ex utero* , et *à Patre exivi* , *et venio ;* quasi consubstantialis partem , aut emissionem cum nonnullis accipiamus , compositus erit , ac divisibilis Pater , et mutabilis : imò illorum opinione corpus , et , quoad in ipsis est , quæ corpori consentanea sunt patietur expers corporis Deus. Bene valere te optamus in Domino , beatissime Papa. Arius....

rius Nazianzenus, Basilius, Cyrillus Alexandrinus; Epiphanius, Ambrosius, Augustinus, Fulgentius, etc. Omnes Episcopali caractere, sanctitate, doctrinâ, laboribus toto

N. 9. Cùm itaque rerum status his motibus perturbaretur, Alexander ad Constantinum Imperatorem scripsit, qui Arium cum nonnullis Episcopis evocans interrogavit. At ille sodalium suorum grege stipatus, primùm coram Imperatore inficiatus est, cùm interim remotis arbitris occulta contra Ecclesiam consilia moliretur. Imperator beatæ memoriæ Constantinus eum arcessens; velut afflatu quodam sancti Spiritûs impulsus, his illum verbis affatus est: Confido Deo, si quid callidè dissimules, ac neges, quàm celerrimè te ab omnium Domino convictum iri, maximè per quem jusjurandum conceperis. Quo ex tempore iisdem in erroribus hærere deprehensus, ac coram Principe convictus, iterùm inficiatus est. Et plerique illius patroni pro eo per Eusebium Nicomediæ Episcopum apud Principem egerunt. Sed nihilominùs Imperator, divinæ fidei ardore commotus, Epistolam benè longam, et encyclicam ad omnes Romano Imperio subditos adversùs Arium ejusque dogma scripsit omni sapientiâ ac veritate refertam....

N. 10. Posthæc cùm Arius Constantinopoli Catholicæ Ecclesiæ communionem affectaret, instante violenter Eusebio, qui apud Imperatorem plurimùm poterat, et Constantinopolitanum Episcopum molestiùs urgente, qui communionem illi dare nolens, et per vim oppressus ingemiscebat: cùmque Eusebius jactaret: Nisi sponte velis admittere, crastinâ luce, quæ dominica erit, mecum in Ecclesiam intrabit: quid autem contra nos efficies? Tùm demùm religiosissimus Episcopus, ac Deum timens Alexander Ecclesiæ illi præfectus, qui Alexandrino Episcopo cognominis erat, ubi hæc audiit, totâ die ac nocte cum gemitu ac mœrore in oratione perseveravit, supplex à Deo petens, ut vel animam suam reciperet, ne se Arii communione pollueret; aut stupendum quiddam et inusitatum faceret. Quod quidem posterius obtinuit. Nam Arius noctu ventris levandi gratiâ progredi coactus, et in secessum abiens, in ipsâ cellâ desidens crepuit, ac mortuus est inventus. Ita fœtidissimo in loco repertus est, cùm intestina omnia perindè ejecisset, atque impurissimum dogma vomuerat.

N. 11. His ad eum modum gestis, Imperator Ecclesiæ consulens, cùm jam plerisque à se invicem dissidentibus varia essent schismata, œcumenicam Synodum colligit 318. Episcoporum, quorum nomina ad hoc usque tempus exstant. Hi Nicææ congregati, damnato Arii dogmate, orthodoxam Patrum fidem immutabilem, et ab Apostolis ac Prophetis traditam confirmant. Postremò ubi subscripsère Episcopi, et Arianam hæresim anathemate devovère, Synodo finis est impositus.

Lege SOCRATIS Hist. Eccles. *Lib.* 1. *cap.* 5. *et seq. usque ad* 10. *deinde cap.* 14. 23. *et seq. usque ad* 39. *etc. Lege etiam* SOZOMENUM Hist. Eccles. *Lib.* 1. *cap.* 15. *et seq. usque ad cap.* 22. *et Lib.* 2. *cap.* 16. *etc. et* THEODORET. Hist. Eccles. *Lib.* 1. 2. *et* 4. *ferè integros. Hæc prolixiora sunt quàm ut hic exscribi possint.*

S. PHILAST. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. hæres. quæ sub Apost. exstiterunt, n.* 19. Ariani ab Ario Presbytero Alexandriæ civitatis, qui sub Alexandro Episcopo bonæ memoriæ fuit, et Constantino sancto Imperatore, dicens Filium Dei Deo similem, nomine tenùs: similem autem dicens, et non Dei ipsius Patris divinam credendo substantiam, hæresim periculosam incurrit: nam et creatura similis Deo dicitur, cùm dicat Scriptura: (*Gen.* 1. 26.) *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Non tamen est homo, aut Angelus de Deo propriè ac naturaliter, id est, de divinâ illâ substantiâ Patris inenarrandâ et sempiternâ genitus, ut unicus Filius, qui genitus est de Patre propriè sempiternus, sed homo et Angelus facti sunt ex nihilo: Filius autem cùm sit verus, oportet de divinâ illâ substantiâ Patris genitus cognoscatur: Verus enim Deus alio modo esse non potest Filius unicus, nisi sit de Patris illâ divinâ substantiâ propriè genitus.

N. 20. Semiariani sunt quoque, ii de Patre et Filio benè sentiunt, unam qualitatis substantiam, unam divinitatem esse credentes: Spiri-

terrarum orbe celebres. Plurima adversùs Arianos Concilia habita sunt. In his nullum fuit celebrius Nicæno primo ex œcumenicis, quod anno 325. convocatum est.

tum autem non de divinâ substantiâ, nec Deum verum, sed factum atque creatum Spiritum prædicantes, ut eum conjungant et comparent creaturæ : cùm Christus Dominus Patri et sibi in fide baptismi salutis æternæ conjunxerit, eumque cum Patre et Filio cunctis credentibus adorandum jusserit, omnique seculo eum verum prædicandum statuerit. Non intelligentes, quòd Evangelista cùm dicit : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil;* (*Joan.* I. 3.) non de Spiritu sancto dicit, quasi factum Spiritum per Filium : nam Propheta Trinitatem omnia fecisse visibilia et invisibilia definit, dicens : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* (*Ps.* XXXII. 6.) In omni itaque creaturâ, quæ facta est per Spiritum, non aliquid prætermisit quod non per eum factum sit, alioqui in fide servus cum Domino non jungeretur, si esset creatura divinus et sanctus Spiritus. Cujus causâ omnis Scriptura et Dominus, concedi omnia peccata hominibus præter blasphemiam de divini et adorandi Spiritûs cœlesti essentiâ, pronuntiaverit.

S. AUG. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, n.* 49. Ariani ab Ario, in eo sunt notissimi errore, quo Patrem et Filium et Spiritum sanctum nolant esse unius ejusdemque naturæ atque substantiæ, aut ut expressius dicatur, essentiæ, quæ *ουζία* Græcè appellatur : sed esse Filium creaturam, Spiritum verò sanctum creaturam creaturæ, hoç est, ab ipso Filio creatum volunt. In eo autem quòd Christum sine animâ solam carnem suscepisse arbitrantur, minùs noti sunt : nec adversùs eos ab aliquo inveni de hâc re aliquando fuisse certatum. Sed hoc verum esse Epiphanius non tacuit, et ego ex eorum quibusdam scriptis et collocutionibus certissimè comperi. Rebaptizari quoque ab his Catholicos novimus, utrùm et non Catholicos, nescio.

N. 51. Semiarianos Epiphanius dicit, qui similis essentiæ dicunt Filium, tanquam non plenos Arianos : quasi Ariani nec similem velint; cùm hoc Eunomiani dicere celebrentur.

THEODORET. *Hæret. fabul. lib.* 4. *n.* 1. (*Diabolus*) Arium nactus, humanæ gloriæ cupidum, et arrogantiæ morbum in eo inflammavit, et hæresis errorem indidit. Hic enim cùm Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter esset, et magnum Alexandrum in pontificali cathedrâ sedentem videret, invidiæ stimulo percitus est, pugnæque cum eo conserendæ materiam quærens, occasionem invenit dogmatum impietatem. Nam cùm ille Apostolicam herbam gregi præberet, et ad fontes Evangelicos oves duceret, contradicebat hic ejus dictis, et sapientissimo magistro Filium Patri consubstantialem affirmante, repugnabat iste, creaturam vocans, quem germanum Filium appellabat. Et cùm ille Deum Verbum Deo Patri coæternum esse doceret, ut qui erat in principio, et Deus erat Verbum, et splendor gloriæ; hic ex non exstantibus eum qui est, factum dicebat, et mutabilem illi naturam esse. Quin et incarnationis quoque rationem mutilabat. Corpus enim inanimum assumpsisse illum aiebat, animæque partes implesse divinitatem, ut huic quoque prodeuntem ex corpore consensum tribueret. Idem Gloriæ decantandæ legibus relictis, quas tradiderant qui ab initio spectatores et ministri verbi fuerant, aliam formam introduxit, glorificare quos deceperat docens Patrem per Filium in sancto Spiritu. Et divini quidem baptismatis usitatam invocationem mutare propter apertam transgressionem ausus non est : sed juxta Dominicum præceptum baptizare docuit in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti : glorificare autem juxta baptismatis legem voluit, licèt Deus et Salvator noster, non simpliciter baptizare, sed potiùs docere præceperit. *Euntes* enim, inquit, (*Matth.* XXVIII.) *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti....* Hunc igitur Arium, sic sentientem, qui apud Nicæam convenerant sancti Patres apertè abdicârunt, ut qui à divinis eloquiis prorsùs aliena et peregrina dogmata inveheret. Posteà

MACEDONIUS professione Arianus, sedem Constantinopolitanam Hæreticorum factione invasit. Ex eâ pulsus novam hæresim disseminavit, cujus sectatores dicti sunt *Macedoniani*. In eo posita erat, quòd negaret divinitatem Spiritûs sancti, sicut negaverat Arius Filii divinitatem. (H)

autem pœnitentiam simulans, eis qui apud magnum Imperatorem Constantinum auctoritate valebant persuasit, ut ipsi daretur locus pœnitentiæ. Precibus susceptis Imperator regiæ urbis Episcopum jussit salutem desideranti manum porrigere. At divinus Alexander, (is enim Ecclesiæ clavum tenebat) primùm quidem persuadere conatus est Imperatori, ne fictis Arii verbis abduceretur. Ubi autem ægrè hæc illum referre animadvertit, tacitus recessit. Constitutum porrò erat ut Arius manè admitteretur. Sabbatum enim erat quando hæc dicta sunt. Verus ergo ille vir Dei cum duobus è domesticis divinum templum ingressus, Ecclesiarum Dominum ante sancta altaria humi prostratus et lacrymas fundens obsecravit, ne lupum ovibus admisceri permitteret, siquidem ille prorsùs quæ luporum sunt agere volens ovinà se pelle contegebat. Verunt autem hæc etiam verba precibus suis adjecisse : Quòd si illum, quamvis talia moliatur, ineffabili consilio ingredi permittis, (investigari quippè judicia tua non possunt) me famulum tuum ex præsenti vità exime. Sic expletà oratione domum flens rediit. Arius autem stata fore Imperatoris promissa confidens, diluculò processit. Deindè cùm ad egerendum venter urgeret, publicas latrinas ingressus est, famulo qui sequebatur foris relicto : et intestinis repentè solutis ac effusis, intùs sedens mortuus est. Rem spectantibus qui unà sedebant et exclamantibus, accurrens famulus et exanimem conspicatus, quod acciderat domesticis renuntiavit. Divulgatà per populosissimam urbem universam divinitùs immissà plagà, in templum simul omnes confluxère. Postquàm autem et Imperatoris pollicitationem, et Pontificis orationem cognoverunt, Ecclesiarum Præsidem laudàrunt, hæresisque impietatem abominati sunt. Attamen, quamvis hæc ita evenerint, et apertissimè ostensa sit divina sententia, perstiterunt, qui morbum contraxerant, contra Unigenitum linguas acuere.

Qui verò pleniorem Arianæ hæreseos cognitionem adipisci voluerint, ejusquè historiam omnem probè callere, præter historiæ Ecclesiasticæ suprà memoratos Scriptores Socratem, Sozomenum *et* Theodoretum, *adeant et recentiores scilicet* Vitam S. Athanasii *à Domino* HERMANT *conscriptam :* D. ELLIES DU PIN. Biblioth. Scriptorum Ecclesiast. *et* Historiam Concilii Nicæni I. *quæ typis mandata fuit Parisiis anno* 1691. *apud Hortemels ; necnon Doctissimi* D. LE NAIN DE TILLEMOMT Comment. ad Historiam Ecclesiast. 4. *et* 5. *seculi : omnes denique Arianæ hæresis historios, quæ omnium manibus teruntur.*

(H) S. AUG. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, n.* 52. Macedoniani sunt à Macedonio, quos et *Pneumatomachos* Græci dicunt, eò quòd de Spiritu sancto litigent. Nam de Patre et Filio rectè sentiunt, quòd unius sint ejusdemque substantiæ vel essentiæ ; sed de Spiritu sancto hoc nolunt credere, creaturam eum esse dicentes. Hos potiùs quidam Semiarianos vocant, quòd in hâc quæstione ex parte cum illis sint, ex parte nobiscum. Quamvis à nonnullis perhibebantur, non Deum, sed deitatem Patris et Filii dicere Spiritum sanctum, et nullam propriam habere substantiam.

Ex SOCRATIS *Eccles. Hist. lib.* 2. *cap.* 5. Alexander (*Constantinopolitanus*) Episcopus.... ex hâc luce migravit.... In deligendo Episcopo.... exorta contentio Ecclesiam conturbavit.... Homousiani, (*id est Catholici*) Paulum designârunt Episcopum : Ariani verò studia sua in Macedonium conferebant. (*Imperator, ejecto Paulo, Eusebium Nicomediensem Arianorum tunc antesignanum Constantinopolitanæ Ecclesiæ præfecit, quo mortuo*) populus Constantinopolitanus Paulum denuò in Ecclesiam introduxit. *Cap.* 12. Ariani verò eodem tempore.... Macedonium ordinârunt Episcopum.... Tunc verò pro Arianâ perfidiâ, acriter decertantes, gravissimos bellorum motus adversùs Ecclesias excitaverunt. Ex quibus

Adversùs hanc scripsêre potissimùm SS. Athanasius, Basilius, Gregorius Nyssenus, Epiphanius, Ambrosius, Augustinus. Damnati sunt Macedoniani in primo Concilio Constantinopoli habito an. 381. quod fuit alterum ex œcumenicis, et in aliis compluribus.

bellis unum fuit illud, quod à Macedonio factum est Constantinopoli. Ex hoc enim intestino Christianorum bello, crebræ in civitate ortæ sunt seditiones, multique eorum violentiâ oppressi periêre.... *Cap.* 16. Porrò Imperator Constantius... cùm ei nuntiatum esset, Paulum sedem suam denuò occupasse,.... Philippo Præfecto Prætorii.... mandat.... ut Paulum quidem pellat Ecclesiâ; Macedonium verò illius loco in Ecclesiam inducat.... Paulus, præter exspectationem, Ecclesiâ simul et urbe pulsus, (*Navi ad id paratâ Thessalonicam Macedoniæ metropolim in exilium*) celeriter abducitur.... Philippus.... rectà ad Ecclesiam contendit. Aderat unà Macedonius, velut ex machinâ quàdam demissus: et cum Præfecto in curru sedens omnium oculis ostentabatur. Circa illos militum manus strictis gladiis incedebat. Quo spectaculo conterrita est plebis multitudo: cunctique simul tam Homousiani, quàm Ariani, ad Ecclesiam properârunt, prævenire singuli et Ecclesiam occupare summo studio adnitentes. Postquàm Præfectus unà cum Macedonio Ecclesiæ appropinquare cœpit, repentinus absque ullâ causâ metus plebem ipsosque adeò milites invasit. Nam quoniam ingens illic aderat hominum multitudo, ita ut Præfecto Macedonium deducenti nullus daretur transeundi locus, milites plebem violenter impellere aggressi sunt; sed cùm contrusa plebs propter loci angustiam retrocedere non posset, rati milites plebem obsistere ac de industriâ transitum intercludere, velut in hostem irruentes, districtis gladiis uti et obvios ferire cœperunt. Tria igitur hominum millia ac præterea centum et quinquaginta tunc occubuisse dicuntur; alii à militibus trucidati, alii constipatione multitudinis oppressi. Post tam præclara facinora Macedonius, perindè quasi nihil mali gessisset, sed integer vacuusque esset ab omni culpâ, à Præfecto veriùs quàm per Ecclesiasticam regulam in Episcopali sede constituitur. In hunc modum Macedonius et Ariani per tot tantasque hominum cædes Ecclesiâ potiti sunt.

Cap. 28. Macedonius.... maximam libertatem apud Principem nactus, bellum inter Christianos commovit.... Nam cùm persuasisset Imperatori, ut sibi Ecclesias vastanti opem ferret, operam dedit ut quæcunque nefariè agere decreverat, lege latâ confirmarentur. Continuò igitur in singulis civitatibus proposita lex est, et militaris manus ad præceptorum regalium executionem destinata. Pellebantur non modò ab Ecclesiâ, verùm etiam ex civitatibus, quicunque consubstantialis fidem asserebant. Et initio quidem id unum agebant, ut eos expellerent. Posteà verò progrediente ulteriùs malo, ad id se verterunt, ut communicare sibi etiam invitos cogerent; parùm scilicet de Ecclesiis solliciti. Eratque ea vis nihilo minor illâ, quam olim adhibuerant hi, qui Christianos ad simulacrorum cultum adigebant. Quippè verbera ac tormenta, et omnis generis cruciatus admovebantur. Alii bonorum proscriptione, alii exilio mulctati sunt. Et hi quidem in ipsis cruciatibus interierunt: illi verò dùm ad exilium abducerentur, necati sunt.

Cap. 42. Qui ab Acacio stabant, abutentes Imperatoris indignatione, quam illic jampridem animo conceptam tùm adversùs alios, tùm præcipuè contra Macedonium explere satagebat, primùm quidem deponunt Macedonium, tùm quòd plurimarum cædium auctor fuisset, tùm quòd Diaconum in fornicatione deprehensum ad communionem admiserat, etc.

Cap. 45. At Macedonius qui Constantinopoli expulsus fuerat, condemnationem iniquo animo ferens, quiescere haudquaquam sustinuit: sed ad ulteriùs partis Episcopos, qui apud Seleuciam Acacium cum sociis deposuerant, transgressus est. Missâ igitur ad Sophronium et Eleusium legatione, hortatus est ut eam fidem, quæ Antiochiæ primùm

ANOMÆI, qui et *Eunomiani*, ducem habuerunt *Eunomium* Cyzicenum Episcopum, discipulum *Aëtii* Diaconi Antiocheni, cognomento Athei. Is Arii et Macedonii blasphemiis novas superinduxit. Negabat incomprehensibilem esse Dei naturam, et æquè perfectè cognoscere se Deum impudens effutiebat ac Deus ipse se novit. Reliquias Martyrum aspernabatur, eorumque miracula dæmonis præstigias vocabat. Baptismi formam immutavit, negavitque illum in nomine Trinitatis esse conferendum, contra ipsa Christi verba. Non Catholicos solùm sed et Arianos ad suas partes deflectentes, iterùm baptizabat. Apostolorum et prophetarum auctoritatem nihili faciebat. Modò quis ipsius fidem profiteretur, ipsiusque baptismo esset initiatus, nihil obstare ad salutem asserebat vel gravissima scelera posteà perpetrata. Ex hoc tam perdito principio quantos sectatores sibi conciliaverit, et quanta fuerit in iis morum corruptela, facilè quisque intelligit. (1) Impiam

exposita, ac deindè Seleuciæ confirmata fuerat, mordicùs retinerent, eamque adulterino vocabulo *Homoiousion*, id est, similis substantiæ cognominarent. Proindè multi ex amicis et familiaribus ad eum confluxerunt, qui nunc ex ejus nomine Macedoniani vocantur. Sed et quotquot in Seleuciensi Concilio ab Acacio dissenserant ab hoc tempore vocem *Homoiousion* palàm asseruerunt, cùm antehàc eam minimè evulgarent.... Ad istorum societatem sese etiam adjunxit Eustathius.... Sed postquàm Macedonius Spiritum sanctum à divinæ Trinitatis consortio cœpit excludere, tùm Eustathius : Ego, inquit, Spiritum sanctum nec Deum nominare in animum induco, nec creaturam vocare sustineo. Atque ob hanc causam qui fidem consubstantialis tuentur *Pneumatomachos* eos appellant, id est, Spiritûs sancti oppugnatores.

Eadem videre potes apud SOZOMENUM Hist. Eccles. *Lib.* 3. *cap.* 9. *Lib.* 4. *cap.* 2. 24. *et* 25.

Cap. 26. Cæterùm Macedonius, inquit, Constantinopolitanâ spoliatus Ecclesiâ, in locum quemdam juxta urbis regiæ portas se recepit : ibique extremum diem obiit. Eudoxius verò ejus loco Ecclesiam obtinuit.

THEODORET. *Eccles. Histor. lib.* 2. *cap.* 5. Postquàm verò hunc (*Paulum*) ita morti, vel cœlorum potiùs regno transmiserunt, Macedonium in ejus locum provexerunt (*Ariani*,) suæ illum opinionis esse rati, propterea quòd in Spiritum sanctum perindè ut ipsi blasphemabat. Sed non multò post hunc quoque ipsum extruserunt, cùm adduci non posset, ut creaturam eum diceret, quem Scriptura divina Filium nuncuparet. Quam ob causam ab eis segregatus, propriæ sibi hæresis factus est auctor, consubstantialem quidem Patri et ipse negans Filium, sed similem per omnia genitori docens, creaturam autem Spiritum apertè nominans.

Hæret. fabul. lib. 4. *n.* 5. Paulo celeberrimo, qui regiæ urbis Pastor fuit, ab iis, qui Ariani morbo laborabant, expulso, Macedonius pro eo Ecclesiæ clavum suscepit. Hic Macedonius consubstantialem quidem Patri Filium dicere omninò repudiavit, similem autem per omnia dici constituit, et Homœusion pro Homousio excogitavit. Spiritum verò sanctum, sicut Arius et Eunomius, blasphemare perstitit. Undè qui ejus sectæ dicebantur, Pneumatomachi cognominati sunt.

(1) S. EPIPHAN. *adversùs Anomœos, hæres.* 76. *n.* 1. Anomæi quorum princeps Actius Diaconus fuit ; qui ad eum dignitatis gradum ob ineptias, ac nugas suas à Georgio Alexandrino promotus est, eo videlicet ipso, qui Arianorum pariter, ac Meletianorum Episcopus, Juliano Imperante, fuit.

N. 2. Hic igitur Actius ad adultam ætatem usque exterarum disciplinarum, uti narrant, fuit omninò rudis. Tandem verò cùm Alexandriæ

hanc hæresim scriptis suis egregiè confutârunt SS. Basilius, ejusque frater Gregorius Nyssenus, Joannes Chrysostomus, Epiphanius, Augustinus, Theodoretus, etc.

Aristotelico cuidam Philosopho, ac sophistæ navasset operam, ab eoque Dialecticam didicisset, totus in illud incubuit, ut divinarum rerum rationem omnem quibusdam figuris explicaret. Id quod summo in otio à primâ luce ad vesperam usque sedens pertinaci operâ contendebat: nimirùm ut Geometricas figuras divinas ad res tractandas, definiendas, docendasque transferret. Atque ut sese in Arianorum sectam altiùs immerserat, et insanam Arii doctrinam hauserat, illorum velut affrictu quodam attrituque longè pestilentior evasit, et adversùs Dei Filium, ac Spiritum sanctum linguam suam in dies exacuit. Sed à nonnullis ad Constantium delatus, in subjectam Tauro monti regionem relegatur. Ibi perniciosam suam doctrinam longè latèque propagavit, ac palàm et audacter perfrictiorique quàm anteà fronte, acerbissimum erro is illius, quem evomuerat, virus in medium sine ullâ intermissione protulit. Ausus est enim dissimilem Patri Filium, nec eumdem divinitate esse cum illo profiteri....

N. 4.... Nulla apud illos cura sanctitatis est; aut jejuniorum, aut mandatorum Dei, cæterarumve rerum, quæ hominibus divino mandato præscriptæ sunt. Atque ad omnia unum in promptu verbum illis est.... Cùm enim occurrens iis aliquis divinorum præceptorum mentionem injicit, ex illius auctoritate dicti subjiciunt: Nihil aliud à nobis flagitare Deum, quàm ut cognoscamus ipsum, quemadmodùm Christus declaravit his verbis: *Da ipsis, Pater, habere in se ipsis vitam. Hæc est autem vita, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Nam et nonnullos referentes audivimus, quòd de illo se palàm audisse testificarentur. Cùm quidam ob stuprum feminæ illatum accusarentur, et ab aliis damnarentur, nihil illum commotum; sed factum illud risu, ac ludibrio prosequentem dixisse, nullius hoc esse momenti: corporis enim hanc essse necessitatem ac functionem: quemadmodùm aurem nonnunquam scalpimus.

N. 6. *et ult.* Postremò discipulos suos ad extremam impudentiam perduxit. Nihil enim est quò non illorum pertingat audacia. Prophetarum Apostolorumque nomina contumeliis incessunt. Cùmque urgeri rationum vi, ac malè haberi cœperint, effugiunt subindè, ac prosiliunt: et ista, inquiunt, Apostolus, tanquam homo, dixit. Aliàs: Quid tu mihi vetus, aiunt, Testamentum objicis?.... Eos, qui baptizati jam fuerint, iterùm baptizat Eunomius, non modò qui à Catholicis, aut ab aliis hæresibus; sed eos etiam, qui ab ipsismet Arianis deficiunt. Repetiti porrò illius baptismi ea formula est: In nomine Dei increati: et in nomine Filii creati: et in nomine Spiritûs sanctificantis, et à creato Filio procreati... Sunt qui narrent quotquot ab iis denuò baptizantur, in caput demergi, pedibus in sublime porrectis: ad idque jusjurandum adigi, nunquam se ab illius errore atque hæresi discessuros.

S. PHILASTR. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. hæres. quæ sub Apost. exstiterunt*, *n.* 21. Eunomiani ab Eunomio discipulo Arii (*lege* Actii) in omnibus inimici veræ fidei aiunt tres esse diversas (*fortè* diversæ) qualitatis substantias, ut auri, argenti et æris; et Patrem quidem fecisse Filium, et iterùm Filium, qui sit creatura, fecisse Spiritum: et asserunt Filium non Patri esse similem, quia creatura est: neque Spiritum Filio similem, quia à Filio factus est, magis impietati paganæ, et iniquitati Judaïcæ consentientes apertissimè, quàm Christianæ doctrinæ, ac fidei Catholicæ parere volentes.

S. AUG. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum*, *n.* 54. Actiani ab Actio sunt vocati; iidemque Eunomiani ab Eunomio Actii discipulo, quo nomine magis innotuerunt. Eunomius quippè in dialecticâ prævalens, acutiùs et celebriùs defendit hanc hæresim, dissimilem per omnia Patri asserens Filium, et Filio Spiritum sanctum. Fertur etiam usque adeò fuisse bonis moribus inimicus, ut asseveraret, quòd nihil cuique obesset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebantur, fidei particeps esset.

Hanc sectam Theodosius Imperator legibus acerrimis repressit et coërcuit.

AERIUS Presbyter Sebastenus Arianorum opinionibus

SOCRATES *Hist. Eccles. lib.* 2. *cap.* 35. Tunc etiam apud Antiochiam urbem Syriæ novus Hæresiarches emersit Aëtius, cognomento Atheus. Hic cum Ario quidem consentiebat, eamdemque cum illo opinionem tuebatur. Verùm ab Arianorum partibus se idcircò sejunxit, quòd illi (*Catholici*) Arium ad communionem recepissent. Arius enim.... aliud in mente clausum gerens, aliud ore professus, Nicænæ Synodi formulam suscipiens, subscriptione suâ firmaverat, ut Imperatorem (*Constantinum Magnum*) qui tunc temporis regnabat, circumveniret. Hanc igitur ob causam Aëtius ab Arianis sese abrupit. Erat porrò Aetius jam antehàc Hæreticus, et pro Arii dogmate ardentissimè propugnare consueverat. Nam cùm Alexandriæ leviter admodùm institutus fuisset, indè reversus est Antiochiam Syriæ, ex quâ civitate erat oriundus. Illic à Leontio, qui tunc Antiochenæ urbis Episcopatum gerebat, Diaconus est ordinatus : extemplò igitur cos quibuscum colloquebatur, sermonum novitate obstupefecit. Id autem agebat fretus categoriis Aristotelis.... ex quarum præceptis disputans, non animadvertit se in suam ipsius fraudem captiosas argumentationes componere : nec ipsius Aristotelis mentem didicit ab eruditis.... Verùm Aëtius, quippè qui Academicum præceptorem nactus non esset, ad sophisticas categoriarum argumentationes adhæsit. Quamobrem intelligentiâ assequi non potuit, quomodò esset ingenita generatio, et quâ ratione id quod genitum est, cœternum esset illi qui genuit. Cæterùm adeò mediocri doctrinâ præditus et sacrarum litterarum imperitus erat Aëtius, et in uno contendendi studio exercitatus,.... ut nè veterum quidem Scriptorum qui sacros Christianæ religionis libros interpretati sunt, usum ullum aut peritiam haberet.... Composuit autem Epistolas tùm ad Imperatorem Constantium, tùm ad quosdam alios; in quibus longas texit disputationes, et argumenta sophistica proponit. Quam ob causam *Atheus* est cognominatus. Ac licèt eadem cum Arianis et diceret et sentiret, ab iis tamen ipsis, qui perplexas ejus argumentationes intelligere non poterant, Hæreticus est judicatus. Ob id pulsus eorum Ecclesiâ, hanc speciem præ se tulit, quasi ipse se ab eorum communione sejunxisset. Manentque hactenùs ab illo propagati, ii, qui olim quidem Aëtiani, nunc autem Eunomiani dicuntur. Eunomius enim qui notarius ejus fuerat, et inanem illam ac verbosam disputandi rationem ab eo didicerat, sectæ illi posteà præfuit.

Cap. 37. (*Eudoxius*) Episcopatum Antiochiæ per fraudem occupavit; statimque Aëtium fovere aggressus est. Et collecto Episcoporum Concilio, omni studio contendit, ut Diaconatûs dignitatem ei restitueret. Verùm id nequaquam perfici potuit, propterea quòd odium adversùs Aëtium, Eudoxii erga eumdem studio potentius fuit.

Eadem ferè narrat SOZOMENUS Hist. Eccles. *lib.* 3. *cap.* 15. *et lib.* 4. *cap.* 12. *ad* 17. *et* THEODORET. Eccles. Hist. *lib.* 2. *cap.* 19. 23. 24.

THEODORET. *Hæret. fabul. lib.* 4. *n.* 2. Eunomius magistrum jactabat Aetium Syrum.... Hic Arii blasphemias apertè amplificavit. Quo nomine illum Constantius in quamdam Phrygiæ solitudinem relegavit : idque cùm à rectâ viâ jam deflexisset, atque in alteram declinasset. Post obitum enim patris seductus à quibusdam, qui corporis ejus curam gerebant, legem tulit, ne quis ejusdem vel diversæ substantiæ dicere auderet Filium Dei (nec enim fas esse, aiebat, Dei substantiam scrutari,) similem autem in omnibus dicere jussit : et ideò Aëtium, qui primus omnium dicere ausus est Filium in omnibus dissimilem esse Deo Patri, qui genuit, in supradictam solitudinem amandavit. Hæc cùm sciret Eudoxius, persuasit Eunomio, ne quod sentiebant aperirent, sed tantisper occultum tenerent, atque in tenebris, tanquam furtivum fœtum alerent, donec tempus facultatem præberet. Quibus acquiescens Eunomius, obumbratam multis apud Cyzicum doctrinam tradebat. Impietatem autem parere gestiens, hanc inter disserendum innuebat, et audientium animas sauciabat. Tunc divino quidam zelo succensi

infectus, multos errores condidit, qui fuerunt temporibus nostris à Calvinianis magnâ ex parte renovati. Negabat Episcopos esse superiores Presbyteris. Damnabat oratio-

zelum occultantes, hæresis personam induunt, et Eunomii domum venientes, rogabant ut veritatem dogmatis apertè doceret. Inductus ille, eosque sibi consentientes ratus, venenum, quod hactenùs celabat, evomuit. Illi rursùs obnixiùs orârunt, ut doctrinam toti populo exhiberet, et imperatoris observantiæ gregem suum præferret, qui veritatem scire desiderabat. Ita rursùm deceptus Eunomius blasphemiam publicè depromit. At illi statim, multis secum ejusdem fidei assumptis, ad Comitatum properârunt, et Eudoxium de admissâ blasphemiâ docuerunt. Eudoxius verò indoluit quidem, Eunomium audiens pacta transgressum, de quibus convenerat : accusatoribus autem pollicitus est rem sibi curæ futuram, sed eam penitùs neglexit, negotiorum obtendens multitudinem. Eunomii ergo accusatores, cùm Eudoxii mentem perspexissent, Eunomii blasphemiam Imperatori significârunt. Imperator verò, principio quidem jussit Eudoxio, ut Eunomium acciret, et prolatam accusationem examinaret. Ubi autem illum differre animadvertit, (continenter enim veniebant accusatores) utrumque in solitudinem missurum se minatus est, in quâ degebat Aëtius. Meluens itaque Eudoxius, evocavit Eunomium. Et primùm quidem in memoriam revocavit de quibus illum admonuerat, deindè manifestò convictum deposuit, quamvis ipse morbo eodem laboraret. Imperatoris enim minas pertimescebat. Cæterùm Eunomius protinùs se ipsum hæresis principem renuntiavit, idque cùm in remotâ quâdam orâ Pamphyliæ habitare coactus esset. Atque hinc orta est secta Eunomianorum. Hic artis argutias Theologicæ adhibuit, et adversùs Unigenitum et sanctum Spiritum blasphemias palàm eructavit. Ac Filium quidem primam creaturam Patris præcipuamque esse dixit, Spiritum verò sanctum à Filio ante alia opera creatum esse. Idem sancti etiam baptismatis legem olim à Domino et Apostolis traditam evertit, et contrariam apertè sanxit, non oportere dicens ter illum immergere qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, sed semel baptizare in Christi mortem. Baptizantes verò usque ad pectus madefaciunt, reliquis autem partibus, tanquam exsecrandis, aquam adhibere prohibebant. Quâ de causâ, quando in solio baptizabant, hominem extra illud statuentes, ejus caput usque ad pectus semel in aquam deprimebant. Postquàm autem contigit sauciari quempiam capite ad solium illiso, aliud genus baptismatis excogitârunt. In subsellio enim quodam pronum hominem extendentes, et extra illud caput erigentes, aquam infundunt, quæ nullum aliud membrum attingit. Quidam porrò illorum alium etiam baptismatis modum invenerunt. Fæniam enim longissimam præparantes, et hanc consecrantes, eâ hominem usque ad ungues involvunt, à pectore incipientes, atque ita deindè aquam infundunt. Hæc autem indicârunt, qui eorum impietatem fugientes, Servatoris et Dei nostri ovibus se adjunxerunt.... Debacchatus in hunc modum adversùs veritatem Eunomius, morbum in dies augere studebat. Ausus enim est dicere, se nihil ex rebus divinis ignorare, sed ipsam etiam Dei essentiam exactè se nosse, eamdemque de Deo notitiam habere, quam Deus ipse habet de seipso. Ad hunc ab illo furorem perducti, qui ejus pestem hauserunt, audent apertè profiteri, se ita Deum nosse, ut ipse seipsum. Et alia porrò excogitavit, ut novorum dogmatum inventor haberetur. Hinc Ariana secta bipartitò divisa est, et alii quidem Ariani appellati sunt, alii Eunomiani. Ariani autem Eudoxiani quoque vocati sunt, tempore Eudoxii.... Eunomiani verò Aëliani quoque vocabantur, quòd Eunomius Actium magistrum suum appellârit. Iidem et Troglytæ seu Troglodytæ nominantur, ut qui clanculùm occultis in domibus conventus suos celebrent. Etenim perpauci sunt numero, aversantibus illos omnibus propter blasphemiæ impudentiam.

SOCRATES *Histor. Eccles. lib.* 4. *cap.* 7. (*Eudoxius*) Episcopus Constantinopolitanus Eunomium Cyzicenæ urbis Episcopum constituit, utpotè qui eloquentiâ suâ multitudinis animos ad se allicere posset. Qui cùm venisset Cyzicum, Imperator edicto proposito, Eleusium quidem (*legi-*

nes pro defunctis, jejuniaque ab Ecclesiâ observari solita. Quartà et sextâ feriâ cujusque hebdomadæ et totâ quadragesimâ epulabatur summo diluculo, in contemptum Eccle-

timum Episcopum) Ecclesiis exturbari, Eunomium autem in sede collocari jussit. Quo facto, hi qui cum Eleusio erant, extra urbis muros ædificatâ Ecclesiâ, collectas illic egerunt.... Eunomius notarius fuit Aetii cognomento Athei.... Cum illo igitur diù versatus, sophisticum ejus disserendi modum imitatus est: et inanibus quibusdam voculis nimium deditus, fallaces argumentationes in suum ipsius damnum imprudens contexuit. Ob hæc arrogantiâ elatus, in blasphemiam prolapsus est, dùm Arii quidem opinionem sectatur: veritatis autem doctrinam variis modis impugnat. Et sacrarum quidem Scripturarum parùm omninò peritus fuit, nec earum intelligentiam assequi potuit. Verborum tamen copiâ abundans et eadem assiduè repetens, nunquam propositum sibi scopum valuit contingere, sicut manifestant septem libri, quos in epistolam Pauli ad Romanos incassùm elaboravit. Quamvis enim in ejus interpretatione multa consumpserit verba; institutum tamen Apostoli nullatenùs est assecutus. Hujusmodi sunt etiam cæteri, qui circumferuntur, ejus libri: quorum si quis experimentum capere voluerit, in magnâ verborum copiâ miram reperiet sententiarum inopiam. Hunc igitur Eunomium Eudoxius, ut dixi, ad Cyzicenæ urbis Episcopatum promovit. Qui cùm illùc venisset, familiari sibi arte dialecticâ usus, auditorum animos conturbavit. Undè tumultus Cyzici exortus est. Tandem verò Cyziceni, cùm inanem verborum ejus fastum ferre non possent, ex civitate eum ejecerunt. Ille autem Constantinopolim profectus, illic cum Eudoxio mansit, et vacans habebatur Episcopus. Verùm ne obtrectandi causâ hæc dixisse videamur, ipsa Eunomii verba, si placet, audiamus, quæ sophistæ more disputans de Deo ausus est dicere. Sic enim ait ad verbum: De suâ ipsius substantiâ Deus nihil ampliùs scit quàm nos: nec illa ipsi quidem notior, nobis autem et obscurior. Sed quidquid nos de illâ scimus, hoc omninò et ille novit: et contrà quidquid ille scit, idem etiam in nobis absque ullâ discrepantiâ reperies. Has et alias ejusmodi plures sophisticas ratiocinationes contexens Eunomius, præ stupore errorem suum non animadvertebat.

Cap. 13. Eunomius ab Eudoxio sejunctus, conventus seorsùm celebravit, eò quòd Eudoxius sæpenumerò ab ipso rogatus, ut Aetium præceptorem suum reciperet, id facere recusârat. Nec tamen Eudoxius suâ sponte hoc præstitit: ipse enim opinionem Aetii minimè rejiciebat, quippè quæ eadem prorsùs esset cum ipsius opinione: sed propterea quòd omnes, qui cum Eudoxio consentiebant, Aetium ut contraria sentientem aversabantur. Hæc fuit causa quamobrem Eunomius ab Eudoxio secederet.

Lib. 5. *cap.* 24. Dicam eos, (*Eunomianos*) sacrum baptisma adulterasse. Non enim in trinitatem baptizant, sed in mortem Christi.

SOZOMENUS *Histor. Eccles. lib.* 4. *cap.* 25. Eunomius, is, qui posteà nominis sui hæresim condidit, in locum Eleusii (*Cyziceni Episcopi*) est subrogatus.

Lib. 6. *cap.* 26. Eunomius.... cùm Arianorum sectæ præesset, novam insuper hæresim invexit, quam alii quidem ex ejus nomine, alii verò Anomœorum appellant. Aiunt porrò hunc Eunomium primum omnium ausum esse asserere, quòd sacrum baptisma unicâ mersione peragendum sit; et Apostolicam traditionem, quæ etiammùm ubique servatur, corrupisse: aliam denique Ecclesiæ suæ disciplinam plerisque in rebus introduxisse, quæ gravitate ac severitate quâdam novitatem suam obtegeret. Fuit autem peritissimus dicendi artifex et disputationibus atque argumentis delectabatur. Certè plerosque eorum, qui hanc sectam profitentur, ejusmodi ingenio præditos licet cernere. Neque enim vitæ morumque probitatem, et in egentes misericordiam tantùm laudant in aliquo, nisi fortè is sectam ipsorum sequatur, quantùm laudare solent, si quis in disputando contentiosus fuerit, et adversarios ratiocinando superare videatur. Hujusmodi enim vir, præ reliquis omnibus pius ab illis existimatur. Alii verò dicunt, quos quidem veriora dicere arbitror,

siæ, quæ his statis diebus jejunari præcipiebat. Si quando jejunaret, jejunabat Dominicâ die, quia hâc die jejunari Ecclesiæ lege nefas erat. Celebritatem Paschatis inter Ju-

Theophronium Cappadocem, et Eutychium, istius hæresis defensores acerrimos.... cùm se ab Eunomio abrupissent, tùm alia ex Eunomii decretis, tùm ea, quæ ad sacrum baptismum pertinent, innovasse, asserentes non in Trinitatem, sed in Christi mortem baptizari oportere. Eunomium certè nihil hâc in parte novasse affirmant. Sed ab initio quidem opinioni Arii adhæsisse et in eâ perseverasse : Posteà verò cùm Episcopus Cyzici factus fuisset, accusatum esse à Clericis suis, tanquam novorum dogmatum assertorem. Itaque Eudoxium, qui Arianæ sectæ præerat Constantinopoli eum evocasse, jussisseque ut de suâ doctrinâ publicè in Ecclesiâ verba faceret. Cùmque nihil in eo damnasset, monuisse ut Cyzicum reverteretur. Eunomium verò respondisse, nolle se ampliùs versari cum iis, quos suspectos haberet. Et hanc quidem causam secessionis suæ illum prætendisse : reverâ autem ideò secessisse, quòd Aetium præceptorem suum suscipere renuissent. Post hæc Eunomium in propriis ædibus mansisse, nec de pristinâ sententiâ quidquam omninò mutasse. Et hæc alii quidem hoc modo, alii verò aliter narrant.... Apud ipsos (*Eunomianos*) in confesso est, eos, qui nondùm baptizati sunt, baptismum aliis conferre non posse. Qui verò ex ritu traditionis ipsorum baptizatus non fuerit, hic baptizatus ipsis non videtur, utpotè qui non rectè fuerit consignatus. Idque ipsi testantur, qui quoscunque ad sententiam suam pertrahere potuerint, rebaptizant, tametsi jam priùs baptizati fuerint juxta Ecclesiæ Catholicæ traditionem. Atque hæc quidem religionem nostram non mediocriter conturbârunt : iisque, qui Christianam fidem amplecti vellent, plurimum obstitit novorum subindè dogmatum varietas. Acres enim quotidiè fiebant disputationes ; et ut inter hæreseon exordia fieri solet, vigebant : quippè quæ assertores haberent zelo atque doctrinâ non vulgari præditos. Ac meo quidem judicio, plerosque ex Catholicis in suam sententiam pertraxissent, nisi Basilius et Gregorius Cappadoces sese illis opposuissent : ac nisi Theodosius, qui paulò post imperavit, impetum illorum repressisset, ipsosque hæreseon auctores, ex amœnioribus locis Imperii Romani in regiones desertas et squalidas deportasset. Porrò ne utriusque hæresis doctrinam penitùs ignoremus, sciendum est Eunomiani dogmatis auctores primum fuisse Aetium Syrum, qui Filium Patri dissimilem, et ex nihilo creatum esse, post Arium asseveravit. Itaque qui hanc opinionem sequebantur, Aetiani primùm sunt dicti. Postquàm verò.... aliis consubstantialem Patri Filium, aliis substantiâ similem asserentibus ; ii qui in Ariminensi Synodo prævalebant, statuerunt ut similis tantùm diceretur : Aetius quidem utpotè qui in Deum impiè loqueretur, exilio damnatus est. Hæresis verò quæ ab illo conflata fuerat, interea temporis quodammodò exstincta est, cùm nec alius quispiam alicujus momenti vir, nec Eunomius ipse eam palàm defendere auderet. Verùm ubi Cyzicenæ urbis Episcopatum Eleusii loco suscepit, non jam ampliùs se continuit : sed coram populo disserens, opinionem Aetii rursùs in medium produxit. Homines verò sicut plerùmque fieri solet, ejus qui hæresim illam primùm excogitaverat obliti, opinionis illius sectatores Eunomianos cognominârunt, propterea quòd Eunomius post Aetium hæresim illam renovaverat, et majore cum audaciâ quàm ille à quo primùm fuerat tradita, eam adstruxerat.

Cap. 27. Eunomium certè eadem cum Aetio sensisse omninò fatendum est. Nam et ipsemet Eunomius Aetium præceptorem suum fuisse jactat, idque sæpenumerò in libris suis palàm ac liberè testatur. *Cætera vide infrà litt.* (P) *hocce seculo 4. ubi de Apollinaristis.*

Lib. 7. cap. 27. Porrò Imperator (*Theodosius*) Eunomium eo tempore in exilium misit. Adhuc enim ille Constantinopoli degens, suburbanis, aut in privatis domibus, conventus Ecclesiasticos seorsùm agebat, et libros à se conscriptos recitabat, multosque in sententiam suam pertrahebat ; adeò ut brevi temporis spatio ingens esset numerus eorum, qui hæresim nominis illius sequebantur. Verùm ille paulò post quàm in exi-

dærorum fabulas collocabat, ideòque prohibebat hujus dici solemnitatem. (K) Hanc hæresim confutârunt præcipuè SS. Epiphanius et Augustinus. Singuli errores Aërii multis

lium missus fuisset, fato functus, sepulturam in patriâ sortitus est. Vicus hic erat Cappadocum, nomine Dacora, situs in territorio Cæsareæ, ad Argæum montem.

Eadem quæ suprà habet THEODORETUS *lib.* 2, Histor. Eccles. *cap.* 25.

(K) S. EPIPHANIUS *adversùs Aërium Hæres.* 75. *n.* 1. Fuit (*Aërius*) Eustathii Sebastiæ Episcopi (quæ est in Ponti regione, sive minoris Armeniæ) sodalis. Ambo enim monasticum vitæ genus amplexi sunt. Cùm autem Eustathius ad Episcopatum esset evectus, Aërius, etsi id magnoperè cuperet, eò tamen pervenire non potuit. Hinc simultas ex æmulatione conflata. Et quidem Eustathius Aerio plurimùm indulgere et addictus esse visus est. Nam et Presbyterum hunc posteà creavit, et Xenodochii, quod Ptocholrophium in Ponto vocatur, curam ei commisit.

N. 2. Sed cùm nullum succedendi modum faceret Aërius, rixæ ac jurgia in dies ingravescere, ac mutuæ simultates augeri. Ad hæc pessimi quidam rumores et calumniæ adversùs Eustathium ab Aerio spargi. Interim Eustathius Episcopus evocatum ad sese Aërium mulcere, adhortari, comminari, irasci, supplicare; neque quicquam tamen his rebus efficere. Nam quod ab initio constitutum, inchoatumque fuerat, ingentem in mali vim erupit. Postremò, relicto mendicorum hospitio, discedit Aerius. Quo ex tempore in omnem occasionem intentus, velut qui hostem opprimere ac telis appetere studet, versabat se in omnes partes, et apud omnes calumniosè deinceps Eustathio detrahens: Non is est, inquiebat, ampliùs, qui hactenùs fuit: sed ad rem attentus est, et cumulandis opibus totus incumbit. Quæ quidem per summam calumniam ab Aërio jactabantur.

N. 3. Hic igitur propter ejusmodi rationes omnium rerum abdicationem initio præ se tulit. Deinde Ptocholrophio relicto, magnam vim secum utriusque sexùs hominum abduxit; qui omnes ab Ecclesiis, agris, pagis, et oppidis arcebantur. Ac sæpenumerò totus ille cœtus nive perfusus, passim per campos sub dio degebat, aut ad prærupta saxorum, silvasque confugiebat. Est autem illius dogma supra hominis captum furiosum et immane. Imprimis enim: Quânam, inquit, in re Presbytero Episcopus antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus ordo, par et idem honor, ac dignitas. Manus imponit Episcopus, imponit et Presbyter: Baptizat Episcopus, idem facit et Presbyter: Divinum omnem cultum administrat Episcopus, non minùs id facit et Presbyter: Episcopus in Throno sedet, sedet et Presbyter. His in vulgus jactatis, plerosque in errorem abduxit, quorum sectæ princeps exstitit. Prætereà, quid est, inquit, Pascha, quòd à vobis celebratur? Nimirùm ad Judæorum adhuc fabulas adhærescitis: neque enim Paschatis solemnitas obeunda: *Quoniam Pascha nostrum immolatus est Christus.* (1. *Cor.* v. 7.) Pergit deindè: Et quæ ratio est, inquit, post obitum mortuorum appellare nomina? Nam ut vivus oret, aut in pauperes bona sua dispenset; quid ex eà re tandem ad mortuum redit? Quod si superstitum preces iis, qui ex hàc vitâ discesserint, opitulari possunt; nemo piè deinceps agat aliquid, neque boni quidquam faciat: sed amicos sibi aliquos, quâcunque ratione velit, adjungat: sive pecuniarum largitione, sive precibus hoc ab illis sub vitæ finem impetret, ut pro se Deum exorent, ut ne illic aliquid incommodi patiatur, nec immanium à se facinorum pœnæ repetantur. Sed neque jejunii, inquit, instituendi ulla ratio est. Hæc enim omnia Judæorum propria sunt, et cuidam servitutis jugo subjecta. Quippè *Justo nulla lex posita est: sed parricidis, ac matricidis dantaxat, et id genus aliis.* Nam si jejunare omnino decreverim, quâcunque libuerit die, sponte, et integrâ libertate jejunabo. Hinc est quòd isti dominicâ die jejunare potiùs affectant; quartâ verò, sextâque feriâ vescantur. Quanquam sæpenumerò quartâ feriâ jejunent, non ullâ lege, sed voluntate, ut asserunt, inducti. Porrò diebus ipsis Paschatis, quod tempus humi cubando, castimoniam servando, afflictandoque corpore, necnon et aridorum ciborum usu, precibus, vigiliis, jejuniis, ac

in Conciliis antiquis jam erant anteà proscripti. Eos posteà damnavit iterùm Ecclesia, quoties sese dedit occasio.

PHOTINUS Sirmiensis Episcopus, Arium ipsum impietate et blasphemiis superavit, accessitque magis ad impietatem Pauli Samosateni quàm Arii. Contendebat enim sicut ille, et sicut ore blasphemo pronuntiant etiamnùm Sociniani, Christum Jesum fuisse purum hominem et nullâ sui parte exstitisse antequàm de Mariâ nasceretur. Verbum Dei negabat esse distinctam à Patre personam. Arius autem, ut diximus, fatebatur quidem exstitisse Verbum ante mundi creationem et in Christo subsistere, sed negabat illud esse Patri consubstantiale, et Deum propriè loquendo : illud enim creatum esse et ex nihilo productum esse contendebat. (L) Ab iisdem Patribus et Conciliis dam-

reliquis id genus saluberrimis corporis cruciatibus celebrare solemus ; illi è contrario jam tùm diluculo obsonari solent, et carnibus vinoque distenti cachinnari, ridere, eosque, qui illam Paschatis hebdomadem sanctissimis illis religionibus traducunt, ludibrio habere.

S. PHILASTR. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal hæres. quæ sub Apost. exstiterunt, n.* 25. Aërii ab Aërio quodam sic appellati sunt, qui abstinentiis vacant, et in provinciâ Pamphylià quàmplurimi commorantur, qui et Encratitæ dicuntur, id est, abstinentes. Hi non possident aliquid, escas abominantur, quas Deus cum benedictione humano generi tribuit, damnant etiam de lege nuptias, non à Deo institutas asserentes.

S. AUG. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum.* Aëriani ab Aërio quodam sunt, qui cum esset Presbyter, doluisse fertur quòd Episcopus non potuit ordinari ; et in Arianorum hæresim lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla, dicens offerri pro dormientibus non oportere ; nec statuta solemniter celebranda esse jejunia, sed cùm quisque voluerit jejunandum, ne videatur esse sub lege. Dicebat etiam Presbyterum ab Episcopo nullà differentià debere discerni. Quidam perhibent istos, sicut Encratitas vel Apotactitas, non admitterre ad communionem suam nisi continentes, et eos qui seculo ita renuntiaverint, ut propria nulla possideant. Ab escà tamen carnium non eos abstinere dicit Epiphanius : Philaster verò et hanc eis tribuit abstinentiam.

(L) S. EPIPHANIUS *Contra Photinianos. Hæres.* 71. *n.* 1. Per idem tempus Photinus, à quo Photiniani prodierunt, emersit Catholicæ Ecclesiæ quondam Episcopus ; qui haud mediocri furore percitus superiores omnes insaniâ superavit, eademque cum Paulo Samosateno, imò atrociora quædam de Dei Filio mente concepit, in quem plenos contumeliæ sermones, nec ullà soliditate firmatos evomuit. Hic oriundus Sirmio, Constantio Imperante, infelix doctrinæ suæ lolium in orbe disseminavit... Hic Christum à principio negat exstitisse, sed jam tum à Mariâ Virgine initium accepisse, ac recentem esse : ex quo Spiritus, inquit, sanctus in illum descendit, et è Spiritu sancto genitus est. Quem quidem Spiritum sanctum Christi esse putat, audax architectus, et cœlestium, quæ sermone explicari nequeunt, dimensor. Fuit hic prompti à ad loquendum ac volubili linguâ, adeò ut plerosque verborum ipsâ pronuntiatione, et dicendi celeritate in fraudem posset impellere. Sæpè enim à multis refutatus est, post illam sui purgationem, quam in Sardicensi synodo suscepit, cùm ab Episcopis pestiferæ doctrinæ, quam proposuerat, rationem reddere est jussus. Etenim Constantium imperatorem adiens, tanquam iniquè depositus esset, causæ suæ judices, ac disceptatores petiit, quibus frustrà sibi abrogatum esse Sacerdotium probaret. Ob id Imperator judices misit, apud quos ille causam ageret, Thalassium, et Datianum, Cerealium, Taurum, Marcellinum, Evanthium, Olympium, et Leontium; datumque Basilio Ancyrano negotium, ut illum interrogaret, et quæ ab eo purgarentur, aut admitterentur refelleret.

N. 2. Porrò cùm de illo Basilius sciscitaretur, quomodò Scripturæ sa-

nata fuit Photini impietas, à quibus Arii et Pauli Samosateni blasphemias confutatas et proscriptas fuisse suprà diximus

cræ de Domino ac Deo verbo docerent, *ante omnia secula unigenitum illum, et cum Patre fuisse:* Photinus adhibitâ distinctione ita quod dicebatur, probabat, partim ut ad Christum, partim ad Verbum referri oportere judicaret. Nam his verbis; *Faciamus hominem ad imaginem nostram et ad similitudinem.* (*Gen.* 1. 26.) Verbum suum Pater alloquitur. Quid igitur? Erat, inquit, in Patre Verbum: sed nondùm erat Filius. Item; *Pluit Dominus à Domino*, quòd in Patre Verbum esset. Et *vidi*, inquit, *descendentem supra nubes, quasi filium hominis:* quòd velut ante denuntians dixit: non quòd adhuc Filius existeret, sed id ipsum solum, cui Filii nomen erat aliquando tribuendum, post Mariam videlicet; quòdque ex carne proditurum erat, Christus nimirùm de Spiritu sancto Mariàque genitus: in quem sic, tanquam anticipatione quàdam, universa conferuntur. Quanquam nondùm ipse quidem existebat, sed Verbum duntaxat, quemadmodùm et verbum illud, quod in me est.

S. PHILAST. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. hæres. quæ sub Apost. exstiterunt*, *n.* 18. Photinus doctrinam ejus (*Pauli Samosateni*) secutus, in omnibus similiter prædicabat, inque hoc mendacio perseverans, projectus est de Ecclesiâ Sirmiensium civitatis à sanctis Episcopis superatus.

Ex CONCIL. II. ANTIOCH. *ann.* 344. *aut fidei Exposit. apud* SOCRATEM 345. *Lib.* 2. *Hist. Eccles. cap.* 19. Quamvis tres confiteamur res, tresque personas, Patris videlicet ac Filii et Spiritus sancti juxta sacras Scripturas: non ideò tamen plures facimus Deos. Unum enim ex seipso perfectum et ingenitum, principiique expertem et invisibilem Deum novimus, Deum scilicet ac Patrem unigeniti: qui ipse quidem solus ex seipso habet ut sit: reliquis autem omnibus copiosè præstat ut sint. Porrò tametsi unum Deum esse dicamus Patrem Domini nostri Jesu Christi, qui solus sit ingenitus; Christum non idcircò negamus Deum esse ante secula: quod quidem faciunt Pauli Samosatensis discipuli, affirmantes illum post incarnationem ex profectu ac promotione quàdam Deum esse factum, cùm naturâ nudus ac simplex homo exstitisset. Scimus enim illum, quamvis Patri ac Deo subjectus sit (*ut homo*,) nihilominùs tamen genitum ex Deo, Deum naturâ esse perfectum ac verum: et non ex homine Deum posteà factum, sed ex Deo hominem propter nos factum esse, nec unquam Deum esse desivisse. Exsecramur præterea et anathematizamus eos qui illum nudum duntaxat ac simplex Dei verbum, nec ullâ subsistentiâ præditum, falsò appellant, quòd in alio suam essentiam habeat: nunc quidem instar verbi, quod prolatitium vulgò dicitur: nunc verò instar verbi, quod internum nominatur: ipsum verò Christum ac Dominum et Filium Dei, ac mediatorem, atque imaginem Dei non fuisse ante secula contendunt: sed ex eo tempore Christum ac Filium Dei illum esse cœpisse, ex quo carnem nostram assumpsit ex Virgine ante quadringentos circiter annos. Ab eo enim tempore volunt Christum regni sui habuisse principium: et hoc regnum post mundi consummationem atque judicium finis habiturum. Hujusmodi sunt sectatores Marcelli atque Photini Ancyranorum, qui æternam Christi essentiam ac divinitatem, ejusque perpetuum et immortale regnum perindè abrogant, ut monarchiam stabilire videantur. Nos verò intelligimus illum non esse duntaxat verbum Dei prolatum et internum, sed Verbum vivens ac per se subsistens, utpote Deum Verbum, Deique Filium et Christum. Nec per solam præscientiam illum cum Patre semper fuisse, et ante omnia secula cum eo fuisse versatum, inservientem illi ad creationem omnium rerum, tam visibilium quàm invisibilium: sed substantiale Patris Verbum, et Deum ex Deo illum profitemur. Ipse enim est cui dixit Pater: (*Genes.* I. 26.) *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram:* qui antiquis patribus personam suam spectandam exhibuit, qui Legem dedit, qui loculus est per Prophetas: qui ad extremum homo factus, Patrem suum cunctis hominibus manifestavit: qui denique regnat in perpetua secula. Neque enim nullam dignitatem recens adeptus est Christus: sed cum ab omni ævo perfectum, Patrique per omnia similem fuisse credimus.

Massaliani (vel *Messaliani*,) qui et *Euchitæ*, id est precatores, fanaticorum genus fuit in multis convenientium cum iis quos sub *Quietistarum* nomine nostrâ ætate damnavit Ecclesia. Hi præcipui horum errores fuêre : baptisma nihil prodesse, utpotè quòd raderet quidem novaculæ instar peccata, sed eorum radices non evelleret, solà autem oratione tolli peccatorum radices et dæmonem ab animabus expelli. Solam orationem bonorum operum omnium loco esse affirmabant: ideòque nulli omninò vacabant operi ; sed vel orabant vel somno indulgebant. Multis se revelationibus illustratos esse mentiebantur, esseque se in vitâ spirituali versatissimos jactitabant : nulli tamen vacabant jejunio, carnis mortificationem aspernabantur, et effusi erant in omne libidinis et immunditiæ genus. Nullam fecêre propriè loquendo sectam, quæ fuerit seorsim ab Ecclesiâ congregata, suosque pastores habuerit. Ipsi enim suos errores summo studio occultabant, et negabant prorsùs, si fuissent detecti. (M)

Socrates *Hist. Eccles. Lib.* 2. *cap.* 18. *versùs finem.* Cùm inter Occidentales adhuc et Orientales esset indiscreta communio : Sirmii, quæ civitas est Illyrici, alia hæresis exorta est. Nam Photinus, qui ejus loci Ecclesiis præsidebat, ortus ex minore Galatiâ, et Marcelli ejus qui Episcopatu dejectus fuerat, olim discipulus, magistri sui insistens vestigiis, Filium Dei nudum ac simplicem esse hominem prædicavit.

Cap. 29. Tunc temporis etiam Photinus Ecclesiæ illius (Sirmiensis) Antistes, dogma à se excogitatum multò quàm anteà manifestiùs prædicabat. Ex quo cùm tumultus esset obortus, Imperator synodum Episcoporum in urbe Sirmio fieri jussit. Conveniunt igitur illùc (Episcopi)... Hi... cùm Photinum dogma Sabellii Libyci Paulique Samosatensis asserere deprehendissent, statim eum deposuerunt. Et hoc quidem tanquam rectè ac jure factum universi et tunc et posteà approbârunt.

Cap. 3. *Duæ fidei formulæ Sirmii editæ sunt, Catholicam fidem minùs fideliter exhibentes.* His ut consentiret Photinus, *inquit Socrates*, ac subscriberet, etiam post depositionem ei persuadere conabantur (*Episcopi Ariani:*) suum illi Episcopatum se reddituros pollicili, dummodò ad sanam mentem reversus, dogma quidem à se excogitatum damnaret, ipsorum autem fidei consentiret. At ille oblatam sibi conditionem aspernatus, eos ad disputationem provocavit. Igitur constituto ad eam rem die, ex ipsius quoque Imperatoris sententiâ, convenium tùm Episcopi, qui illic aderant, tùm Senatorii ordinis haud pauci, quos Imperator disputationi interesse præceperat. Coram illis Basilius, Ancyranæ tùm Ecclesiæ Præsul, in certamen descendit cum Photino, Notariis verba eorum excipientibus. Certatum est utrinque maximâ contentione verborum atque rationum, victus tamen Photinus et condemnatus est. Qui postmodùm in exilio vitam agens, librum Græco et Latino sermone scripsit, quippè qui ne Latinè quidem esset ignarus. Scripsit porrò adversùs omnes hæreses, suum ipsius dogma tantummodò proponens.

Sozomenus *eadem ferè narrat* Histor. Eccles. *Lib.* 4. *cap.* 6. *quem adire potes.*

Theodoret. *Hæret. fab. Lib.* 3. *n.* 11. Photinus verò unam esse dixit operationem Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, aliis nominibus Sabellii sensum prædicans. Contra (*hunc*) scripsit divinus Diodorus, qui Cilicum rexit metropolim, ostendens Christum, Deum ante secula, in ultimis diebus hominem factum esse, hominumque salutem procurasse.

(M) S. **Epiphan.** *Contra Massalianos Hæres.* 80. *n.* 1. (*Hæresis*) alia nobis emersit, ridicula illa quidem, nec ullo modo cohærens, è viris pariter, et infelicibus mulierculis conflata. Massalianos illos vocant, quæ vox orantes significat. Hi aliquot abhinc annis prodire cœperunt, sub Constantii ferè Imperatoris tempus. Secundùm quos Euphemitæ coorti sunt,

qui et Massaliani vocantur, quos credibile est priores illos imitari studuisse. Verum isti quidem è Gentilibus profecti, neque Judæorum sectam, neque Christianorum amplexi sunt, nec inter Samaritanos censentur: sed gentiles omninò sunt; et cùm esse Deos asserant, nullum tamen adorant; sed unum duntaxat venerantur quem omnipotentem appellant. Qui quidem certas sibi domos fabricantes, et laxiores, fororum instar, areas, proseuchas illas nominárunt.

N. 2. Igitur Massaliani antiquiores è Gentilibus excitati, qui hodiernos istos, à quibus Christianum nomen usurpatur, antecesserunt, nonnullis in regionibus carinarum instar fastigiatas ædiculas construxerunt, quas proseuchas, sive Oratoria, nuncupant. Alibi verò tam in Occidente quàm in Oriente eadem illa loca ad Ecclesiæ formam condiderunt: ubi ingenti lucernarum, ac facium accensà copià, conventus habent. Tùm certos hymnos, quos illius gregis studiosi quidam scripserunt, ac Dei laudes concinunt: quibus magno sanè errore Deum se placare, ac conciliare sibi putant... Nonnulli magistratus religionis ardore flagrantes quamplurimos ex illis occiderunt: eò quòd veritatem adulterando corrumperent, et Ecclesiæ morem præposterà quàdam imitatione auderent exprimere:... quà ex occasione nova facta est erroris accessio. Quidam enim eorum, qui ob gentilem istam impietatem interfecti fuerant, corpora certis in locis sepelientes, illic easdem illas laudes, hymnosque decantant, et Martyrianos appellari se volunt, propter illos videlicet, qui ob Idolorum cultum martyrium fecerant.

N. 3. Sed eorum rursùs alii altius quiddam, pro stultitiæ suæ captu concipientes animo, ac nihil præter mentem suam in consilium adhibentes, jactare istud ausi sunt: Satanas, inquiunt, magnus quidam est, ac longè fortissimus, et mala quàmplurima hominibus infligit. Cur igitur non ad hunc potiùs confugimus, et eum adoramus, atque honore prædicationeque veneramur, ut adulatorio illo cultu conciliatus nocere desinat: imò verò nostrùm, inquiunt, sic tanquam servorum suorum rationem habeat, et ignoscat? Ergo illi Satanianos semetipsos appellant... At qui hodiè Massaliani vocantur... tam viri quàm mulieres credere in Christum videntur, ac se mundo renuntiassè, et sua omnia deseruisse profitentur. Tùm verò promiscuè sexûs utriusque dormientes omnes in spatiosissimis vicis per æstatem jacent; quòd se quicquam in terrâ possidere negent. Soluti porrò ac vagi sunt, et manus ad stipem porrigunt, perindè ac victu et possessione carentes. Sed eorum sermones stoliditatem omnem superant. Quemcunque enim ex illis interrogaveris, talem se, qualem volueris, esse fatebitur. Sive Prophetam dixeris, Prophetas se esse dicent, sive Christum nomines, Christum se esse quilibet respondebit: sive Patriarcham, hoc ipsum sibi nomen impudenter attribuet: sive Angelum denique, talem se non dubitabit asserere. O singularem hominum vecordiam! Quod ad jejunium verò spectat, hoc apud illos nullum est omninò. Verùm toti videlicet in orationes intenti, à secundâ, tertiâve horâ, vel etiam noctu, si esuriant, nihil non pro suâ libidine faciunt, ac cibo, potuque se ingurgitant. De illorum turpitudine, ac flagitiis nihil certò comperi. Sed ab iis nequaquam abhorrere vel eorum consuetudo persuadet, quâ promiscue viri cum mulieribus cubant. Cæterùm Antiochiæ quoque sedes habent, quò è Mesopotamiâ sese contulerunt.

N. 4. Hoc verò longè perniciosissimum dogma ex nimiâ quorumdam fratrum imperitiâ manavit. Qui cùm rectè alioqui de fide sentirent, vitæ ex Christi Domini præscripto instituendæ modum nequaquam intellexerunt: quatenùs renuntiare mundo, ac bonis se suis et facultatibus abdicare, fortunas suas vendere, ac pauperibus dilargiri, crucem ferre, ac seriò sequi se mandavit; non ut iners, et otiosus quispiam esset, aut intempestivè helluaretur, ac fucorum inter apes similis foret: quin imò suis ut manibus opus faceret.

N. 6.... Est et alia quædam vivendi forma, ac disciplina, quâ istius modi venerandi nostri fratres utuntur, qui in Mesopotamiâ in monasteriis, quas *Mandras* appellant, domicilium fixerunt. Qui et comas mulierem in modum promittunt, et cilicium propalàm affectant... Est enim ab Ecclesiæ Catholicæ et Apostolorum doctrinâ prorsùs alienum, cili-

Hæc accepimus à S. Epiphanio et Theodoreto qui eos confutârunt. Damnati sunt illi in Concilio Ephesino, quod fuit tertium ex œcumenicis. (N)

cium palàm præ se ferre, ac comam summittere. * *Vir enim*, inquit Apostolus (1. *Cor.* XI. 7.) *comam nutrire non debet; cùm imago Dei sit, et gloria.*

N. 7. Sed deterius quiddam, ac contrarium ab illis geritur: siquidem isti barbam, hoc est propriam viri formam, resecant; capillos verò ut plurimum prolixiores habent. Atqui quod ad barbam attinet, in Apostolorum constitutionibus divino sermone, ac dogmate præscribitur, ne ea corrumpatur: hoc est ne barba ponatur, neve meretricius cultus et ornatus usurpetur.

S. AUG. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum*, *n.* 57. Postremam ponit Epiphanius Massalianorum hæresim: quod nomen ex linguâ Syrâ est. Græcè autem dicuntur *Euchitæ*, ab orando sic appellati. Tantum enim orant, ut eis, qui hoc de illis audiunt, incredibile videatur. Nam cùm Dominus dixerit, (*Luc.* XVIII. 1.) *oportet semper orare, et non deficere;* et Apostolus (1. *Thessal.* V. 17.) *Sine intermissione orate:* quod sanissimè sic accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi: isti ita nimis hoc faciunt, ut hinc judicarentur inter Hæreticos nominandi. Quamvis nonnulli eos dicant de purgatione animarum nescio quam phantasticam et ridiculam fabulam narrare, porcam scilicet cum porcellis videri exire de ore hominis quando purgatur, et in eum visibili similiter specie ignem, qui non comburat, intrare. His adjungit Epiphanius Euphemitas, Martyrianos, et Satanianos, et hos omnes cum illis, tanquam unam hæresim ponit. Dicuntur Euchitæ opinari, Monachis non licere sustentandæ vitæ suæ causâ aliquid operari, atque ita se ipsos Monachos profiteri, ut omninò ab operibus vacent.

THEODORET. *Hæret. fab. lib.* 4. *n.* 11. Messaliani autem, quod nomen in Græcam linguam translatum Euchitas seu precatores significat, baptisma dicunt suscipientibus nihil prodesse. Novaculæ namque instar præcedentia peccata aufert, peccatorum verò radices stirpitùs non exscindit. Perpetua autem oratio, et peccati radicem funditùs evellit, et malum dæmonem, qui ab initio datus est, ab animâ expellit. Unicuique enim homini, cùm nascitur, adesse mox dæmonem dicunt, eumque ad absurdas actiones incitare. Hunc autem nec baptisma, nec aliud quicquam posse ab animâ exigere, præter solam orationem. Egredi verò inhabitantem dæmonem dicunt per mucum et sputi excrementa. Sic decepti homines miserrimi, nullum opus aggrediuntur, (Spiritales enim seipsos vocant) sed ubi orationi vacârint, diei maximam partem dormiunt. Deindè à dæmone qui eos agitat decepti, revelationes se vidisse perhibent, et futura prædicere conantur, rebus autem ipsis mentiri convincuntur. Jactant etiam se et Patrem videre et Filium et Spiritum sanctum oculis corporis, Spiritûsque adventum sensu percipere. Parati autem sunt ad negandum, et si urgeantur, protinùs anathematizant eos, qui horum aliquid dicunt.... Sed et alia multa faciunt, quæ phrenesim arguunt. Nam et repentè saltant et super dæmones se saltasse jactant, et digitis sagittantium speciem præferunt, in dæmones se jaculari affirmantes. Et alia pleraque agunt simili furore plena, undè et Enthusiastarum nomen sortiti sunt. Hujus hæresis principes fuerunt Sabbas, et Adelphius, et Daodes, et Symeones, et Hermas, et alii quidam. Scripsit autem adversùs istos Epistolas, cùm hæresim deprehendisset, Letoïus Melitines Episcopus. Accuratiùs verò hæresim confodit longè optimus Amphilochius, qui Iconii Ecclesiam rexit, ipsa illorum verba actis à se confectis inserens, quæ dogmatis differentiam apertè declarant.

(N) CONCILII EPHESINUM *Generale*, *Act.* 7. *parte* 2. *in fine*, *ann.* 431. Omnes qui per universam provinciam Hæretici Messaliani, vel Enthusiastæ sunt, vel de ejus hæreseos morbo suspecti, sive clerici, sive laïci sint, conveniantur: et si quidem anathematizaverint, juxta ea quæ in Synodo pronuntiata sunt, in scriptis: si clerici fuerint, maneant clerici: si laïci, ad communionem admittantur. Quòd si renuerint anathematizare, si Presbyteri vel Diaconi fuerint, vel in alio quopiam gradu Ecclesiæ, ex-

LUCIFER Episcopus Calaritanus in Sardaniâ, vir alioqui sanctitate vitæ et integritate fidei commendabilis, sejunxit se, præ nimiâ severitate, à communione Episcoporum Catholicorum qui ad communionem recipiebant Episcopos Arianos ad Ecclesiam redeuntes, eosque qui lapsi quondam in persecutione Arianorum pœnitentiam exposcebant. (O)

Luciferiani dicti sunt ii qui in illo schismate permanserunt. Et quidam ex illis hæresim junxerunt cum schismate, docentes iterùm baptizandos esse Arianos cæterosque Hæreticos ad Ecclesiam revertentes. Id accepimus ex S. Hieronymi Dialogo adversùs Luciferianos. Scripsit quoque

cidant et à clero et à gradu, et à communione : laïci verò anathematizentur. Convicti quoque non permittantur habere monasteria, ut ne zizania diffundantur et crescant.

(O) S. AUG. *de Correctione Donatistarum, seu Epist.* 185. *aliàs* 50. *ad Bonifacium c.* 10. *n.* 47. Sic multitudinibus per schismata et hæreses pereuntibus subvenire consuevit (*Ecclesia.*) Hoc displicuit Lucifero, quia factum est in eis suscipiendis atque sanandis, qui veneno perierant Ariano: et cui displicuit, in tenebras cecidit schismatis, amisso lumine charitatis.

De Agone Christiano, c. 30. *n.* 32. Nec eos audiamus qui..... præciderunt se ab unitate, et Luciferiani magis dici quàm Catholici maluerunt... Hi sunt enim de quibus Apostolus dicit (2. *Tim.* III. 5.) *Habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Est enim magna virtus pietatis, pax et unitas : quia unus est Deus. Hanc illi non habent, quia præcisi ab unitate sunt... Quod ipsi (*Luciferiani*) præcidi à radice voluerunt, quis non detestandum esse cognoscat ? Et ideò maximè, quia hoc eis displicuit in Ecclesiâ Catholicâ, quod verè Catholicæ sanctitatis est.

In Psal. 67. *n.* 39. *vide suprà* §. 9. *hocce capit. litt.* (G)

SOCRATES *Hist. Eccles. lib.* 3. *cap.* 9. Eusebius Vercellensis Episcopus, statim post Synodum Alexandriâ digressus, Antiochiam perrexit. Cùmque illic Paulinum quidem à Lucifero ordinatum, plebem verò inter se dissidentem reperisset : nam Meletii fautores separatim conventus agebant; commotus eò quòd ordinationi illi non omnes consentirent, apud se quidem factum damnavit ; sed ob reverentiam erga Luciferum, rem dissimulans abscessit : pollicitus se in Episcoporum Concilio cuncta emendaturum. Posteà tamen cùm magnopere laborasset, ut partes dissentientes ad concordiam reduceret, id perficere non potuit. Interea Meletius ab exilio regressus est. Qui cùm sectatores suos seorsùm à reliquis collectas agere deprehendisset, eis præfuit. Sed Euzoïus quidem Arianæ perfidiæ Antistes Ecclesiis potiebatur. Paulinus verò unam duntaxat ex minoribus Ecclesiis intra urbem obtinuit, ex quâ illum Euzoïus reverentiâ viri commotus, non ejecerat. At Meletius extra urbis portas plebem colligebat. Ad hunc igitur modum Eusebius tunc temporis Antiochiâ discessit. Lucifer verò cùm ordinationem suam ab Eusebio susceptam non esse intelligeret, eam rem contumeliæ loco ducens, permoleste tulit. Proindè ab Eusebii communione sese abjunxit, et ea quæ à Synodo decreta fuerant, studio contentionis abduetus, cœpit reprehendere. Hæc dùm per tempus discordiarum geruntur, multos ab unitate Ecclesiæ segregârunt. Quippè nova tunc exorta est hæresis eorum, qui Luciferiani dicuntur. Verùm Lucifer iram suam explere non valuit. Constrictus enim suis ipsius pollicitationibus tenebatur, quibus per Diaconum missis spoponderat, se decretis Concilii assensurum. Itaque ipse quidem Ecclesiasticam retinens fidem, in Sardiniam ad propriam sedem recessit. Hi verò qui unà cum ipso primùm fuerant exulcerati, hactenùs ab Ecclesiâ segregati permanent.

Eadem iisdem prorsùs verbis narrat SOZOMENUS, Histor. Eccles. *lib.* 5. *cap.* 13.

contra eos S. Augustinus, aitque : « (*Lib. de Hæres. ad Quod-*
» *vultdeum, n.* 81.) scripsisse quemdam eos in hunc erro-
» rem stultissimum prolapsos, ut animam dicerent ex
» transfusione generari, eamdemque dicerent et de carnis
» esse substantiam. » (P)

APOLLINARISTÆ sic dicti à magistro suo *Apollinari*, Presbytero Ecclesiæ Laodicenæ, et ejus filio nominis ejusdem, ejusdemque Ecclesiæ Lectore. Existimabant nullam in Christo esse animam rationalem ; sed ejus vicem supplere Verbum divinum : ita ut Verbum et corpus Christi una substantia fuerit, adeòque Verbum Dei passum sit et cruci affixum. Carnem Christi non ex carne Virginis formatam, sed è cœlo delapsam fuisse in uterum Virginis, ipsamque Verbi divini substantiam in corpus fuisse transmutatam. Minorem esse Spiritum sanctum Filio, Filium Patre. *Millenariorum* errorem, cui, ut scribunt Eusebius et S. Hieronymus, Papiæ sancti Joannis Evangelistæ discipuli simplicitas locum olim dederat, de terreno post judicium Christi regno, renovârunt. (Q) Fidem Catholicam adversùs

(P) S. HIERONYM. *adv. Lucifer. cap.* 8. *Lucifer....* Restat unum, quod, quæso te, ut edisseras quid adversùm Hilarium dicendum sit, qui ne baptizatos quidem recipiat ab Arianis. *Orthod....* Hilarius cùm Diaconus de Ecclesiâ recesserit, solusque, ut putat, turba sit mundi, neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos et Presbyteros non habeus, neque baptisma sine Eucharistiâ tradere : et cùm jam homo mortuus sit, cum homine pariter interiit et secta quia post se nullum Clericum Diaconus potuit ordinare : Ecclesia autem non est, quæ non habet Sacerdotes. *Verùm Hilarius paucos admodùm in suam opinionem traxit, siquidem omnes ferè Luciferiani Arianos Laïcos cum solâ manûs impositione recipiebant ; at Episcopos Arianos nullatenùs pro Episcopis habebant, nec eos nisi Sacerdotio deposito, admittere volebant, uti docet* S. Hieron. *in Dial. adv. Lucif. cap.* 2. *his verbis* (*Orthod.*) Expone mihi, quare Laïcum venientem ab Arianis recipias, Episcopum non recipias. *Lucif.* Recipio laïcum, qui errasse se confitetur : et Dominus mavult pœnitentiam peccatoris, quàm mortem. *Orthod.* Recipe ergo et Episcopum, qui et errasse se confitetur, et Deus mavult pœnitentiam peccatoris, quàm mortem. *Lucifer.* Si errasse se confitetur, cur Episcopus perseverat ? Deponat Sacerdotium : concedo veniam pœnitenti. *Orthod.* Respondebo tibi et ego sermonibus tuis. Si laïcus errasse se confitetur ; quomodò laïcus perseverat ? Deponat Sacerdotium laïci, id est, baptisma : et ego do veniam pœnitenti.... *Lucif.* Recipimus laïcos, quoniam nemo convertetur, si se scierit rebaptizandum : et ita fiet, ut nos simus causa perditionis eorum, si repudientur, etc.

S. AUG. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, n.* 81. Luciferianos à Lucifero Calaritano Episcopo exortos, et celebriter nominatos, nec Epiphanius, nec Philaster inter Hæreticos posuit : credo tantummodò schisma, non hæresim eos condidisse, credentes. Apud quemdam tamen, cujus nomen in eodem ejus Opusculo non inveni, in Hæreticis Luciferianos positos legi per hæc verba : *Luciferiani*, inquit, *cum teneant in omnibus Catholicam veritatem, in hunc errorem stultissimum prolabuntur, ut animam dicant ex transfusione generari ; eamdemque dicunt et de carne et de carnis esse substantiâ.* Utrum ergo iste propter hoc quòd de animâ ita sentiunt, (si tamen verè ita sentiunt,) eos inter Hæreticos ponendos esse crediderit, rectèque crediderit ; an etiam si id non sentirent, sive non sentiunt, ideò tamen sint Hæretici, quia dissensionem suam pertinaci animositate firmârunt, alia quæstio est, neque hoc loco mihi videtur esse tractanda.

(Q) S. EPIPHAN. *contra Dimocritas seu Apollinaristas, hæres.* 77. *n.* 1....

eos scriptis et verbis confirmârunt imprimis SS. Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Epiphanius, Theodoretus, Ambrosius, Fulgentius, etc. Damnati sunt

Nonnullis nostrorum placuit, et quidem primariis, atque à nobis et ab omnibus Orthodoxis divinis propemodùm honoribus affectis, mentem ab Christi incarnatione dimovere, eumdemque carnem cum animâ duntaxat suscepisse, mentem verò nequaquam, asserere: hoc est non perfectum hominem induisse....

N. 2. Egregius ille, ac venerabilis senex, quem nos, et beatæ memoriæ Papa Athanasius, imò verò Catholici omnes unicè dileximus, Apollinaris Laodicenus hujus dogmatis auctor ac propagator exstitit.... Nonnulli eò progressi sunt, ut Christum corpus è cœlo delulisse dicerent: quæ absurda peregrinaque comminiscendi licentia hominum semel animis incidens, ad graviora acerbioraque processit. Alii verò Christum animam assumpsisse negaverunt. Quidam ejusdem Christi corpus divinitatis consubstantiale non dubitârunt asserere. Quibus opinionum portentis Orientem magnoperè perturbârunt: propter quos conflari Synodum necesse fuit, ejusdemque decreto condemnari.

S. Athanas. *Epist. ad Epictet. ab ipso Epiphan. allegata, n. 4.* Quinam inferi illud eructârunt, consubstantiale divinitati Verbi corpus illud esse, quod à Mariâ genitum est? Aut Verbum ipsum in carnem, ossa, capillos, ac totum denique corpus esse conversum, et à suâpte naturâ mutatum? Quis omninò de Christianis audiit, Filium Dei specie ac fictione solâ corpus, non naturâ gessisse? Quis tam impius fuit, ut ipsammet ejusdem divinitatem circumcisam esse, atque imperfectam è perfectâ redditam fuisse sentiret, ac diceret? Item illud ipsum, quod in ligno suffixum est, non corpus exstitisse, sed substantiam ipsam naturæ totius opificem? Quis cùm istud audiat, non è Mariâ, sed ex propriâ substantiâ Dei Verbum obnoxium passioni sibi corpus effluxisse, Christianum qui hæc dixerit arbitretur? Quis exsecrandæ illius impietatis auctor est, ut ejusmodi quædam animo concipere, aut eloqui mininè formidaret, eum, qui dominicum è Mariâ corpus esse natum asserat, non trinitatem, sed quaternitatem divinitati tribuere? Adeò ut qui ita sentiunt carnem illam, quam Salvator è Mariâ virgine suscepit, ex ipsâ substantiâ Trinitatis esse fateantur. Jam verò undenàm parem huic, ac germanam impietatem evomere alii quidam in animum induxerunt, uti corpus ipsum non divinitate Verbi recentius, sed coæternum, ac perpetuò cum illo conjunctum exstitisse definiant, quandoquidem ab ipsâ sapientiâ constitutum est? Potuit-ne Christianis ab hominibus in dubium vocari, utrumnam Dominus noster de Mariâ virgine natus, substantiâ naturâque Dei Filius exstiterit: secundùm carnem verò è Davidis stirpe, ac sacro-sanctæ Virginis carne susceptus? Quinam porrò tantâ temeritate et audaciâ fuerunt, ut Christum illum assererent, qui in carne passus, et in crucem actus est, non esse Dominum, ac Salvatorem, et Deum, Patrisque Filium? Quonam pacto Christianos appellari se volunt, qui in sanctum hominem, perindè ut in aliquem de Prophetarum numero, delapsum esse Verbum, non ipsammet hominem factum esse profitentur, cùm ex Mariâ corpus induisset; sed alterum esse Christum, alterum Dei Filium, qui ante Mariam, et ante secula omnia Filius ex Patre prodierit; an vero Christiani esse possunt, qui alium esse Deum, aliud et ab illo diversum Dei Verbum prædicant.

N. 6. Hoc affirmare plerique non dubitant; quosdam ex illis in eâ esse sententiâ; Mariam post editum Christum cum Josepho viro suo consuetudinem habuisse.... Jam verò etiam hoc Apollinaris esse decretum nonnulli prædicant. In priori resurrectione mille nos annorum spatium iisdem in vitæ instilutis, quibus nunc utimur, esse confecturos, ut et Legem cùm aliis observemus omnibus, et quidquid est in mundo, quod ad usum quotidianum pertinet, velut nuptias, circumcisionem, ac cætera omnia participemus. Cujusmodi ab illo dogma defendi persuadere nobis omninò non possumus. Quanquam illum assertorem esse à nonnullis accepimus.

Apollinaristæ in Synodis habitis Alexandriæ an. 362. Romæ an. 373. Antiochiæ an. 378. demùm Constantinopoli an. 381 quæ Synodus fuit œcumenicarum altera.

Hæres. 78. *n.* 1. Ex Antidicomarianitarum grege nonnulli, quasi præcipuo quodam in Virginem odio suscepto, ut ejus gloriam obscurarent, sive invidiâ, sive erroris tenebris occæcati, quo mortalium animos inquinarent, eò temeritatis progressi sunt, ut sanctissimam Mariam post Christum in lucem editum cum viro suo Josepho consuetudinem habuisse dicerent. Quam quidem opinionem, ut suprà dixi, ab sene illo Apollinari, aut ab ejus discipulis manasse prædicant, de quo nondùm mihi liquidò constat.

S. Gregor. Nazianz. *in Epist. ad Nectarium Episc. Constantinop. apud* Sozom. *Hist. Eccles. lib.* 6. *cap.* 27. Apollinaristarum licentia, inter Ecclesiæ calamitates omnium est acerbissima. Quos quidem collectos perindè ac nos celebrandi facultatem sibi comparasse, nescio quomodò sanctitas tua passa sit.... Non intempestivum fuerint, ut gravitas tua ex tenuitate nostrâ discat, incidisse in manus meas libellum Apollinaris, in quo ea quæ adstruuntur, omnem Hæreticorum improbitatem excedunt. Affirmat enim carnem illam, quæ ab unigenito Dei Filio per dispensationem assumpta est ad naturæ nostræ instaurationem, adscititiam non esse : sed carnalem illam naturam ab initio fuisse in Filio. Et quædam verba ex Evangelio malè accipiens, ad hujus absurdæ opinionis confirmationem, adducit, ita dicens : (*Joan.* iii. 13.) Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit Filius hominis : adeò ut priusquàm descenderet, Filius hominis fuerit, descenderitque propriam afferens carnem ; eam scilicet quam jam in cœlo habebat, æternam et substantiæ illius coalitam. Profert enim rursùs quemdam Apostoli locum, in quo legitur (1. *Cor.* xv. 47.) secundus homo de cœlo. Deindè asserit hominem illum, qui è cœlo descendit, mentem non habere : sed unigeniti Deitatem, quæ mentis locum suppleverit, terliam fuisse partem humani compositi : cùm anima quidem et corpus juxta hominem naturam in eo essent : mens autem non esset, sed Deus Verbum ejus locum impleret. Nec hoc adhuc grave piaculum. Sed quod omnium longè gravissimum est, ipsum unigenitum Deum, qui omnium judex, qui auctor vitæ, qui mortis destructor est, mortalem esse contendit, et in propriâ divinitate pàssum esse ; et in tridunanâ illâ corporis morte divinitatem quoque ei commortuam fuisse ; atque ita demùm Patris beneficio ex morte ad vitam esse revocatam, etc.

S. Philastr. Brix. Episc. *Lib. de Hæres. in Catal. hæres. quæ sub Apost. exstiterunt. De Apollinaristis loqui videtur, n.* 22. *sub hoc titulo* : *Hæresis animam veram Christum non habuisse.* Alii sunt, qui circa incorporationem aberrant, dicentes non animam veram hominis rationalem accepisse Salvatorem, sed corpus solum hominis, et cùm subtrahunt animam à corpore, veram denegant hominum salubritatem. Quomodò itaque potest dici anima, quæ non sumpta est à Salvatore ? (*fortè*, animam non sumptam esse à Salvatore ?) cùm Salvator dicat : (*Matth.* xxvi. 38.) *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Alioquin anima dici non potuit, nisi esset in eo cujus causâ advenerat : itaque hæc utraque in comparatione Salvatoris, id est, corpus et anima, quæ pro nostrâ salute dignatus est sumere : scire nos convenit, quòd et animam veram hominis habuit intellectum habentem, et corpus hominis, sensum carnalem itidem, ut et dolere possit corpore, et emori, etc.

N. 23. Tropitæ sunt, qui dicunt conversum Verbum in carnem, non intelligentes quod ait Apostolus : Joannes (1. 14.) *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Non attendentes, quòd Verbum est immutabile, et inconvertibile, id est, Deus Dei Filius : caro autem quam accepit pro nostrâ salute, ipse eam formando assumpsit, et induit nostræ causâ incapacitatis, etc.

N. 44. Alia est hæresis, quæ dicit divinitatem doluisse, cùm caro pateretur in cruce conjuncta divinitati : errans in eo quòd divinitas pati non potest naturaliter, nec teneri, neque videri, etc.

S. Aug. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, n.* 55. Apollinaristas Apollina-

ris instituit, qui de animâ Christi à Catholicâ dissenserunt, dicentes, sicut Ariani, Deum Christum carnem sine animâ suscepisse. In quâ quæstione testimoniis Evangelicis victi, mentem, quâ rationalis est anima hominis, defuisse animæ Christi, sed pro hâc ipsum Verbum in eo fuisse dixerunt. De ipsâ verò ejus carne sic à rectâ fide dissensisse perhibentur, ut dicerent carnem illam et Verbum unius ejusdemque substantiæ, contentiosissimè asseverantes, Verbum carnem fuisse conversum atque mutatum, non autem carnem de Mariæ carne fuisse susceptam.

SOCRATES *Hist. Eccles. lib.* 2. *cap.* 46. Laodiceæ in Syriâ duo erant viri eodem nomine nuncupati, pater et filius. Uterque enim Apollinaris dicebatur. Et pater quidem Presbyteri gradum in Ecclesiâ obtinebat: filius verò Lectoris fungebatur officio. Ambo Græcorum disciplinarum magistri. Pater Grammaticam docebat: filius Rhetoricam. Pater oriundus fuit Alexandriâ. Cùmque Beryti primùm docuisset, posteà Laodiceam migraverat, atque ibi ductâ uxore, filium ex eâ susceperat Apollinarem. Florebat eodem tempore unà cùm illis Epiphanius Sophista. Cui cùm essent arctissimo amicitiæ vinculo conjuncti, omni studio eum fovebant. Theodotus verò Laodicenus Episcopus, veritus ne assiduâ hominis consuetudine paulatim ad Gentilium superstitionem delaberentur, vetuit ne ad illum ventitarent. At illi parvi-pendentes Episcopum, amicitiam Epiphanii constanter retinuerunt. Post hæc Georgius successor Theodoti, ab Epiphanii consuetudine eos avellere conatus: cùm id illis persuadere non potuisset, utrumque communione mulctavit. Id factum Apollinaris filius contumeliæ loco duxit: et sophisticâ dicendi facultate fretus, novam ipse quoque hæresim condidit, quæ ab auctoris nomine appellata etiamnùm viget. Sunt qui dicant, illos à Georgio dissensisse non tam ob causam suprà commemoratam, quàm quòd illum viderent absurda docentem: et nunc quidem profitentem, Filium Patri similem esse, quemadmodùm in Seleuciensi Concilio convenerat: nunc verò in Arii sententiam deflectentem. Hanc igitur speciosam causam prætendentes, ab eo discesserunt. Sed cùm nemo illos sectaretur, novam quamdam religionis speciem inducere cœperunt. Et initio quidem dicebant, hominem absque animâ à Deo Verbo assumptum esse in dispensatione incarnationis. Posteà verò, tanquam pœnitentiâ ducti ac pristinum emendantes errorem, adjecerunt animam quidem assumptam esse, sed quæ mentem non haberet: Deum autem Verbum mentis loco esse in homine assumpto. In hoc igitur solo à Catholicis dissidere se dicunt, qui ab illorum nomine vocantur Apollinaristæ. Nam Trinitatem quidem consubstantialem esse profitentur.

Lib. 3. *cap.* 26. Lex Imperatoris Juliani, quâ Christianos Græcorum disciplinis institui vetabat, duos illos Apollinares, quorum superiùs mentionem fecimus, multò quàm anteà illustriores reddidit. Nam cùm uterque humaniorum disciplinarum peritiâ esset instructus: pater quidem Grammaticæ, filius autem Rhetoricæ; ambo plurimum utilitatis eo tempore Christianis attulerunt. Pater enim utpotè Grammaticus, artem Grammaticam ad Christianæ religionis formam composuit, et Moysis libros heroïco carmine interpretatus est. Alios præterea veteris Instrumenti libros, qui historiarum more conscripti sunt, partim dactylico carmine exposuit, partim ad formam tragœdiæ personis adhibitis elaboravit. Omnique numerorum genere de industriâ usus est, ne qua Græcanicæ locutionis forma Christianis nova atque inaudita relinqueretur. Junior autem Apollinaris in arte dicendi valdè exercitatus, Evangelia et Apostolorum scripta ad formam dialogorum exposuit, exemplum Platonis apud Græcos secutus. Ad hunc modùm cùm Christianæ Religioni utiles se præbuissent, Imperatoris callidilatem suo labore superârunt.

SOZOMENUS *Hist. Eccles. lib.* 6. *cap.* 25. Eodem tempore Apollinaris, hæresis ab ipso cognominatæ ducem palàm se præbuit: multosque ab Ecclesiæ corpore abducens, seorsùm collegit. Quem quidem in stabiliendâ hæresi adjuvit Vitalis, Presbyter Antiochenus ex Meletii clero: vir præ cæteris ob vitæ ac disciplinæ severitatem illustris, et in regendis ils quibus præerat sedulus, eâque de causâ plebi venerabilis. Verum

paulò post, cùm se à communione Meletii abjunxisset, Apollinari adhæsit : iisque, qui Antiochiæ eamdem opinionem sectabantur, præfuit, ob vitæ suæ sanctimoniam haud paucos auditores habens, qui ab ipso cognomentum sortiti, Vitaliani etiamnùm ab Antiochensibus appellantur. Hùc autem prolapsus esse dicitur ex offensione animi, eò quòd despectus fuisset à Flaviano, tunc Compresbytero, posteà verò Antiochensis Ecclesiæ Episcopo : à quo prohibitus fuerat ne Episcopum more solito videret. Contemni enim se arbitratus, humani quidpiam passus est : et ad Apollinarem transgressus, societatem et amicitiam cum eo junxit. Abhinc in aliis quoque civitatibus separatim conventus agere cœperunt sub Episcopis suæ sectæ, et ritibus usi sunt ab Ecclesiâ Catholicâ alienis : præter sacros Hymnos qui in Ecclesiâ cani solent, cantica quædam numeris astricta psallentes, quæ ab Apollinare erant excogitata. Namque hic præter reliquam eruditionem, Poëtices quoque et omnis generis carminum gnarus, multis ejusmodi oblectamento captis, ut ipsi adhærerent persuasit. Denique viri in conviviis, et dùm opus facerent, mulieres verò inter texendum, cantica ejus psallebant. Etenim pro labore atque otio, pro diebus festis ac reliquis omnibus, brevia quædam composuerat carmina, cuncta ad laudem divini numinis spectantia. Primus autem Damasus Episcopus urbis Romæ et unà cum illo Petrus Alexandrinus Antistes, cùm hanc hæresim latiùs serpere intellexissent, Concilio Romæ congregato, eam ab Ecclesiâ Catholicâ alienam esse decreverunt. Cæterùm ipse quoque Apollinaris, ex infirmitate animi ad dogmatum novitatem simili modo prolapsus esse dicitur, ob hujusmodi causam. Nam cùm Athanasius Episcopus Ecclesiæ Alexandrinæ, post exilium quod regnante Constantino pertulerat, redire in Ægyptum jussus esset, ei per Laodiceam transeunti familiaris et amicus factus est Apollinaris. Sed quoniam communicare cum Athanasio scelestum habebatur ab Arianis, ex quorum numero erat Georgius urbis illius Episcopus ; idcircò Apollinaris cum contumeliâ pulsus est Ecclesiâ, utpotè qui contra regulas legesque ab Episcopis latas, cum Athanasio congressus fuisset. Hæc igitur illi objecit Georgius, simulque alia delicta, quæ per pœnitentiam obliterata erant, exprobravit. Nam quo tempore Theodotus decessor Georgii, Laodicenam regebat Ecclesiam, cùm Epiphanius Sophista nobilis Hymnum in laudem Bacchi recitaret, Apollinaris qui eo præceptore utebatur, erat enim adhuc adolescens, ei recitationi interfuit, unà cum patre ejusdem cum ipso nominis, qui Grammaticus erat non obscurus. Cùmque Epiphanius in ipso carminis exordio, sicut moris est iis, qui ejusmodi Hymnos publicè recitant, cunctos profanos homines nec sacris illis initiatos, foràs abire jussisset, nec junior Apollinaris, nec senior, nec ullus omninò ex Christianis qui aderant, discessit ex auditorio. Id cùm rescivisset Theodotus Episcopus, graviter commotus est. Ac reliquis quidem, qui ex plebe erant, leviter objurgatis veniam concessit ; utrumque autem Apollinarem publicè convictum, Ecclesiâ ejecit. Erant enim Clerici : pater quidem Presbyter ; filius verò Lector sacrarum Scripturarum. Aliquanto post tempore elapso, cùm in lacrymis ac jejuniis pœnitentiam delicto suo congruentem egissent, Theodotus eos denuò suscepit. Ubi verò Georgius Episcopatum illum sortitus est, et Apollinaris, ut jam dixi, congressum illum habuit cum Athanasio, à communione cum exclusit Georgius, et alienum ab Ecclesiâ pronuntiavit. Et Apollinaris quidem sæpenumerò cum rogasse dicitur, ut in communionem reciperetur. Sed cùm eum flectere non posset, dolore superatus, Ecclesiam turbare, et dogmatum novitatem, supradictam videlicet hæresim, inducere aggressus est : eâ arte quâ plurimùm valebat, dicendi scilicet facultate, inimicum ulciscens ; et quòd hominem in sacrarum litterarum doctrinâ præstantiorem ipse inferior deposuisset, redarguens. Ita privatæ inter Clericos inimicitiæ, Ecclesiam subindè maximo detrimento affecerunt, et Christianam religionem varias in sectas dissiderunt. Cujus rei argumentum hinc suppetit. Nam si Georgius pœnitentem suscepisset Apollinarem, perindè ac Theodotus, hæresis illa quæ ab ejus nomine nuncupata est, hodiè, ut opinor, non exstaret. Naturâ enim ita comparati sunt homines, ut despecti quidem insoles-

cant, et contentioni ac rebus novis studeant : ubi verò æquum adepti sunt, moderatè se gerant, et in eodem statu permaneant.

Cap. 27. *versùs finem.* Quòd si quis accuratam hujusmodi rerum notitiam desiderat, ex iis, quæ ipsi, vel quæ alii de ipsis scripserunt, plura poterit cognoscere. Neque enim mihi facile est aut intelligere illa, aut exponere. Cæterùm quòd dogmata ista non prævaluerint, nec ad multos permanârint, præter eas causas quas suprà dixi, Monachis potissimùm, ut arbitror, adscribendum est. Nam quotquot in Syriâ et Cappadociâ, et circumsitis provinciis monasticam philosophiam sectabantur, Nicænæ Synodi decretis mordicùs adhærebant. Parum certè abfuit quin Orientis omnes provinciæ, à Cilicià usque ad Phœnicem, Apollinaris hæresim amplecterentur. Eunomii autem hæresis, à Cilicià et monte Tauro ad Hellespontum usque et Constantinopolim, cuncta propemodum occupavit. Uterque enim tùm eos apud quos morabantur, tùm eorum finitimos, in suam sententiam facilè perduxerunt. Idem porrò istis accidit, quod anteà Arianis acciderat. Populus enim in illis regionibus, cùm Monachos, quos suprà diximus, ob virtutem atque opera valdè admiraretur, rectè illos sentire existimabat : eos verò qui aliter sentirent, tanquam adulterinis opinionibus inquinatos, aversabantur. Quemadmodùm olim Ægyptii Monachorum suorum doctrinam seculi, Arianis fortiter restiterant.

THEODORET. *Epist.* 104. *ad Flavian. Episc. Constantinop.* Qui Arium sectantur et Eunomium, Deum Verbum aiunt carnem duntaxat assumpsisse, animæque vices ipsummet in corpore supplevisse. Apollinaris autem animatum quidem corpus dominicum vocat, sed mentem peractæ salutis exsortem facit, nescio undè animæ mentisque divisionem edoctus. At divinorum Apostolorum disciplina animam ratione et intelligentiâ præditam (*Verbum*) cum carne assumpsisse docet.

Hist. Eccles. lib. 5. *cap.* 3. *Postquàm Antiochiæ populum in duas jam factiones divisum, quòd multi Paulino, plures Meletio adhærerent, descripsit.* Præter hos, (*inquit*) tertiæ classis ducem se præbuit Apollinaris Laodicenus, qui indutâ personâ pietatis, cùm Apostolica dogmata tueri visus esset, postmodùm manifestus hostis apparuit. De divinâ siquidem naturâ perversè ratiocinatus est : quosdam in eâ dignitatum gradus constituens : et Incarnationis mysterium imperfectum fingere ausus est, animamque rationalem, cui corporis tradita est moderatio, indultæ salutis exsortem fuisse affirmavit. Cùm hanc enim, ut ipse ait, Deus Verbum non assumpserit, neque medicinam illi præbuit, neque honorem impertiit : sed corpus quidem terrenum ab invisibilibus potestatibus adoratur, anima verò ad imaginem Dei condita, infrà mansit peccati dedecore circumfusa. Multa insuper alia falso et cæco mentis errore congessit. Nam interdùm ipse quoque carnem ex sanctâ Virgine sumptam esse confitebatur : interdùm hanc simul cum Deo Verbo è cœlo descendisse ait : interdùm ipsum carnem esse factum, sed à nobis nihil accepisse. Sed et alias fabulas nugasque divinis promissionibus adjunxit.... Talia ille cùm doceret, non suos duntaxat contaminavit, sed quosdam etiam ex nostris eàdem labe infecit. Posteà enim, suam ipsi cernentes tenuitatem, et Ecclesiæ splendorem considerantes, conjuncti quidem sunt omnes, paucis exceptis, et communionem Ecclesiasticam acceperunt, morbum tamen, quo anteà laborabant, non exuerunt, sed hoc ipso multos qui sani olim fuerant corruperunt. Ex hâc radice in Ecclesiis natum est, quòd una carnis et divinitatis natura dicitur, quòdque divinitati Unigeniti passio adscribitur, et alia id genus, de quibus populorum Sacerdotumque certamina exstiterunt. Verùm hæc quidem posteà contigêre. Tunc verò Antiochiam ingresso Sapore Magistro militum, et Imperatoris legem proferente, affirmabat Paulinus se Damasi partium esse : idemque ipsum affirmabat morbum suum celans Apollinaris. At divinus Meletius illorum spernens contentionem, intra quietem se continebat. Flavianus verò ille sapientissimus, qui in Presbyterorum adhuc numero censebatur.... ad Apollinarem conversus, Demiror te, inquit, ô amice, tam impudenter repugnare veritati, idque cùm exploratum habeas Damasum perfectam à Deo Verbo assumptam esse naturam nostram profiteri : tu verò contraria docere non desinis.

PRISCILLIANISTÆ sic dicti à *Priscilliano* viro nobili et diviti Cæsaraugustano in Hispaniâ. Sectam condiderunt conflatam partim ex Gnosticorum, partim et Manichæorum, partim et Sabellianorum blasphemiis, flagitia sua et errores summo studio occultabant, ideòque licitum ess mendacium et perjurium asserebant. Hoc solemne horum effatum fuit: *Jura, perjura, secretum prodere noli.* (R)

Mentem quippè nostram salutis exsortem facis. Quòd si hæc accusatio nostra falsa est, vel nunc saltem probatam abs te novitatem ejura, et Damasi doctrinam amplectere, tùm divinas ædes obtine.

Cap. 4. Apollinaris verò ab Ecclesiarum gubernatione repulsus, apertè deinceps novam suam doctrinam prædicare, ducemque seipsum hæreseos profiteri. Morabatur is quidem ut plurimùm Laodiceæ: Antiochiæ tamen jam anteà ordinârat Vitalem, vitæ sanè honestate insignem, Apostolicisque dogmatibus innutritum, sed erroris posteà labe inquinatum.

Hæret. fabul. lib. 4. n. 8. Apollinarius verò Laodicenus in nonnullis quidem scriptis suis doctrinam de Trinitate non violavit, sed sicut nos, et unam divinitatis substantiam, et tres hypostases prædicavit: in quibusdam autem gradus dignitatum definivit, seipsum divinæ distributionis divisorem constituens. Ejus enim inventum est illud, magnum, majus, maximum: quasi magnus quidem sit Spiritus, major verò Filius, maximus Pater. Quid porrò his magis ridiculum esse possit? Si enim unam Trinitatis substantiam reverâ dicit, quo pacto eamdem et parvam et magnam existimavit? In corporibus enim quantitas et quantitatis modus ejusmodi mensuras efficiunt: natura verò ab his libera nec horum mensuras admittit.... In quibusdam ergo hic rursùs libris suis personarum proprietates confudit, idemque in Trinitate præstitit, quod in Incarnatione ausus fuit. Undè et Sabellianismi insimulatus est, et incarnatum Deum Verbum dixit corpore assumpto et animâ, non rationali, sed rationis experte, quam naturalem seu vitalem quidam vocant. Mentem quoque aliud esse statuens, quàm animam, minimè assumptam ait fuisse, sed divinam suffecisse naturam ad usum mentis explendum. Nec animadvertit sapientissimus, quòd ne corpore quidem opus habuisset, si noluisset, sed etiam sine corpore, sicut olim Patriarchis visus esset.

N. 9. Polemius verò quidam, ex hujus scriptis ansam nactus, et substantiarum confusionem factam dixit, et commixtionem divinitatis et corporis. Indè Polemianorum hæresis nata est. Sed et alii quidam ex cœtu Apollinarii, corpus Domini de cœlis descendisse dixerunt: et cùm diversa in ejus scriptis dogmata offenderent, hæc istis, aliis alia placuerunt.

(R) S. AUG. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, n. 70.* Priscillianistæ, quos in Hispaniâ Priscilianus instituit, maximè Gnosticorum et Manichæorum dogmata permixta sectantur. Quamvis et ex aliis hæresibus in eos sordes, tanquam in sentinam quamdam, horribili confusione confluxerint. Propter occultandas autem contaminationes et turpitudines suas habent in suis dogmatibus et hæc verba: *Jura, perjura, secretum prodere noli.* Hi animas dicunt ejusdem naturæ atque substantiæ, cujus est Deus ad agonem quemdam spontaneum in terris exercendum, per septem cœlos et per quosdam gradatim descendere principatus et in malignum principem incurrere, à quo istum mundum factum volunt, atque ab hoc principe per diversa carnis corpora seminari. Adstruunt etiam fatalibus stellis homines colligatos, ipsumque corpus nostrum secundùm duodecim signa cœli esse compositum, sicut hi, qui Mathematici vulgò appellantur, constituentes in capite Arietem, Taurum in cervice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, et cætera nominatim signa percurrentes, ad plantas usquè perveniunt, quas Piscibus tribuunt, quod ultimum signum ab Astrologis nuncupatur. Hæc et alia fabulosa, vana, sacrilega, quæ persequi longum est, hæresis ista contexit. Carnes, tanquam immundas escas, etiam ipsa devitat: conjuges, quibus hoc malum potuerit persuadere, disjungens, et viros

Multa de iis scripsit Sulpicius Severus libro altero Historiæ sacræ. Scripsit adversùs eos S. Augustinus libros de mendacio. Eos S. Hieronymus ait totius orbis fuisse auctores

à nolentibus feminis, et feminas à nolentibus viris. Opificium quippè omnis carnis non Deo bono et vero, sed malignis angelis tribuunt : hòc versutiores etiam Manichæis, quòd nihil Scripturarum canonicarum repudiant, simul cum apocryphis legentes omnia et in auctoritatem sumentes, sed in suos sensus allegorizando vertentes quidquid in sanctis libris est, quod eorum evertat errorem. De Christo Sabellianam sectam tenent, eumdem ipsum esse dicentes, non solùm Filium, sed etiam Patrem, et Spiritum sanctum.

SULPICIUS SEVERUS *Sacræ Histor. lib.* 2. *paulò ante finem.* Sequuntur tempora ætatis nostræ graviora et periculosa, quibus non usitato malo pollutæ Ecclesiæ, et perturbata omnia. Namque tùm primùm infamis illa Gnosticorum hæresis intra Hispanias deprehensa, superstitio exitiabilis arcanis occultata secretis. Origo istius mali oriens ab Ægyptiis. Sed quibus ibi initiis coaluerit, haud facile est disserere. Primus eam intra Hispanias Marcus quidam intulit, Ægypto profectus, Memphis ortus : hujus auditores fuêre, Agape quædam non ignobilis mulier, et Rhetor Helpidius. Ab his Priscillianus est intitutus, familiâ nobilis, prædives opibus, acer, inquies, facundus, multâ lectione eruditus; disserendi ac disputandi promptissimus. Felix profectò, si non pravo studio corrupisset optimum ingenium! Prorsùs multa in eo animi et corporis bona cerneres, vigilare multùm, famem ac sitim ferre poterat, habendi minimè cupidus, utendi parcissimus, sed idem vanissimus, et plus justo inflatior profanarum rerum scientiâ. Quin et magicas artes ab adolescentiâ exercuisse creditum est. Is ubi doctrinam exitiabilem aggressus est, multos nobilium, pluresque populares auctoritate persuadendi, et arte blandiendi allicuit in societatem. Ad hoc mulieres novarum rerum cupidæ fluxâ fide, et ad omnia curioso ingenio, catervatim ad eum confluebant. Quippè humilitatis speciem ore, et habitu prætendens, honorem suî et reverentiam cunctis injecerat. Jamque paulatim perfidiæ istius tabes pleraque Hispaniæ pervaserat; quin et nonnulli Episcoporum depravati, inter quos Instantius et Salvianus, Priscillianum non solùm consensione, sed sub quàdam etiam conjuratione susceperant. Quo Hyginus Episcopus Cordubensis ex vicino agens comperto, ad Idacium Emeritæ civitatis Sacerdotem refert. Is verò sine modo, et ultra quam oportuit, Instantium sociosque ejus lacessens, facem quamdam nascenti incendio subdidit; ut exasperaverit malos potiùs quàm compresserit. Igitur post multa inter eos, et digna memoratu certamina, apud Cæsaraugustam Synodus congregatur : cui tùm etiam Aquitani Episcopi interfuêre. Verùm Hæretici committere se judicio non ausi, in absentes tùm latâ sententiâ, damnatique Instantius et Salvianus Episcopi, Helpidius et Priscillianus laïci. Additum etiàm, ut si quis damnatos in communionem recepisset, sciret in se eamdem sententiam promendam. Atque id Ithacio Sossubensi Episcopo negotium datum, ut decretum Episcoporum in omnium notitiam deferret, maximèque Hyginum extra communionem faceret : qui cùm primus omnium insectari palàm Hæreticos cœpisset, posteà turpiter depravatus, in communionem eos recepit. Interim Instantius et Salvianus damnati judicio Sacerdotum, Priscillianum etiam laïcum, sed principem malorum omnium, unà secum Cæsaraugustana Synodo notatum, ad confirmandas vires suas Episcopum in Labilensi oppido constituunt : rati nimirùm, si hominem acrem et callidum Sacerdotali auctoritate armassent, tutiores fore sese. Tùm verò Idacius atque Ithacius acriùs instare, arbitrantes posse inter initia malum comprimi : sed parùm sanis consiliis seculares Judices adeunt, ut eorum decretis atque executionibus Hæretici urbibus pellerentur. Igitur post multa et fœda Idacio supplicante, elicitur à Gratiano tùm Imperatore rescriptum, quo universi Hæretici excedere non Ecclesiis tantùm aut urbibus, sed extra omnes terras propelli jubebantur. Quo comperto, Gnostici diffisi rebus suis, non ausi judicio certare, sponte cessêre qui Episcopi

ritate damnatos. Et certè multis in Conciliis damnati sunt: in Cæsaraugustano an. 380. in Toletano primo an. 400. in aliis Conciliis duobus tempore S. Leonis summi Pontificis habitis, quorum annus ignoratur. Demùm in Braccarensi secundo an. 569.

videbantur, cæteros metus dispersit. At tùm Instantius et Salvianus Romam profecti, ut apud Damasum, urbis eà tempestate Episcopum, objecta purgarent. Sed iter eis præter interiorem Aquitaniam fuit: ubi tùm ab imperitis magnificè suscepti, sparsère perfidiæ semina, maximèque Elusanam plebem, sanè tùm bonam et religioni studentem pravis prædicationibus pervertère. A Burdigalà per Delphinum repulsi, tamen in agro Euchrociæ aliquantisper morati, infecère nonnullos suis erroribus. Indè iter cœptum ingressi, turpi sane, pudibundoque comitatu, cum uxoribus atque alienis etiam fœminis, in quois erat Euchrocia, ac filia ejus Procula; de quà fuit in sermone hominum, Priscilliani stupro gravidam, partum sibi graminibus abegisse. Hi ubi Romam pervenère, Damaso se purgare cupientes, ne in conspectum quidem ejus admissi sunt. Regressi Mediolanum, æquè adversantem sibi Ambrosium repererunt. Tùm vertère consilia, ut quia duobus Episcopis, quorum eà tempestate summa auctoritas erat, non illuserant, largiendo et ambiendo ab Imperatore cupita extorquerent; ita corrupto Macedonio, tùm Magistro officiorum, rescriptum eliciunt, quo calcatis quæ priùs decreta erant, restitui Ecclesiis jubebantur. Hoc freti Instantius et Priscillianus, repetivère Hispanias: nam Salvianus in urbe obierat. Ac tùm sine ullo certamine Ecclesias quibus præfuerant, recepère. Verùm Ithacio ad resistendum non animus, sed facultas defuit: quia Hæretici, corrupto Volventio Proconsule, vires suas confirmaverant. Quin etiam Itachius ab his, quasi perturbator Ecclesiarum, reus postulatus, jussusque per atrocem executionem deduci, trepidus profugit ad Gallias. Ibi Gregorium Præfectum adiit. Qui compertis quæ gesta erant, rapi ad se turbarum auctores jubet, ac de omnibus ad Imperatorem refert, ut Hæreticis viam ambiendi præcluderet. Sed id frustrà fuit: quia per libidinem et potentiam paucorum, cuncta ibi venalia erant. igitur Hæretici suis artibus, grandi pecuniâ Macedonio datâ, obtinent. ut Imperiali auctoritate Præfecto erepta cognitio, Hispaniarum Vicario cederet: nam jam Proconsulem habere desierant. Missique à Magistro Officiales, qui Ithacium tùm Treveris agentem ad Hispanias retraherent. Quos ille callidè frustratur: ac posteà per Pritannium Episcopum defensus, illusit. Jam rumor incesserat Clementem Maximum intra Britannias sumpsisse Imperium, ac brevi in Gallias erupturum. Ita tùm Ithacius statuit, licèt rebus dubiis, novi Imperatoris adventum exspectare: interim sibi nihil agitandum. Igitur ubi Maximus oppidum Trevcrorum victor ingressus est, ingerit preces plenas in Priscillianum ac socios ejus invidiæ atque criminum. Quibus permotus Imperator, datis ad Præfectum Galliarum atque ad Vicarium Hispaniarum litteris, omnes omninò quos labes illa involverat, deduci ad Synodum Burdigalensem jubet. Ita deducti Instantius et Priscillianus, quorum Instantius prior jussus causam dicere, postquàm se parum expurgabat, indignus esse Episcopatu pronuntiatus est. Priscillianus verò ne ab Episcopis audiretur, ad principem provocavit, permissumque id nostrorum inconstantiâ: quia aut sententiam in refragantem ferre debuerant, aut si hi ipsi suspecti habebantur, aliis Episcopis audientiam reservare, non causam Imperatori de tam manifestis criminibus permittere. Ita omnes, quos causa involverat, ad Regem deducti. Secuti etiam accusatores Idacius et Ithacius Episcopi: quorum studium in expugnandis Hæreticis non reprehenderem, si non studio vincendi plusquàm oportuit certassent. Ac mea quidem sententia est, nobis tam reos quàm accusatores displicere. Certè Ithacium nihil pensi, nihil sancti habuisse definio; fuit enim audax, loquax, impudens, sumptuosus, ventri et gulæ plurimùm impertiens. Hic stultitiæ eò usque processerat, ut omnes etiam sanctos viros, quibus aut studium

HELVIDIANI sic dicti ab eorum duce *Helvidio* homine rudi et imperito, Auxentii Ariani discipulo. Virginis Deiparæ perpetuam virginitatem impugnárunt, existimantes eos, qui in Evangelio fratres Domini dicuntur, fuisse post Christi ortum à Mariâ ex Josepho susceptos. Cæterùm non negabant Mariam in Christi partu Virginem permansisse. Non præponendam esse virginitatem nuptiis asserebant. (S) Adversùs eum scripsit S. Hieronymus, SS. quoque Augustinus et Epiphanius, qui hanc hæresim reponunt inter eas, quæ ab Ecclesiâ proscriptæ sunt.

JOVINIANISTÆ ducem habuerunt *Jovinianum* Monachum Mediolanensem, quem vocat S. Hieronymus *Christianorum Epicurum.* Is docuit ejusdem esse apud Deum meriti Matrimonium cum viduitate et virginitate. Nihil prodesse jejunia et abstinentiam à carnibus factam pœnitentiæ causâ, inerat lectionis, aut propositum erat certare jejuniis, tanquam Priscilliani socios aut discipulos, in crimen arcesseret. Ausus etiam miser est ea tempestate Martino Episcopo, viro planè Apostolis conferendo palam objectare hæresis infamiam. Namque tùm Martinus apud Treveros constitutus, non desinebat increpare Ithacium, ut ab accusatione desisteret: Maximum orare, ut à sanguine infelicium abstineret: satis superque sufficere, ut Episcopali sententiâ Hæretici judicati Ecclesiis pellerentur: novum esse et inauditum nefas, ut causam Ecclesiæ Judex seculi judicaret. Denique quoadusque Martinus Treveris fuit, dilata cognitio est; et mox discessurus, egregiâ auctoritate à Maximo elicuit sponsionem, nihil cruentum in reos constituendi. Sed posteà Imperator per Magnum et Rufum Episcopos depravatus, et à melioribus consiliis deflexus, causam Præfecto Evodio permisit, viro acri et severo. Qui Priscillianum gemino judicio auditum, convictumque maleficii, nec diffitentem obscenis se studuisse doctrinis, nocturnos etiam turpium feminarum esse conventus, nudumque orare solitum: nocentem pronuntiavit, redegitque in custodiam, donec ad Principem referret. Gestis ad Palatium delatis, censuit Imperator Priscillianum, sociosque ejus capitis damnari oportere. Cæterùm Ithacius videns, quàm invidiosum sibi apud Episcopos foret, si accusator, etiam postremis rerum capitalium judiciis astitisset (etenim iterari judicium necesse erat), subtrahit se cognitioni, frustrà, calido jam scelere perfecto. At tùm per Maximum accusator apponitur Patricius quidam, fisci Patronus. Ita eo insistente, Priscillianus capitis damnatus est, unàque cum eo *alii* plures *in exilium missi*.... Hoc ferè modo homines luce indignissimi, pessimo exemplo necati, aut exiliis mulctati.... Cæterùm Priscilliano occiso, non repressa est hæresis, quæ illo auctore proruperat, sed confirmata, latiùs propagata est. Namque sectatores ejus, qui eum priùs ut sanctum honoraverant, posteà ut Martyrem colere cœperunt. Peremptorum corpora ad Hispanias relata, magnisque obsequiis celebrata eorum funera. Quin et jurare per Priscillianum summa religio putabatur. At inter nostros perpetuum discordiarum bellum exarserat, quod jam per quindecim annos fœdis dissensionibus agitatum, nullo modo sopiri poterat. Et tunc cùm maximè discordiis Episcoporum turbari aut misceri omnia cernerentur, cunctaque per eos odio aut gratiâ, metu, inconstantiâ, invidiâ, factione, libidine, avaritiâ, arrogantiâ, somno, desidiâ essent depravata: postremò plures adversùm paucos benè consulentes, insanis consiliis et pertinacibus studiis certabant: inter hæc plebs Dei, et optimus quisque probro atque ludibrio habebatur.

(S) S. AUGUST. *Lib. de Hæres. n.* 84. Helvidiani exorti ab Helvidio, ita virginitati Mariæ contradicunt, ut eam post Christum alios etiam filios de viro suo Joseph peperisse contendant. Sed mirum ni istos, prætermisso Helvidii nomine, Antidicomarianitas Epiphanius appellavit.

sed superstitiosas esse observationes. Non posse hominem post baptismum peccare et à justitiâ excidere. Æqualem in omnibus Sanctis esse gloriam, nec alios aliis plùs remunerari. Peccata omnia esse æqualia. Christum Jesum non esse de Virgine natum. (T) Hos errores acerrimè confutavit S. Hieronymus. Scripsêre quoque adversùs hos Hæreticos S. Ambrosius et S. Augustinus. Damnavit eos S. Siricius in Concilio Romæ habito an. 390. Posteàque plurimæ latæ contra eos leges fuêrunt ab Imperatoribus Theodosio, Honorio et Arcadio. Proscripti sunt denuò hi errores à Concilio Tridentino, postquàm eos ferè omnes Calviniani renovârunt, spretâ auctoritate Siricii, Augustini, Hieronymi, Ambrosii, totiusque adeò Ecclesiæ quarti seculi. Ipsi tamen venerari se profitentur Ecclesiam sex priorum Ecclesiæ seculorum, nec verentur asserere idem se cum illâ sentire. Quis talem ferat audaciam?

COLLYRIDIANI, secta orta in Arabiâ ex paucis, et rudibus, nec ferè nisi mulieribus constans. Virginem Deiparam, ut Deum colebant, mulieres sacerdotio fungi posse asserebant. (V) Hanc hæresim confutavit S. Epiphanius, hæcque diù non viguit.

(T) S. HIERONYM. *adversùs Jovinian. Lib.* 1. *versùs initium.* Dicit (*Jovinianus*,) viduas et maritatas, quæ semel in Christo lotæ sunt, si non discrepent cæteris operibus, ejusdem esse meriti. Nititur approbare eos, qui plenâ fide in baptismate renati sunt, à diabolo non posse subverti. Tertium proponit inter abstinentiam ciborum, et cum gratiarum actione perceptionem eorum, nullam esse distantiam. Quartum quod et extremum, esse omnium, qui suum baptisma servaverint, unam in regno cœlorum remunerationem.

S. AUG. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum*, *n.* 82. A Joviniano quodam monacho ista hæresis orta est ætate nostrâ, cùm adhuc juvenes essemus. Hic omnia peccata, sicut Stoïci Philosophi, paria esse dicebat, nec posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto, nec aliquid prodesse jejunia, vel à cibis aliquibus abstinentiam. Virginitatem Mariæ destruebat, dicens eam pariendo fuisse corruptam. Virginitatem etiam sanctimonialium, et continentiam sexûs virilis in sanctis eligentibus cælibem vitam, conjugiorum castorum atque fidelium meritis adæquabat: ita ut quædam virgines sacræ provectæ jam ætatis in urbe Româ, ubi hæc docebat, eo audito, nupsisse dicantur. Non sanè ipse vel habebat, vel habere volebat uxorem: quod non propter aliquod apud Deum majus meritum in regno vitæ perpetuæ profuturum, sed propter præsentem prodesse necessitatem; hoc est, ne homo conjugales patiatur molestias disputabat. Citò tamen ista hæresis oppressa et exstincta est.

(V) S. EPIPHAN. *adversùs Antidicomarianitas Hæres.* 78. *n.* 23. Non sine ingenti admiratione aliud quiddam accepimus: nonnullos videlicet in iis, quæ ad sanctissimam Virginem spectant, eò amentiæ progressos, ut pro Deo nobis illam obtrudere vellent, ac de eâ velut mente capti, et furiosi loquerentur. Ferunt enim mulierculas quasdam in Arabiâ, quò è Thraciâ profectæ erant, novum illud dogma commentas fuisse: adeò ut in Virginis nomen et honorem collyridem, sive tortam panis sacrificantes offerant, et conventus habeant; in sanctissimæ, inquam, Virginis nomen modum omnem prætergressos nefariam rem, et cum Dei contumeliâ conjunctam aggredi, hoc est, in illius nomen per mulieres sacrificia facere.

Adversùs Collyridianos Hæres. 79. *n.* 1.... Etenim mulieres quædam currum, sive sellam quadratam adornantes, ac linteo desuper extento, solemni tempore, per aliquot dies panem proponunt, et in Mariæ nomen offerunt. Tùm ad unam omnes illo vescuntur.

SECULUM QUINTUM.

Ecclesiam in hoc seculo hæresi turbârunt imprimis Vigilantius, Pelagiani, Semipelagiani, Nestoriani, Eutychiani.

VIGILANTIUS, Barcinonensis Presbyter, adversùs sacrarum reliquiarum cultum et sanctorum invocationem ausu temerario et sacrilego insurrexit. Negavit Martyres pro nobis orare. Miracula, quæ ad sepulcrum Martyrum fiebant, irridebat. Ad sepulcra Martyrum lampades accendi et fieri vigilias et pernoctationes nefas et superstitiosum esse effutiebat. Negabat anteponendum esse statum virginitatis aut continentiæ, matrimonio. Hos errores, jam in Joviniano damnatos et à recentioribus Hæreticis renovatos, summo studio confutavit S. Hieronymus, cujus eâ de re doctrinam universa Ecclesia, ut suam, amplexa est quâlibet ætate. (A)

PELAGIUS et CÆLESTIUS auctores et duces fuêre *Pelagianæ* hæreseos. Cujus *Origenes, Theodorus Mopsuestenus* Episcopus et Ruffinus Presbyter Aquileiensis fuêre veluti præcursores. Pelagius patriâ Britannus, professione Monachus fuit Cælestius et vitam monasticam professus est: hujus patria incerta. Errores præcipui Pelagianorum hi fuêre. Adamum mortalem factum à Deo, et sive peccaret sive non peccaret fuisse moriturum; sibi solùm suo peccato nocuisse, non posteris, infantes nullius peccati originalis labe teneri: adeòque necessarium ad salutem non esse baptismum. Concupiscentiam nihil habere mali. Nulla esse unquam peccata oblivionis vel ignorantiæ. Martem cæterasque hujus vitæ miserias non esse peccati pœnas. Parvulos sine baptismo morientes frui vitâ æternâ à cœlesti beatitudine distinctâ; fatebantur enim non posse introire in regnum cœlorum, qui non fuerint baptizati. Libertatem hominis post peccatum non minùs sanam et integram esse quàm fuerat in statu innocentiæ. In hominis potestate esse vivere immunem ab omni cupiditate et libidine et non recto animi motu. Virtutes non esse Dei dona, sed affectus merè naturales libertatis. Si fortè gratiæ nomen et necessitatem admitterent, per hanc vocem nihil aliud intelligebant, quàm

(A) S. HIERONYM. *adversùs Vigilantium*, *initio*. Exortus est subitò Vigilantius, seu veriùs Dormitantius, qui immundo spiritu pugnet contra Christi Spiritum, et Martyrum neget sepulcra veneranda: damnandas dicit esse vigilias: nunquam nisi in Paschâ Alleluya cantandum: continentiam, hæresim: pudicitiam, libidinis seminarium.... Ille Romanæ Ecclesiæ auctoritate damnatus, inter phasides aves et carnes suillas non tam emisit spiritum quàm eructavit. Iste caupo Calagurritanus.... suæ venena perfidiæ Catholicæ fidei sociare conatur, impugnare virginitatem, odisse pudicitiam, in convivio secularium contra sanctorum jejunia proclamare.... Pro nefas! Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes, si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi priùs uxores duxerint: nulli cælibi credentes pudicitiam, imò ostendentes quàm sanctè vivant, qui malè de omnibus suspicantur: et nisi prægnantes uxores viderint, clericorum, infantesque de ulnis matrum vagientes, Christi sacramenta non tribuunt.

ipsam naturam et liberum arbitrium seu dona naturalis ordinis : aut gratias exteriores, verbi gratiâ, legem, doctrinam, bona exempla, miracula, dona linguarum, etc. aut gratiam, quæ mentem interiùs illuminando afficeret, non autem, quæ in voluptate reciperetur. Ad summum gratiam illam, quæ non solùm in mente sed etiam in voluntate reciperetur, utilem esse non necessariam ; posseque obtineri per bonum libertatis usum sine ullo auxilio interiùs cor afficiente. (B)

Adversùs Pelagianos multa scripsit S. Hieronymus. Multos pro Ecclesiâ labores ad exstirpandam ex Britanniâ hanc

(B) S. Aug. *Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, n.* 88. Pelagianorum est hæresis, hoc tempore omnium recentissima, à Pelagio monacho exorta. Quem magistrum Cælestius sic secutus est, ut sectatores eorum Cælestiani etiam nuncupentur. Hi Dei gratiæ, quâ prædestinati sumus in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, et quâ eruimur de potestate tenebrarum, ut in eum credamus atque in regnum ipsius transferamur, propter quod ait, (*Joan.* VI. 44.) * *nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo*, et quâ diffunditur charitas in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur, in tantum inimici sunt, ut sine hâc posse hominem credant, facere omnia divina mandata : cùm si hoc verum esset, frustrà Dominus dixisse videretur, (*Joan.* XV. 5.) *sine me nihil potestis facere.* Denique Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenùs cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam. Dicendo utique ut faciliùs possint, voluit credi, etiam si difficiliùs, tamen posse homines sine gratiâ divinâ facere jussa divina. Illam verò gratiam Dei, sine quâ nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantùm ipso adjuvante per suam legem atque doctrinam, ut discamus quæ facere, et quæ sperare debeamus, non autem ad hoc per donum Spiritûs sui, aut quæ didicerimus esse facienda, faciamus. Ac per hoc divinitùs nobis dari scientiam confitentur, quâ ignorantia pellitur : charitatem autem dari negant, quâ piè vivitur : ut scilicet cùm sit Dei donum scientia, quæ sine charitate inflat, non sit Dei donum ipsa charitas, quæ, ut scientia non inflet, ædificat. Destruunt etiam orationes, quas facit Ecclesia, sive pro infidelibus et doctrinæ Dei resistentibus, ut convertantur ad Deum, sive pro fidelibus, ut augeatur in eis fides, et perseverent in eâ. Hæc quippè non ab ipso accipere, sed à se ipsis homines habere contendunt, gratiam Dei, quâ liberamur ab impietate, dicentes secundùm merita nostra dari. Quod quidem Pelagius in Episcopali judicio Palæstino damnari metuens, damnare compulsus est ; sed in posterioribus suis scriptis hoc invenitur docere. In id etiam progrediuntur, ut dicant vitam justorum in hoc seculo nullum omninò habere peccatum, et ex his Ecclesiam Christi in hâc mortalitate perfici, ut sit omninò sine maculâ et rugâ, quasi non sit Christi Ecclesia, quæ toto terrarum orbe clamat ad Deum, (*Matth.* VI. 12.) *Dimitte nobis debita nostra.* Parvulos etiam negant, secundùm Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ primâ nativitate contrahere. Sic enim eos sine ullo peccati originalis vinculo asserunt nasci, ut prorsùs non sit quod eis oporteat secundâ nativitate dimitti : sed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati, non istâ renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti. Nam etiamsi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam et beatam quamdam vitam suam. Ipsum quoque Adam dicunt, etiamsi non peccasset, fuisse corpore moriturum, neque ita mortuum merito culpæ, sed conditione naturæ.

hæresim pertulerunt, vivente adhuc Pelagio, S. Germanus Antissiodorensis et S. Lupus Trecensis, duo Ecclesiæ nostræ Gallicanæ lumina. Sed nemo magis et feliciùs pro asserendâ Christi gratiâ pugnavit adversùs superbam hanc hæresim quàm magnus Augustinus. Ad illam debellandam suscitatum à Deo fuisse sanctum hunc Doctorem jampridem agnovit Ecclesia. Et doctrinam illius de gratiâ, doctrinam esse Ecclesiæ Romanæ declarârunt sæpiùs summi Pontifices, qui ad nostra tempora vixerunt, et postremus omnium Clemens XI. id ipsum prædecessorum exempla secutus, latâ adversùs hostes sancti Augustini constitutione, declaravit.

Multæ Synodi, multi summi Pontifices damnârunt Pelagianos. Damnavit primò Synodus Carthaginensis anno 412. Synodus Diospolitana in Palæstinâ an. 415. Altera Synodus Carthagine habita an. 416. Synodus Milevitana anno eodem. Innocentius primus, summus Pontifex an. 417. post cujus decretum dixit S. Augustinus hæc verba solemnia: *Causa finita est, utinam aliquando finiatur error.* Mortuus est paulò post Innocentius, et successorem habuit Zosimum, qui Cælestii et Pelagii fraudibus et mendaciis deceptus, eos absolvit; scripsitque in eorum gratiam ad Episcopos Africæ. Hi, habito frequenti Concilio, Pelagium et Cælestium damnârunt an. 417. Scripseruntque ad Zosimum, ut Hæreticorum artes detegerent. Aliam Synodum habuerunt anno sequenti, in quo iterata Pelagianorum damnatio est. Zosimus acceptis Patrum Africanorum rescriptis, habito longo examine, re maturè discussâ, Pelagium et Cælestium eorumque sectatores tandem damnavit, misitque per totum orbem Epistolas, quibus significaret hujus damnationis decretum, cui ab omnibus cum veneratione et applausu subscriptum est. Multæ posteà contra Pelagianos, variis in regionibus Synodi habitæ sunt. Cælestinus I. supplicationem Pelagianorum postulantium convocari Synodum œcumenicam, rejecit, confirmavitque prædecessorum suorum Romanorum Pontificum eâ de re decreta. Tandem Synodus Ephesina anno 431. habita, quæ est œcumenicarum tertia, quæ hactenùs adversùs Pelagianos acta fuerant auctoritate suâ firmavit, editis canonibus duobus, quibus anathemate damnantur omnes sectatores Cælestii.

SEMIPELAGIANI orti sunt ex cineribus Pelagianorum. Cum Catholicis admittebant peccatum originale, et gratiæ interioris necessitatem ad salutem consequendam, (non tamen ad initium fidei, ut perperàm tradidit Jansenius) sed existimabant posse propriis viribus hominem mereri fidem et primam gratiam necessariam ad salutem. Adeòque, juxta eorum sententiam, initium salutis ab homine est; cùm juxta doctrinam Ecclesiæ, à Dei gratiâ sit. Alios

errores ex hoc fonte procedentes propugnabant, quorum confutationem legere licet in libris de Prædestinatione Sanctorum et de Dono perseverantiæ, quos scripsit S. Augustinus.

Adversùs Semipelagianos scripsit S. Augustinus sub vitæ suæ finem. Post ejus mortem SS. Prosper, Fulgentius, Cæsarius Arelatensis doctrinam S. Augustini atque adeò Ecclesiæ contra hos Hæreticos vendicârunt. Hanc Cælestinus I. Zosimi successor asseruit scriptâ ad Galliarum Episcopos epistolâ an. 432. Anno 494. Gelasius summus Pontifex in Synodo Romanâ libros Fausti et Cassiani Semipelagianorum damnavit. Et S. Augustini libros auctoritate suâ confirmavit. Id quoque factum est ab Hormisdâ Gelasii successore. Concilium Arausicanum secundum anno 529. congregatum, cui præfuit S. Cæsarius Arelatensis, acceptas à Romanâ sede sententias ex S. Augustini libris ad verbum excerptas, adversùs Semipelagianos promulgavit. Idem præstitit Valentina Synodus non multò post ab eodem Cæsario congregata, licèt huic ipse, adversâ valetudine prohibente, non interfuerit. Utriusque Synodi decreta confirmavit Bonifacius II. Cujus constitutionem universa Ecclesia secuta est.

NESTORIUS Patriarcha Constantinopolitanus dux fuit et auctor hæresis *Nestoriana*, quæ tot turbas in Ecclesiâ concitavit, et viget etiamnùm in Oriente. Duo præcipua fuêre hujus hæreseos capita.

Primum, esse duas in Christo personas, et Filium Dei non esse conjunctum cum filio hominis unione, quam Ecclesia hypostaticam vocat, sed unione solùm accidentali; adeòque Christum non esse naturâ Filium Dei, sed solùm adoptione: nec proindè esse Deum, sed templum Dei solummodò.

Alterum caput prioris consectarium in eo positum erat, quòd negaret B. Virginem esse Deiparam, utpotè quæ genuisset purum hominem, inquiebat, qui in suâ propriâ personâ non esset Deus. (C)

(C) SOCRATES *Hist. Eccles. Lib.* 7. *cap.* 29. Post obitum Sisinnii... placuit Imperatoribus neminem ex Ecclesiâ Constantinopolitanâ ad Episcopatum promovere.... Peregrinum igitur hominem Antiochiâ evocare satiùs visum est. Erat illic vir quidam nomine Nestorius, ortus ex urbe Germanicâ, sonorâ voce et expeditâ facundiâ. Atque idcircò illum, tanquam idoneum ad docendum populum, accersere decreverunt. Elapso itaque trium mensium spatio. Nestorius Antiochiâ adducitur. Qui ob temperantiam quidem à plurimis prædicabatur. In reliquis verò quali ingenio et quibus moribus fuerit, ex primâ ejus concione prudentiores quique statim deprehenderunt. Ordinatus enim die quarto idus Apriles, Felice et Tauro Consulibus, illicò coram universo populo Imperatorem alloquens, celebrem illam protulit dictionem. Da mihi, inquit, Imperator, terram Hæreticis purgatam, et ego tibi cœlum retribuam. Mecum Hæreticos debella: ego Persas tecum debellabo. Hæc verba licèt quidam ex vulgo, qui Hæreticos oderant, libenter amplexi sint, iis tamen, ut dixi, qui interiorem animi sensum ex ver-

bis conjicere nòrunt, perspecta statim fuit hominis levitas et violentia, cum inanis gloriæ studio conjuncta : quippè qui, ne brevissimi quidem temporis moram sustinens, in hujusmodi verba prorupisset ; et antequàm ipsam, ut vulgò dicitur, civitatis delibasset aquam, acerrimum se persecutorem ostenderet. (*Nota Socratem Novatianum fuisse, et ob id Nestorio infensum.*) Quinto igitur post ordinationem suam die, Ecclesiam Arianorum, in quâ occultè preces faciebant, subvertere aggressus, eos ad desperationem coegit. Nam cùm Ecclesiam suam everti cernerent, ipsi injecto igne eam combusserunt. Porrò ignis ulteriùs serpens, contiguas etiam domos absumpsit.... Exindè verò incendiarium eum vocaverunt non Hæretici solùm, verùm etiam ejusdem cum illo fidei cultores. Non enim quiescebat, sed adversùs Hæreticos subindè calumnias struens, civitatem quantùm quidem in ipso erat, subvertebat. Nam et Novatianos vexare conatus est, stimulante eum invidiâ, eò quòd Paulus Novatianorum Episcopus religionis gratiâ ubique celebraretur. Verùm Principes impetum illius, suis admonitionibus represserunt. Quantis autem malis Quartadecimanos per Asiam, Lydiam et Cariam affecerit, et quàm multi ejus causâ apud Miletum et Sardes, seditione factâ, interierint, silentio transmittendum puto.

Cap. 31. Cæterùm Nestorius contra morem institutumque Ecclesiæ se gerens, alios impulit ut ipsum in hujusmodi rebus imitarentur.... In Hellesponto Antonius quidam Germæ civitatis Episcopus, Nestorio adversùs Hæreticos sævienti morem gerens, Macedonianos acerbè exagitare cœpit, mandatum Patriarchæ defensionis loco prætexens. Macedoniani.... summissis quibusdam hominibus, qui justitiam libidini postponebant, eum interfecerunt. Cùm hoc scelus perpetrassent.... Nestorius.... suasit Imperatoribus, ut Ecclesiæ illis adimerentur.... Accidit ergo, ut Nestorius qui alios expellere satagebat, ipse quoque Ecclesiâ exturbaretur ob hujusmodi causam.

Cap. 32. Erat familiaris Nestorii Anastasius Presbyter, qui unà cum illo profectus fuerat Antiochiâ. Hunc Nestorius magno in honore habebat, ejusque consilio in rebus gerendis utebatur. Hic igitur Anastasius quodam die cùm in Ecclesiâ doceret, dixit hæc verba : Nemo Mariam vocet Deiparam. Maria enim homo fuit. Ex homine autem Deus nasci non potest. Id ubi auditum fuisset, multos tam ex clero, quàm ex plebe, pariter conturbavit. Olim enim didicerant Christum confiteri Deum, nec ullatenùs ob susceptam humanæ salutis dispensationem, cum tanquam hominem à divinitate sejungere : sequentes doctrinam Apostoli ita dicentis : (2. *Cor.* v. 16.) Etsi Christum cognovimus secundùm carnem, nunc tamen non cognoscimus ampliùs.... Cùm ergo hâc de re tumultus.... in Ecclesiâ ortus esset, Nestorius dictum Anastasii confirmare studens : nolebat enim eum, quem ipse tanti faceret, ut impiè loquentem coargui : ipse de hâc controversiâ subindè in Ecclesiâ disseruit : quæstiones eâ de re pervicaciter proponens, et vocem Deiparæ perpetuò rejiciens. Proindè cùm hæc quæstio ab aliis aliter excepta esset, dissidium ortum est in Ecclesiâ. Ac veluti in nocturnâ quâdam pugnâ temerè dimicantes, modò hæc, modò illa dicebant, idem affirmantes pariter et negantes. Nestorium verò plerique in eâ sententiâ esse existimabant ut Dominum nudum esse hominem assereret, et Pauli Samosatensis ac Photini dogma in Ecclesiam inveheret. Verùm hâc de re tanta altercatio, tantusque tumultus est excitatus, ut opus fuerit generali Concilio.... Mihi quidem videtur Nestorius, nec Paulum Samosatensem, nec Photinum imitatus : neque omninò nudum hominem Christum dicere. Sed solam Deiparæ vocem, velut larvam quandam reformidat. Idque illi ex gravissimâ contigit imperitiâ. Cùm enim naturali facundiâ esset præditus, eruditus quidem videbatur, reverâ tamen erat indoctus. Libros etiam veterum Interpretum haudquaquam legere dignabatur. Arrogantiâ enim elatus ob dicendi facultatem, non satis accuratè vetustioribus legendis operam dabat, sed seipsum reliquis omnibus præstare arbitrabatur. Primùm igitur ignoravit in Catholicâ Joannis Epistolâ ita scriptum esse (IV. 3.) in antiquis exemplaribus : Omnis spiritus qui Jesum à Deo separat, non est ex Deo. Hanc enim sententiam ex vetustis exemplaribus sustulerunt ii, qui ab hominis dis-

pensatione divinitatem separare studebant. Quamobrem et prisci Interpretes idipsum observaverunt; fuisse nimirum quosdam, qui hanc Epistolam depravârint, hominem à Deo sejungere cupientes. Est quippè humanitas copulata divinitati : nec jam duo sunt, sed unum. Hoc testimonio freti veteres, Mariam Dei genitricem dicere non dubitârunt.... Apparet igitur Nestorium scripta veterum penitùs ignorasse. Et ob eam causam, ut dixi, solam Deiparæ vocem impugnat. Christum enim nudum hominem ab illo non dici.... Homiliæ ab illo editæ satis docent.... Cæterùm stulta illa Nestorii garrulitas orbem terrarum non mediocriter perturbavit.

Cap. 34. Quippè haud multò post Imperator, edicto propòsito, omnes undique Episcopos ad civitatem Ephesiorum convocavit.... Cyrillus Alexandrinus quibusdam quasi sermonum velitationibus pugnam exorsus est, Nestorium studens perterrere : quippè qui infenso erga illum animo esset. Porrò cùm multi Christum Deum esse confiterentur, Nestorius dixit : Ego verò cum, qui bimestris ac trimestris existit, Deum appellare non possum. Atque idcircò mundus sum à sanguine vestro, nec in posterùm ampliùs ad vos accedam. His dictis, congregari deinceps cœpit cum reliquis Episcopis qui ipsius sententiam sequebantur. Itaque Episcopi qui adierant, duas in partes divisi sunt. Et ii quidem qui cum Cyrillo erant, in Concilio residentes, Nestorium evocârunt. Verùm ille vocatus non paruit, usque ad Joannis Antiochensis adventum, præsentiam suam differens. Tùm Cyrillus, et qui cum eo erant, lectis sæpius concionibus, quas de istà quæstione Nestorius ad populum habuerat, cùm ex earum lectione judicassent, Nestorium constanter de Filio Dei impiè locutum esse, eum deposuerunt. Quo facto, illi qui cum Nestorio erant alio seorsùm Concilio congregato, Cyrillum et unà cum illo Memnonem Ephesinæ urbis Episcopum vicissim deponunt. Nec multò post advenit Joannes Antiochensis Episcopus. Qui cùm ea quæ gesta fuerant cognovisset, Cyrillum adversatus est tanquam totius tumultùs auctorem, quippè qui temerario ac præcipiti impetu ad depositionem Nestorii prorupisset. At Cyrillus adjuncto sibi Juvenale, Joannem ulcisci volens, ipsum quoque Episcopatu disciuxit. Rebus in hunc modum confusis ac perturbatis, animadvertens Nestorius contentionem usque ad communionis perniciem devenisse, pœnitentiâ ductus, Mariam Deiparam appellare cœpit, his verbis utens, dicatur, si placet, Maria Deipara, et simultas omnis conquiescat. Verùm licèt, mutatâ sententiâ, hæc diceret, nemo tamen illud admisit. Quippè etiamnùm depositus et in exilium missus, Oasim incolit.... Cæterùm post depositionem Nestorii, gravissimus tumultus Ecclesias Constantinopoli occupavit. Nam, ut suprà dixi, divisus est populus ob inanem ac stultam illius garrulitatem. Clerici quidem omnes communi suffragio eum anathematizârunt. *Hæc in Cyrillum infenso animo scripsisse Novatianum Socratem historicum crediderim : cautè ergo legenda.*)

THEODORET. *Hæret. fabul. Lib. 4. n. 12.* Postquam autem mundo paulatim labente, et ad hujus universi dissolutionem festinante, unusquisque se idoneum pictatis magistrum existimavit, cùm propter ignorantiæ factum nemo discere sustineret, homicida dæmon, mendacii pater, zizaniorum seminator, non ampliùs per externos et manifestos hostes adversùs Ecclesiam arma movit : sed instrumentum nactus, quod omnem, ut ita dicam, subitò ejus artem susciperet, sub rectæ opinionis specie, divinitatis simul et humanitatis Unigeniti negationem inducit, simplicem et artificio carentem fidem nostram græcanicis conturbans argutiis. De Nestorio prorsùs audivistis. Vir enim est illustris. Hic ex Germanicensium ortus oppidulo, nescio cujusmodi ab initio studiis educatus, aliam ex aliâ regionem commutans, ut flagellum quoddam Ægyptiacum, in magnam Antiochenorum civitatem irrupit. In hâc cùm liberalibus disciplinis mediocriter esset imbutus, vocemque pulcherrimam et maximam exercuisset, in Ecclesiam Dei se ingessit, et in numerum Presbyterorum relatus est, docendique populi munere impositò, statim in exordio ostendit qualis totâ vitâ esset futurus. Neque enim generosum et genitalem, quique hominum animas excolere posset, dicendi characterem secutus est. Sed cùm ad populi delectationem orationem suam conferret, et

manes plausus ut qui maximè occuparetur, turbulentum et instabile vulgus ad sui desiderium excitavit, fuscâ veste indutus, tristis incedens, strepitus forenses declinans, pallore corporis continens videri affectans, libris domi, ut plurimùm incumbens, ac in otio et quiete secum habitans. Hoc habitu et hâc simulatione populum inescans, magnam ætatis partem transegit, Christianus videri potiùs quàm esse studens, et Christi gloriæ suam præferens. Quoniam autem ut à Domino dictum est, (*Matth.* x. 26. *Luc.* VIII. 17.) nihil est tam occultum quod non sciatur, neque opertum quod in lucem non veniat, et bona opera manifesta sunt, et quæ aliter se habent celari non possunt, per ininvestigabilem Dei judiciorum abyssum, Nestorius eorum qui Palatio sedibusque Pontificalibus versabantur, et ipsius, qui orbis terrarum sceptra tunc regebat, suffragio, Catholicæ orthodoxorum Constantinopolitanæ Ecclesiæ orbisque adeò universi principatum adipiscitur. Hinc mihi deinceps acta illa, quæ terram et mare propemodùm impleverunt. Ut enim maximam illam sedem accepit, et Pontificatûs præfecturam, velut tyrannidem quamdam arripuit, impietatem, quam parturiebat, ampliùs continere non potuit: sed ex potestate quam habebat stolidam assumens licentiam, profert in medium, omnibusque exponit, quam jam olim adversùs Unigenitum conceperat blasphemiam, bellumque contra dogmata Apostolica palam gerit: et sanctorum Patrum, qui ex quo annuntiatum est Evangelium, Orthodoxorum fidei præfuerant, dicta rejicere contendit, regiæ urbis turbans Ecclesiam, orbemque simul turbans universum.... Primus autem initiæ novitatis gradus fuit, non oportere sanctam Virginem, quæ Dei Verbum peperit, quòd ex ea carnem suscepit, Deiparam confiteri, sed Christiparam duntaxat. Cùm tamen antiquissimi orthodoxæ fidei prædicatores, juxta traditionem Apostolicam, Deiparam docuerint nominare et credere Domini matrem. Age nunc verò blasphemum artificium, et observationem nulli anteà cognitam in medium producamus. Christi appellatio, inquit, duas naturas significat, divinitatem Unigeniti et humanitatem: Dei autem vox absolutè prolata, simplicem et incorpoream Dei Verbi substantiam repræsentat: hominis verò solam humanam naturam ostendit. Propterea Christiparam, inquit, et non Deiparam Virginem fateri necesse esse, ne imprudentes dicamus Deum Verbum initium ex sancta Virgine sumpsisse, atque ita antiquiorem matrem, eo, qui ex eâ natus est, ex consequenti confiteri cogamur. Ne videar autem inanibus conviciis hæc in illum jactare, illum ipsum suis verbis testem producam.... In Orthodoxorum Ecclesia multas istiusmodi voces edidit: Non peperit, optimi viri, Maria Deum, sed hominem peperit divinitatis instrumentum. Et in aliis rursum nugis, Culpâ vacat Gentilis, qui Diis matrem inducit.... Unde.... Pontificatu per sanctos Ephesi congregatos divino suffragio dejectus est, et jussu Imperatoris Œsim habitare jussus.

Eadem rursus legere est in ejusdem THEODORETI *contra Nestorium ad Sporacium Libro. Catholicum deinde dogma ex Scripturis et Traditione adversùs Nestorium fusè probat his verbis.* Nos, Evangelicis et Apostolicis ubique dogmatibus obsequentes, juxta sanctorum Patrum traditionem, Deum Verbum universi hujus conditorem ac dominum, unigenitum Patris Filium, seculis anteriorem corporis et omnium quæ sunt corporis expertem, in quo sunt omnia quæ in Patre, præter quam esse Patrem, credimus in novissimis diebus, suâ ipsius benignitate permotum, Deique Patris bonâ voluntate, ex sanctâ Virgine consubstantiali carne sumptâ hominem factum, Deum (unà cum eo quod assumpsit) natum esse, non eo abjecto quod erat, (Deus quippe ab omni mutatione liber est,) sed hoc adjuncto, quòd homo etiam factus est. Hunc, sicut ait Apostolus, (*Hebr.* IV. 15.) humanis quoque affectionibus tentatum fuisse per omnia pro similitudine et lege humanâ absque peccato. Esurisse enim, et fatigatum ac lacrymatum esse, et alia ejusmodi, humanæ naturæ veritatem demonstrant: passumque esse sub Pontio Pilato, et mortuum ac sepultum esse, et tertiâ die resurrexisse, atque in cœlos assumptum esse, cum Patre simul adoratum et conglorificatum ab universâ intellectu sensuque prædità naturâ: et ipsum rursus venturum ad judicandos vivos

et mortuos, nullo pacto ex servi forma imminutum à divina natura: sed unum Deum unigenitum et dominum universi, cum propria carne confessum et semper adoratum. Hac de causa Deipara,.... ab iis, qui Christum tanquam Deum adorant, Virgo prædicatur: non quasi divina natura Unigeniti essentiæ suæ principium ex ea sumpserit. Deus enim et nunc est, et erit, et erat, in principio, neque ab ullo unquam, ut esset, principium sumpsit: sed cùm jam esset, incarnationis dispensationisque erga nos suæ initium fecit virginei et immaculati uteri habitationem. Atque hujus rei testis est Apostolus Paulus, testis est et divinus Evangelista Joannes. Sanctus quidem Paulus *Galat.* IV. 4. sic exclamans: *Misit Deus Filium suum*, qui erat videlicet, (neque enim mittitur quod non est, sed fit,) *factum ex muliere*.... Joannes cùm dixisset, quòd Deus erat Verbum, et in principio, et apud Deum erat, ei semper erat, et quòd omnia per ipsum facta sunt, et quòd ipse Dominus est omnium: cùm ostendisset, sine principio ipsius essentiam esse, et consubstantialem Patri tanquam unigenitum: tum ad arcanos etiam incarnationis sermones descendens, ait (I. 14.), *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Quomodo ergo non Deipara, quæ Deum Verbum, et in utero gestavit hominem factum, et peperit, et mater ejus quem peperit, necessariò creditur? Sed et Prophetæ omnes hoc prædicant. An Esaïam vociferantem (VII. 14.) non audisti; *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Non juxta te et deliras tuas nugas organum Deitatis, sed Deum nobiscum, hominem sicut nos factum. Et Hieremiam, qui et ipse Verbum incarnatum Deum esse profitetur his verbis (*Baruch.* III. 36. *et* 37.), *Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversùs eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ.* Et post pauca (*Ibid.* 38.): *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Et Præcursoris matrem ab adorando Spiritu propheticè incitatam, et exclamantem (*Luc.* I. 43.): *Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?...* Quòd ergo Deipara sit Virgo, sanis mentibus sufficiunt quæ diximus: sed doctam ejus argumentationem paucis evertere conabor. Paulò itaque superiùs, Christi, aiebat, appellatio duas naturas designat, Deus verò simplicem et incompositam, homo autem humanam repræsentat naturam. Quid ais? Ergo cùm Dominus in Evangeliis diviniora, et ut ipse loquitur (*Joan.* III. 13.), cœlestia docens, Nicodemo diceret,... *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Quia Filium hominis apertè dixit, an humanam naturam de cœlis descendisse dicemus?... Facessat blasphemia. Nec enim de cœlis descendit Domini caro, nec implet omnia: sed de divinitate Christi Domini hic sermo est. Qui enim de cœlis descendit, et implet omnia, nec illa deserit unde descendit. Deus est Verbum, per Prophetam clamans (*Jerem.* 23. 24.), *Numquid non cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus?* Et rursus (*Isaï.* XL. 12.) *Qui mensus est aquas manu, et cœlum palmo, et omnem terram pugillo.* Et (*Id.* LXVI. 1.), *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Quatenus Deus est, in cœlo existens, et ad nos descendens, et omnia implens: quatenus autem homo factus est, post sui ad nos demissionem, et ad cœlos sublatus, et cum Patre conglorificatus. Hoc namque id etiam significat, quod sacer Psaltes ait (*Ps.* CIX. 1.), *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Ecce inanis verborum tuorum sapientiæ vox Domini valida est refutatio. Filium enim hominis cùm priùs dixisset, descendentem de cœlo, in illis manentem unde descendit, (hoc quippe declaravit dicens (*Joan.* III. 13.), *qui est in cœlo,*) divinam et omnia continentem substantiam designavit, quæ ad nos per incarnationem descendit, nostramque in se naturam ad paternum thronum extulit, sicut à divino Paulo dictum est (*Ephes.* I. 20. *et seq.*), *Et illum suscitavit* (Christum) *à mortuis, et constituit ad dexteram suam supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro.* Non ulique quòd divina Unigeniti substantia, post resurrectionem à mortuis, Patris gloriam sit consecuta: sed quòd tunc, post ascensum in cœlos, Dei Verbum cum propria carne Patris glorià honoratum fuerit et adoratum. Et alio loco etiam idem Paulus Apostolus futilem istam orationem tuam refellit. Ad Corinthios enim scribens, inquit, (I. *Cor.* XV. 47.) *Primus homo de terra ter-*

renus : secundus homo, *Dominus de cælo*. Ecce solius hominis voce præmissâ, subjecit : Dominus de cœlo, divinam per id quod *de cœlis* dixerat interpretans substantiam. Sed et Deum sæpè nominantes divini Prophetæ et Apostoli, humanam subjiciunt naturam. Hieremias exclamans (*Baruch.* III. 36.), *Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversùs eum.* Ac deinde ne singula referam, *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus.* Non utique hominum oculis percipiendam Unigeniti divinitatem vaticinans : sed in eo quod ait *visus est*, Dei Verbi carnem apertè demonstrans. Ejusdem quoque est sententiæ, quod in Psalmo XLIX. à divino Davide dictum est (*v.* 3.), *Deus manifestè veniet.* Et Sophonias item Propheta idipsum prophetat dicens, *Apparebit Dominus super eos, et disperdet omnes Deos gentium terræ.* Necminùs Evangelista Joannes arcanum hoc prædicat mysterium, *Quod fuit ab initio*, dicens (1. *Epist.* I. 1.), *quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ.* Haud sanè incorpoream et invisibilem Dei Verbi naturam manibus contrectari sciens, sed Dei Verbi appellatione honorans. Sic enim se res habet, et hanc nobis fidem tradiderunt, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis, et qui post illos omnes fuit sacer sanctorum Patrum numerus. Quòd postquam Unigenitus Dei Verbum, Deus manens, homo sicut nos factus est, affectionesque nostras in seipso per servi formam suscepit, nec vocabulis nec naturâ deinceps à propria carne sejungitur : sed sive hominem dixerit, Deum Verbum dicit, sive Deum nominarit, nihilo seciùs cum carne sua nominat.

Quæ superiùs de Nestorio ejusque hæresi tam ex Socrate *quàm ex* Theodoreto *retulimus, iisdem ferè verbis narrat* EVAGRIUS 6. *primis* Histor. Eccles. *capit. Nonnulla tamen scribit ab aliis indicta, quæ hìc atteximus.*

EVAGRIUS SCHOLAST. *Eccles. Hist. lib.* 1. *cap.* 2. Nestorius apud Mopsuestiam congressus cum Theodoro, auditâ illius doctrinâ, à recta pietate deflexit, sicut in Epistola quadam de his rebus agens scribit Theodulus.

Cap. 3. Quæ (hæresim Nestorii) cùm Cyrillus Alexandrinorum Episcopus, vir celeberrimi nominis, per litteras suas reprehendisset, iisdemque respondisset Nestorius, ac neque iis quæ à Cyrillo, neque his, quæ à Cælestino senioris Romæ Episcopo scripta erant, acquiesceret, sed nihil veritus, adversùs universam Ecclesiam proprium virus evomeret ; meritò Cyrillus petiit à Theodosio, qui tunc Orientis Imperium administrabat, ut ejus mandato prima Synodus Ephesi congregaretur, imperialibus litteris, tum ad Cyrillum ipsum, tum ad omnes ubique sanctissimarum Ecclesiarum Episcopos missis. Igitur Theodosius Synodum indixit die sanctæ Pentecostes, etc.

Cap. 4. Elapsis igitur diebus quindecim ultra præstitutum diem, Episcopi, qui ad id convenerant, quasi Orientales omninò venturi non essent, aut certè post longi temporis moram, in unum coeunt, divino Cyrillo Cælestini quoque Romanæ urbis... Episcopi vices gerente. Accersunt itaque Nestorium, hortantes ut objectis criminibus responderet. Qui cùm primâ die pollicitus se venturum si opus esset, promissum exsequi neglexisset, ac ter vocatus, sese in judicio non stitisset, Episcopi, qui aderant, negotium examinare aggressi sunt. Cumque Memnon Episcopus Ephesiorum, dies qui ultra præstitutum tempus effluxerant, perœnsuisset, erant autem dies illi numero sedecim ; lectæque essent Epistolæ divini Cyrilli ad Nestorium, et Nestorii vicissim ad Cyrillum datæ : cùm adjecta etiam esset sacra illa Epistola admirabilis Cælestini ad eumdem Nestorium : cumque Theodoretus Ancyræ et Acacius Melitinæ Episcopi, verba impia, quæ Nestorius Ephesi palàm effuderat, exposuissent. Collectis denique multis sententiis Sanctorum et probatissimorum Patrum, qui rectam ac sinceram fidem exposuerant, insertis etiam variis blasphemiis quas impius Nestorius vesanâ mente profuderat, sancta Synodus adversùs Nestorium hæc ad verbum pronuntiavit : Ad hæc quoniam reverendissimus Nestorius nec vocationi nostræ obtemperare voluit, nec sanctissimos et religiosissimos Episcopos à nobis missos suscepit, necessitate compulsi, ea, quæ ab illo impiè dicta fuerant, examinare aggressi sumus. Cumque illum partim ex Epistolis ejus ac Libris qui etiam recitati sunt, partim ex verbis ipsius quæ nuper in hac me-

Impiam hanc hæresim egregiè confutarunt S. Proclus Cyzicenus Episcopus, et S. Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, qui primas habuit partes in illius expugnatione. Damnavit eam Cælestinus summus Pontifex, cujus eâ de re judicium magnis acclamationibus exceptum est, et approbatum à Concilio Ephesino œcumenico tertio ob eam rem solùm convocato anno 431.

EUTYCHES Presbyter et Archimandrita, hoc est, Abbas celeberrimi Constantinopoleos monasterii, auctor fuit hæreseos *Eutychianæ*, quæ etiamnùm perseverat in Oriente. Hæc errori Nestorii fuit ex adverso opposita. Contendebat enim Nestorius duplicem esse in Christo personam, sicut est natura duplex; Eutyches contrà unam asserebat esse in Christo naturam; quia adversùs Nestorium definierat

tropoli dixit, et quæ multorum testimonio confirmata sunt, illum impiè sentire ac prædicare deprehendissemus, adigente canonum auctoritate et Epistola sanctissimi Patris et collegæ nostri Cælestini Ecclesiæ Romanæ Episcopi, post multos fletus ad hanc tristem sententiam tandem processimus. Igitur Dominus noster Jesus Christus, contra quem impiè locutus est Nestorius, per hanc sacrosanctam Synodum decrevit eumdem Nestorium et ab Episcopali dignitate, et ab omni Sacerdotali conventu extraneum esse.

Cap. 5. Porrò Imperator Theodosius, initio quidem depositionem Nestorii haudquaquam probavit: posteà verò cognitâ ejus impietate, cùm litteras admodum pias ad Cyrillum et Joannem Episcopos scripsissel, illi inter se conciliati sunt, et depositionem Nestorii confirmarunt.

Cap. 7. *ex ipsius Nestorii Epistola hæc refert.* Cùm quidam Episcopi utriusque partis ex Ephesiorum urbe missi essent ad Theodosium, et Nestorius ipse id rogasset, permissum ipsi esse ut ad Monasterium suum reverteretur, situm ante portas urbis Antiochiæ.... Refert Nestorius.... quadriennio se illic commoratum, omni honore ac reverentiâ affectum fuisse: posteà autem edicto Imperatoris Theodosii in locum, qui Oasis dicitur, esse relegatum. Sed quod præcipuum est reticuit. Illic enim degens Nestorius, à blasphemia sua nequaquam destitit. Adeò ut Joannes Episcopus Antiochiæ hæc ad Imperatorem retulerit, et Nestorius perpetuo exilio fuerit condemnatus. *Rursus ex Nestorii Epist. ad præsidem Thebaidis.* Oasis, quæ alio nomine Ibis dicitur, postquam barbaricâ captivitate, et igni ac ferro funditùs vastata est, nos à barbaris nescio quomodo misericordiâ erga nos commotis dimissi sumus, qui minacibus etiam contestationibus nos terruerant, ut confestim ex nostra regione excederemus: cùm Mazices post ipsos eam protinus occupaturi essent, venimus in Thebaïdem unà cum reliquiis captivorum, quos barbari miserationè adducti, ad nos nescio qua de causa adduxerunt. Et isti quidem, quò quisque voluit, abire permissi sunt. Nos verò palàm Panopolim ingressi, nosmetipsos exhibemus. *Et ex alia ejusdem ad eumdem Epist* Hæc cùm ita accidissent, nescio quo impulsu aut qua occasione commotâ magnificentiâ tuâ, ex Panopoli Elephantinam quod oppidum est in finibus provinciæ Thebaïdis, per barbaros milites abducti sumus, rapti eò tractique militari auxilio. Cumque majori itineris parte confectâ attriti essemus, rursùs magnanimitatis tuæ mandatum offendimus sine scripto, quo Panopolim redire jubebamur. Tot igitur casibus longi itineris confecti corpore, et morbo et senectute languido, manu et lateribus contritis, iterum Panopolim venimus, animam quodammodo agentes. Cumque acerbitate casuum, et doloris molestiâ adhuc cruciaremur, rursùs aliud mandatum à magnanimitate tua scriptum, ex Panopoli ad quemdam locum ei contributum nos adduxit. *Hæc ipse Nestorius.* Ego verò, *inquit Evagrius,* Scriptorem quemdam legi, de illius morte ita narrantem: eum linguâ vermibus erosâ ad graviora et sempiterna migrasse supplicia.

Ecclesia unam esse in Christo personam. Apollinaris errorem, de quo suprà diximus, renovare videbatur Eutyches, non tamen omninò renovabat. In eo quippe positus erat Apollinaris error, quòd contenderet naturam humanam Christi sic absorptam fuisse à naturâ divinâ, ut semper una Christi humanitatis et divinitatis natura fuerit; nec proindè corpus Christi formatum sit ex corpore Virginis, sed in uterum virginalem fuerit è cœlo delapsum. Eutyches verò fatebatur quidem corpus Christi verè formatum fuisse ex corpore Virginis; sed contendebat incarnatione Verbi factum fuisse, ut ex conjunctione divinitatis cum humanitate non solùm una persona, sed etiam una natura coalesceret; ita ut non remaneret ulla utriusque naturæ distinctio. (D) Ecclesia autem credidit et docuit semper, ut

(D) THEODORET. *Hæret. fabul. lib.* 4. *n.* 13. Dæmon.... nequitiæ suæ idoneum instrumentum nactus miserum Eutychem, jam olim exoletam Valentini hæresim fecit rursùs pullulare. Arius enim solius corporis, Apollinarius etiam animæ assumptionem confessus est; hic verò etiam corpus assumptum negavit. Dicebat enim Deum Verbum nihil humanum ex Virgine sumpsisse: sed ipsum immutabiliter conversum, et carnem factum. (ridiculis enim ejus verbis utor) per Virginem tantummodò trajecisse, crucique affixam et appensam fuisse incircumscriptam, interminatam, incomprehensam Unigeniti divinitatem, eamdemque tumulo mandatam resurrexisse.

EVAGRIUS SCHOLAST. *Eccles. Histor. lib.* 1. *cap.* 9. Hujus (Flaviani Constantinopolitani Episcopi) temporibus, mota est quæstio de impio Eutyche; collectâ particulari Synodo apud Constantinopolim, cùm Eusebius Dorylæi Episcopus libellos porrexisset, is qui jampridem, dùm Rhetor esset, impietatem Nestorii primus coarguerat. Eutyches igitur, cùm ad Synodum vocatus non venisset, ac deindè coràm convictus esset hæc dixisse: Fateor Dominum nostrum Jesum Christum, ante unitionem quidem duas habuisse naturas: post unitionem verò unam duntaxat confiteor. Sed et corpus Domini negabat ejusdem esse substantiæ, cujus sunt nostra; depositus est. Sed cùm libellum precum obtulisset Theodosio, quasi acta Synodi falsata fuissent à Flaviano, primùm quidem collecta est Constantinopoli Synodus vicinorum Episcoporum. In qua præsentibus etiam quibusdam Magistratibus, Flavianus judicatus est. Cumque Synodus acta vera esse confirmasset, secundum Concilium Ephesi congregatum est.

Cap. 10. Huic Concilio præsidere jussus est Dioscorus, Alexandrinæ Ecclesiæ post Cyrillum Episcopus, quod quidem ob inimicitias adversùs Flavianum molitus fuerat Chrysaphius, qui tunc plurimum poterat in palatio. Interfuit eidem Synodo Juvenalis Hierosolymorum Episcopus, qui et priori apud Ephesum Synodo interfuerat, unà cum multis aliis Sacerdotibus quos circa se habebat. Erat cum illis etiam Domnus, Antiochenæ Ecclesiæ post Joannem Episcopus: Julius item Episcopus, qui Leonis Episcopi Romani vices gerebat. Adfuit etiam Flavianus unà cum suis Episcopis: cùm Theodosius Imperator hæc ad verbum mandasset Elpidio. Iis, qui anteà Eutychis religiosissimi Archimandritæ judices exstiterunt, præsentibus quidem et silentibus, judicium tamen locum nequaquam obtinentibus, sed reliquorum omnium sanctorum Patrum communem sententiam exspectantibus: quoniam ea, quæ ab ipsis judicata sunt, nunc examinantur. In hac Synodo Eutyches quidem a Dioscoro et ab Episcopis qui cum illo erant, rescissâ depositionis sententiâ, in integrum restitutus est.... Flavianus verò et Eusebius Dorylæi Episcopus, damnati sunt et depositi. In eadem Synodo Ibas quoque Edessenorum Episcopus, à communione submotus est... Depositus est ab

jam diximus, (1. *Part. Sect.* 1. *Cap.* 1. §. 2.) sic factam fuisse unionem utriusque naturæ in una Verbi persona, ut utraque natura distincta remaneret cum suis proprieta-

iisdem etiam Theodoritus Episcopus Cyri, et Domnus Antiochensis Episcopus.... His ita gestis, soluta est secunda Synodus Ephesina.

Lib. 2. *cap.* 1. *ad calcem.* Porrò Marciano id maximè in votis erat, ut unus idemque cultus ab omnibus exhiberetur Deo, linguis quæ per impietatem confusæ fuerant, rursùs piè unitis: utque divinum numen unà eademque glorificatione laudaretur.

Cap. 2. Cùm hæc in votis haberet, accedunt ad illum, tum responsales Leonis Romanæ urbis Episcopi, affirmantes Dioscorum in secundo Ephesino Concilio non suscepisse Epistolam Leonis, quæ doctrinam veræ fidei continebat. Tum ii, quos idem Dioscorus injuriâ affecerat, supplicantes ut ipsorum causa in Episcopali Concilio judicaretur. Sed præ cæteris urgebat Eusebius, Episcopus quondam Dorylæi, asserens se ac Flavianum insidiis Chrysaphii protectoris Theodosii depositos esse, eò quòd Flavianus Chrysaphio aurum pro ordinatione ipsius postulanti, ad pudorem ei incutiendum sacra vasa misisset: et quòd Chrysaphius in doctrina fidei cum Eutyche consentiret. Aiebat præterea Flavianum à Dioscoro pulsum et calcibus appetitum, miserabili modo interfectum esse. His de causis Synodus Chalcedone congregata est, cùm nuntii ac tabellarii missi fuissent; et singularum urbium Episcopi litteris plissimi Imperatoris acciti essent, primùm quidem Nicæam: adeò ut Romanus Episcopus Leo cùm ad eos scriberet de Legatis, quos ad Concilium miserat, Paschasino scilicet, Lucentio ac reliquis, litteras suas inscriberet ad Episcopos qui Nicææ convenerant; posteà verò Chalcedonem.

Cap. 3. Congregantur itaque in Basilica Euphemiæ martyris, Chalcedone, quæ urbs est provinciæ Bithyniæ.

Cap. 4. Hoc igitur in loco suprà dicta Synodus congregata est, Paschasino quidem et Lucentio Episcopis cum Bonifacio Presbytero, vices, ut dixi, gerentibus Leonis Archiepiscopi senioris Romæ: Anatolio verò Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopatum gubernante. Alexandrinæ autem præsidente Dioscoro: præsentibus etiam Maximo quidem Antiochiæ, Juvenale autem Hierosolymorum Episcopis. Adeunt item Episcopi quos illi circa se habebant, et ii qui in Senatu urbis regiæ principem locum obtinebant. Quibus Vicarii Leonis dixerunt, non debere Dioscorum unà cum ipsis in Concilio sedere. Id enim sibi mandatum esse ab Episcopo suo. Quod nisi fieret, se protinus Ecclesiâ excessuros. Cùmque Senatores interrogassent, quænam essent crimina, quæ objiciebantur Dioscoro, responderunt debere illum judicii sui rationem reddere, qui contra fas personam judicis suscepisset, absque permissu Romani Pontificis. Quibus dictis, cùm Dioscorus ex decreto Senatûs in medium processisset, ibique resideret, Eusebius postulavit ut libellus precum, quem Imperatori obtulerat, recitaretur, his verbis usus. Injuriâ affectus sum à Dioscoro. Fides injuriâ affecta est. Occisus est Flavianus Episcopus, et mecum injustè depositus est ab illo. Jubete ut preces meæ recitentur. Cùmque Judices interlocuti essent, recitatus est libellus precum, qui sic habet.... Quoniam fides Christi, et nos ipsi multa gravia contra jus fasque perpessi sumus à Dioscoro reverendissimo Episcopo magnæ civitatis Alexandriæ, accedimus ad pietatem vestram, postulantes ut jus nobis reddatur. Causa autem hujusmodi est in Concilio quod paulò antè celebratum est in metropoli Ephesiorum, quod utinam celebratum nunquam fuisset, ne orbis terrarum malis ac tumultibus impleretur: bonus ille Dioscorus, nullam justitiæ rationem habens, nec Dei timorem considerans, cùm ejusdem opinionis ac sententiæ esset cum Eutyche, perditæ mentis homine atque Hæretico, occultus autem esset, sicut posteà apertissimè declaravit; occasione arreptâ ex accusatione, quam ego adversùs Eutychem erroris ipsius consortem institueram, et ex sententia à piæ memoriæ Flaviano Episcopo contra eumdem Eutychem prolata, turbam incompositam seditiosorum hominum collegit. Cùmque tyrannicam dominationem pecu-

libus, sine ulla confusione. Multum propagata est hæc hæresis auctoritate impii *Dioscori* Patriarchæ Alexandrini, qui illius suscepit patrocinium et defensionem.

nià sibi comparasset, piam quidem religionem orthodoxorum, quantùm in ipso fuit, labefactavit : pravam autem opinionem Eutychis Monachi, quæ jampridem et ab exordio à sanctis Patribus condemnata fuerat, confirmavit. Cùm igitur non levia sint, quæ adversùs fidem Christi, et contra nos facere tentavit, provoluti ad pedes Majestatis vestræ rogamus, ut eumdem religiosissimum Episcopum Dioscorum respondere jubeatis iis, quæ à nobis illi objiciuntur : lectis scilicet coram sanctissima Synodo monumentis actorum, quæ ille contra nos confecit. Ex quibus demonstrare possumus, illum et à recta fide alienum esse, et hæresim plenam impietatis confirmasse, et nos injustè deposuisse, et gravissimis malis affecisse : missis videlicet divinis et adorandis mandatis vestris ad sanctam et universalem Synodum Deo carissimorum Episcoporum, ut causam quæ est inter nos et supra memoratum Dioscorum, audiat, et ad notitiam pietatis vestræ cuncta referat quæ geruntur, juxta id quod placuerit immortali culmini vestro..... Post hæc juxta petitionem, tam Dioscori quàm Eusebii, acta secundæ Synodi Ephesinæ publicè recitata sunt. Quorum.... ea quæ majoris momenti sunt percurrens, strictim commemorabo : convictum scilicet esse Dioscorum, quòd Epistolam Leonis Episcopi senioris Romæ non suscepisset, et quòd Flavianum Episcopum junioris Romæ intra unius diei spatium deposuisset, et quòd Episcopos, qui erant congregati, in charta pura subscribere curasset, quasi Flaviani nomen in ea perscriptum esset. Post hæc hi, qui ex Senatu erant, ista decreverunt. De recta quidem et Catholica fide crastino die, conveniente majore Concilio, diligentiorem inquisitionem fieri oportere perspicimus. Quoniam verò piæ memoriæ Flavianus, et Eusebius religiosissimus Episcopus, ex scrutatione actorum ac decretorum, et ex ipsa voce eorum qui in Synodo quæ tunc facta est, præsederunt : qui quidem confessi sunt errasse se, et frustra illos deposuisse : cùm nullatenus errassent in fide, injustè depositi esse, noscuntur : videtur nobis juxta id quod Deo placet, justum esse modò id placuerit divinissimo ac piissimo Domino nostro, ut Dioscorus reverendissimus Episcopus Alexandriæ, et Juvenalis.... Episcopus Hierosolymorum, etc. qui tunc potestate succincti Concilio præfuerunt, eidem pœnæ subjaceant, sacrosancti Concili sententiâ : juxta sacros canones, alieni ab Episcopali dignitate judicati.... Exinde libellis altero die datis adversùs Dioscorum de variis criminibus, et de pecuniis ab eo direptis : cùm ille iterum ac tertiò vocatus non comparuisset ob inanes causas, quas prætendebat : ii, qui Leonis Romanæ urbis Episcopi vices agebant, hæc ad verbum decreverunt. Quæ Dioscorus, antehac Episcopus magnæ civitatis Alexandriæ, contra ordinem canonum et contra disciplinam Ecclesiasticam attentavit, manifesta sunt, tam ex his quæ jam examinata sunt in primo consessu, quàm ex his quæ hodie sunt gesta. Hic enim, ut plurima alia prætermittamus, Eutychem eadem cum ipso sentientem, regulariter à proprio depositum Episcopo, sanctissimo scilicet patre nostro et Episcopo Flaviano, propriâ auctoritate contra sacros canones in communionem suscepit, priusquam Ephesi consedisset, unà cum reliquis Deo carissimis Episcopis. Sed istis quidem sedes Apostolica veniam concessit ob ea, quæ illic ab iisdem non sponte gesta erant. Qui quidem hactenus permanserunt, sanctissimo Archiepiscopo Leoni et sanctæ universali Synodo obsequentes. Qua de causa eos, utpote ejusdem cum ipso fidei assertores, in communionem suam recipit. Hic verò usque in hodiernum diem ob ea gloriari non desinit, propter quæ gemere, et ad terram usque sese inclinare debuerat. Prætereà Epistolam beati Papæ Leonis, quam ille ad sanctæ memoriæ Flavianum scripserat, legi minimè permisit. Idque quamvis sæpiùs rogatus esset ab his qui Epistolam attulerant, et quamvis ipse adjecto jurejurando pollicitus esset, se eam recitari jussurum. Quâ minimè perlectâ, sanctissimas per universum orbem terrarum Ecclesias scandalis ac detrimentis complevit. Sed tamen, quamvis tot ac

Hujus sectæ initiis plurimum obstitit S. Flavianus Patriarcha Constantinopolitanus. Eam ut nascentem exstingueret, habitâ Constantinopoli Synodo anno 449, Eutychetanta ab eo præsumpta sint, propositum nobis erat, ob prius ejus impium facinus clementer eum ac benignè tractare, sicut et reliquos Deo dilectos Episcopos, licèt ii non eamdem ac ille judicandi potestatem habuissent. Sed quoniam priorem injustitiam posterioribus factis longè superavit : ansus quippe est excommunicationem dictare adversùs sanctissimum ac religiosissimum magnæ Romæ Archiepiscopum Leonem : prætereà cùm libelli pleni criminum et flagitiorum sancto et magno Concilio contra illum oblati essent, semel, iterum ac tertiò vocatus juxta canonum præscripta per Dei amantissimos Episcopos, minimè obtemperavit, propriâ videlicet conscientiâ ipsum pungente. Eos denique, qui à diversis Synodis justè depositi fuerant, illegitimè in communionem suscepit : contra semetipsum sententiam protulit, Ecclesiasticis legibus sæpiùs proculcatis. Idcircò sanctissimus ac beatissimus magnæ et senioris Romæ Archiepiscopus Leo, per nos et per præsentem Synodum, unà cum beatissimo et omni laude dignissimo Petro Apostolo, qui petra et basis est Ecclesiæ Catholicæ, rectæque fidei fundamentum, Episcopali eum dignitate exuit, et ab omni Sacerdotali officio alienum censuit.... Cùmque alia quædam superioribus gestis adjuncta essent, definitio fidei promulgata est his omninò verbis : Quoniam veritatis inimici, prædicationem illius (*Symboli cujus facta fuerat lectio*) per proprias hæreses subvertere molientes, quasdam vocum novitates pepererunt : alii quidem mysterium dominicæ dispensationis, quæ propter nos facta est, corrumpere ausi, vocem Deiparæ in Maria virgine denegantes : alii verò confusionem et mixtionem introducentes, et unam esse naturam carnis ac Deitatis stultè fingentes, et divinam Unigeniti naturam passioni obnoxiam esse per confusionem somniantes : idcircò sancta hæc magna et universalis Synodus, omnem illis viam fraudis et machinationis adversùs veritatem volens præcludere, et prædicationis jam inde ab initio inconcussum robur vindicans.... propter eos qui dispensationis mysterium audent corrumpere, et eum qui ex sancta Virgine Maria natus est, purum hominem esse impudenter delirant, beati Cyrilli, qui Alexandrinæ Ecclesiæ Pastor fuit, Synodales Epistolas ad Nestorium et ad Orientales Episcopos scriptas suscepit, quippe quæ idoneæ sint tum ad vesaniam Nestorii confutandam, tum ad exponendum salutare Symbolum, in gratiam eorum, qui pio zelo adducti, intelligentiam illius assequi desiderant. Quibus Epistolam quoque beatissimi et sanctissimi Leonis maximæ et senioris Romæ Archiepiscopi exstinguendæ Eutychis malevolentiæ causâ scriptam ad sanctum Archiepiscopum Flavianum : quæ cum beati Petri confessione consentit, et communis quædam columna est adversùs eos qui malè sentiunt, jure meritò conjunxit, ad rectorum dogmatum confirmationem.... Sanctorum igitur Patrum vestigiis insistentes, unum eumdemque Filium confiteri oportere Dominum nostrum Jesum Christum, uno consensu omnes docemus, eumdem perfectum in deitate et eumdem perfectum in humanitate : verè Deum et verè hominem eumdem, ex anima rationali constantem et corpore : consubstantialem Patri secundùm Deitatem, eumdem verò nobis consubstantialem secundùm humanitatem : per omnia similem nobis, excepto peccato : ante secula quidem genitum ex Patre secundùm Deitatem : in extremis autem temporibus eumdem propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine ac Deipara natum : unum eumdemque Jesum Christum, Filium, Dominum, Unigenitum : in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè atque inseparabiliter cognitum ; naturarum differentiâ neutiquam exstinctâ per unionem ; sed servatâ potiùs utriusque naturæ proprietate, et in unam personam seu hypostasim concurrente : non in duas partitum aut divisum personas, sed unum eumdemque Filium unigenitum Deum Verbum Dominum Jesum Christum, sicut olim Prophetæ, et ipse nos de se Christus edocuit, et Patrum Symbolum nobis tradidit.... Prætereà Theodoretus et Ibas restituti sunt in integrum.

tem damnavit. Dioscorus fretus auctoritate Theodosii junioris qui fuerat ab Hæreticis circumventus, Conciliabulum habuit Ephesi, ad cujus consessum noluit admittere Legatos S. Leonis Romani Pontificis. Ibi restitutus est in locum pristinum Eutyches, depositus Flavianus; et cùm appellasset Romanum Pontificem, tot fuit injuriis et verberibus affectus, ut inter tormenta efflaverit animam; adeò ut pro fide Christi Martyr occubuerit. Quin et ipsi S. Leonis Legati, eò quòd absolutioni Eutychetis et depositioni S. Flaviani subscribere noluissent, indignissimè sunt habiti, et in carcerem furore Dioscori detrusi. Propter hæc tam inaudita scelera huic Conciliabulo *Latrocinii Ephesini* à tota antiquitate nomen inditum est. Fidem Ecclesiæ S. Leo summo studio nec minori eruditione et facundià propugnavit. Marcianus autem Imperator, Theodosii junioris successor, non obscura dedit toto hocce in negotio pietatis suæ specimina, præsertim in Concilio Chalcedonensi. Id fuit œcumenicorum quartum: habitum est an. 451. Ibi rescissum fuit quidquid in Latrocinio Ephesino attentum fuerat, damnatus et depositus Eutyches, restituta Flaviani memoria, exauctoratus Dioscorus. Quidquid S. Leo contra novam hanc hæresim scripserat et definierat, in confirmationem eorum, quæ jam fuerant à S. Flaviano definita, magnis applausibus exceptum et approbatum. In his S. Leonis scriptis agnita perpetua Ecclesiæ fides. (E)

Complures habuit hostes Concilium Chalcedonense. Hi in varias sectas scissi sunt. Cæteris celebriores fuere ACEPHALI, sic dicti quia nullum primitùs habuere ducem; secesserunt enim non solùm ab Ecclesiæ Catholicæ communione, sed etiam à communione Petri Mongi pseudo-Patriarchæ Alexandrini, qui favebat Eutychianis. (F)

Cap. 5. Post hæc Dioscorus quidem in urbem Paphlagoniæ Gangram est relegatus: Proterius verò communi totius Synodi suffragio Alexandrinum Episcopatum sortitur.

(E) *Quæ Dioscorum spectant habes hocce* 2. *litt.* (D)

(F) EVAGRIUS SCHOLAST. *Eccles. Hist. lib.* 3. *c.* 4. (*Basilicus Imperator*) missâ ad ipsum legatione quorumdam urbis Alexandrinæ, Timotheum Ælurum (*Pseudo-Episcopum Alexandrinum*) ab exilio revocavit.... Igitur Timotheus cùm in urbem regiam venisset, persuasit Basilisco, ut Encyclicas litteras ad omnes ubique Episcopos mitteret, (*Hæ typi nomine notiores sunt.*) et ea quæ Chalcedone gesta fuerant, et Leonis librum anathemati subjiceret. Litteræ autem sic habent.

Imperator Cæsar Basiliscus.... Timotheo.... Archiepiscopo magnæ urbis Alexandrinorum. Quotquot leges pro recta atque Apostolica fide sanxerunt religiosissimi, qui ante nos fuerant Imperatores, quicunque sanctam et beatam et immortalem ac vivificam Trinitatem perpetuò coluere: eas utpote quæ universo orbi salutares semper exstiterint, nullo unquam tempore irritas esse volumus: sed potiùs tanquam leges proprias promulgamus. Nos verò qui pietatem ac zelum pro Deo ac servatore nostro Jesu Christo, à quo conditi et ad hanc gloriam evecti sumus, omni curæ ac sollicitudini rerum humanarum longè anteponimus: et qui præterea credimus concordiam gregis Christi, tum omnium subditorum salutem existere, firmumque nostri Imperii funda-

mentum et inexpugnabilem murum esse : idcircò divino inflatus zelo commoti, et velut quasdam Imperii nostri primitias, sanctæ Ecclesiæ unitionem Deo ac servatori nostro Jesu Christo offerentes, sancimus ut basis ac firmamentum felicitatis humanæ, Symbolum videlicet trecentorum et octodecim sanctorum Patrum, qui olim sancti Spiritûs instinctu Nicææ congregati sunt, in quod cùm nos tum majores nostri credentes, baptizati sumus, solum in cunctis sanctissimis Dei Ecclesiis et Orthodoxorum populorum conventibus usurpetur atque obtineat : quippe quòd unum regula sit rectæ ac sinceræ fidei, sufficiens tum ad eversionem cujuslibet hæreseos, tum ad perfectam sanctarum Dei Ecclesiarum unitionem. Ita tamen ut suum robur ac vigorem obtineant etiam ea, quæ in hac regia urbe à centum et quinquaginta sanctis Patribus gesta sunt ad confirmationem ejusdem sanctissimi Symboli, adversùs eos qui in Spiritum sanctum blasphemabant : ea insuper quæ in Ephesiorum metropoli contra impium Nestorium acta sunt, et contra eos qui ejus errorem posteà sunt secuti. Ea verò quæ sanctarum Dei Ecclesiarum consensum ac tranquillitatem, et totius orbis pacem diruperunt; tomum scilicet Leonis, et cuncta quæ Chalcedone in definitione fidei aut expositione Symbolorum, docendi vel interpretandi vel disputandi causâ, ad innovationem suprà memorati sacri Symboli trecentorum et octodecim sanctorum Patrum dicta et gesta sunt, hîc et ubique per singulas Ecclesias ab universis sanctissimis Episcopis anathematizari decernimus, et ubicunque reperta fuerint, flammis absumi. Sic enim piæ ac beatæ memoriæ Imperatores qui ante nos vixere, Constantinus scilicet ac Theodosius junior, de cunctis hæreticis dogmatibus præceperunt. Hoc igitur modo confirmata atque abrogata, ex Catholica atque Apostolica orthodoxa Ecclesia, quæ unica est, penitùs ejiciantur, utpote quæ æternos ac salutares trecentorum et octodecim sanctorum Patrum, et beatorum centum ac quinquaginta Patrum, qui de Spiritu sancto pronuntiarunt, eorum denique qui Ephesi congregati sunt, terminos commutent. Nulli igitur omninò, nec Sacerdoti, nec laïco liceat, divinam illam Sacro-Sancti Symboli constitutionem ullo modo transgredi. Porrò unà cum omnibus novitatibus, quæ apud Chalcedonem factæ sunt contra divinum Symbolum, anathematizari quoque decernimus hæresim eorum, qui Filium Dei unigenitum ex sancto Spiritu de Maria semper virgine ac Deipara incarnatum verè et hominem factum esse negant, sed aut ex cœlo, aut phantasticè ac putativè carnem sumpsisse fabulantur : omnem denique hæresim, et si quid aliud quocunque tempore, vel modo, vel loco orbis terrarum, aut in sensu, aut in verbis, ad divini Symboli transgressionem innovatum est. Quoniam verò Imperialis providentiæ proprium est, non præsenti solùm, sed futuro etiam tempore securitatem subditis suis providâ mente largiri, decernimus ut omnes ubique locorum sanctissimi Episcopi, Encyclicæ Epistolæ nostræ ipsis exhibitæ subscribant, perspicuè declarantes, se soli trecentorum et octodecim sanctorum Patrum divino Symbolo inhærere, quod centum et quinquaginta sancti Patres posteà confirmarunt. Quemadmodum sanctissimi Patres, qui in Ephesiorum metropoli posteà convenerunt, decreto suo definierunt : solum videlicet sacra Symbolum trecentorum et octodecim sanctorum Patrum, tanquam regulam fidei sequi oportere : Anathematizantes ac penitus rejicientes à sanctis Ecclesiis, quidquid apud Chalcedonem factum est offendiculum Orthodoxæ plebis, quippe quod totius orbis, nostræque privatim felicitati fuerit impedimento. Qui verò post hosce nostros divinos apices, quos ex Dei sententia promulgatos à nobis esse confidimus, quippe qui optatam ab omnibus unitatem sanctissimis Dei Ecclesiis conciliant, novitatem quæ adversùs fidem Chalcedone facta est, aut inter disputandum, aut inter docendum, aut in scriptis suis quocunque demum tempore et modo ac loco proferre unquam, aut omninò nominare tentaverint, eos tanquam tumultûs ac seditionum sanctis Dei Ecclesiis et universi, qui nostro Imperio parent, auctores, Deique ac nostræ salutis hostes; juxta leges quæ jam pridem de hujusmodi improbitate latæ sunt à beatæ ac divæ memoriæ Imperatore Theodosio, quas etiam huic nostræ sacræ Epistolæ Ency-

clicæ subjecimus : si quidem Episcopi sunt aut Clerici, deponi præcipimus : si verò Monachi aut laïci, exilio et bonorum omnium publicationi et extremis pœnis subjacere. Ita enim sancta et consubstantialis Trinitas, omnium conditrix ac vivificatrix, quæ à pietate nostra perpetuò adoratur, nunc quoque tam per abolitionem eorum, quæ suprà diximus, zizaniorum, quàm per confirmationem rectarum et Apostolicarum sancti Symboli traditionum, à nobis culta, animabus nostris et subditis omnibus propitia ac benigna deinceps futura est, et res humanas nobiscum gubernans, pacatas ac tranquillas efficiet.

Cap. 5. His encyclicis litteris... Timotheus (*Ælurus*) qui paulò ante reversus ab exilio fuerat, consensit. Petrus quoque cognomento Fullo, Episcopus Antiochiæ, qui unà cùm Timotheo erat Constantinopoli.... Zacharias refert, Anastasium etiam Hierosolymorum Episcopum, qui Juvenali successerat, iisdem Encyclicis subscripsisse, aliosque item complures : adeò ut circiter quingenti numero fuerint, qui Leonis Epistolam et Chalcedonense Concilium damnaverunt.

Cap. 7. Scribit idem Zacharias, Acacium Constantinopolitanum Episcopum ob eas res dolore perculsum, Monachos et populum urbis regiæ adversùs Basiliscum, ut qui Hæreticus esset, concitasse. Basiliscum verò litteras suas Encyclicas tandem abnegasse, et lege latà constituisse, ut ea quæ per subreptionem facta fuerant, irrita essent : litteras denique prioribus Encyclicis contrarias misisse, quibus Chalcedonensis Synodus confirmatur.

Cap. 9. Interim verò Episcopi Asiæ, ut Acacium placarent, excusatione apud eum usi sunt, veniamque petierunt missis ad illum pœnitentiæ libellis : quibus asseverebant se necessitate adactos, non autem suà sponte, Encyclicis litteris subscripsisse : jurabantque, rem ita se habere, nec se aliter quàm juxta Chalcedonensis Synodi formulam credere nunc, et anteà credidisse.

Cap. 11. Cùm Timotheus (*Ælurus*) naturæ debitum persolvisset, Episcopi Alexandrinæ sedi subjecti, Petrum quemdam cognomento Mongum suà sibi auctoritate Episcopum eligunt. Quod ubi Zenoni (*Imperatori*) nuntiatum est, vehementer eum conturbavit. Ac Petrum quidem Zeno morte mulctandum censuit. Timotheum verò successorem Proterii, (*cognomento Salofaciolum*) qui ob seditionem populi tunc Canopi degebat, revocavit.

Cap. 12. Haud multò post mortuo Timotheo.... Joannes.... Episcopus Alexandriæ constituitur. Quod ubi comperit Imperator, illum quidem ejici præcepit. Quorumdam autem suasu, allocutionem scripsit ad Alexandrinos, quam Henoticon appellavit. Jussitque ut Alexandrina sedes Petro restitueretur, dummodò ille Henotico suo subscribere, et Proterianos in communionem suscipere voluisset.

Cap. 13. Hanc depositionem, consilio Acacii regiæ urbis Episcopi factam, Pergamius qui Præfectus Ægypti constitutus fuerat, secum detulit. Is cùm Alexandriam appulisset, Joannemque fugâ elapsum esse didicisset, in colloquium venit cum Petro : suasitque ei ut Zenonis allocutionem, et eos qui ab ipso dissentiebant, susciperet. Petrus itaque suprà memoratam allocutionem suscepit, eique subscripsit.... Nec multò post, cùm publica festivitas ageretur Alexandriæ, et Zenonis Henoticon omnes communi consensu amplecterentur, Petrus Proterianos quoque in communionem recepit. Cùmque ipse in Ecclesia allocutionem fecisset ad populum, Zenonis quoque allocutionem recitavit, quæ sic habet.

Cap. 14. Imperator Cæsar Flavius Zeno.... Episcopis, Clericis ac Monachis et populis, per Alexandriam et per Ægyptum et Libyam ac Pentapolim constitutis... Preces nobis oblatæ sunt à religiosissimis Archimandritis et Eremitis et aliis reverendis hominibus, qui cum lacrymis supplicabant, ut unitas fieret sanctissimis Ecclesiis, et membra membris conjungerentur, quæ boni totius inimicus jamdudum à se invicem disjungere conatus est : sciens se, si integrum Ecclesiæ corpus impugnaverit, facilè esse superandum. Ex hoc enim contigit, ut innumerabilis hominum multitudo, quam tot annorum spatio temporis longinquitas ex hac luce subtraxit, partim regenerationis lavacro fraudata interierit, partim absque divinæ communionis perceptione ex hac vita migraverit :

utque innumeræ cædes perpetratæ sint, et effusi sanguinis copiâ non terra solùm, sed etiam aer ipse sit contaminatus. Quæ quidem, quotusquisque est qui non optaverit in meliorem statum commutari? Quapropter scire vos volumus, nec nos, nec eas quæ ubique sunt Ecclesias, aliud Symbolum.... aliamve definitionem fidei, ... præter Symbolum (*Nicænum*) trecentorum et octodecim sanctorum Patrum, quod à centum et quinquaginta sanctis Patribus (*Constantinopoli*) confirmatum est, habuisse, vel habere, vel habituros esse, nec scire quosquam qui habeant. Quòd si quis habeat, hunc extraneum esse judicamus. Hoc enim Symbolo... Imperium nostrum servari confidimus. Sed et omnes populi, qui salularem Baptismum percipiunt, hoc solo accepto Symbolo baptizantur. Idem etiam secuti sunt sancti Patres qui Ephesi convenerunt, et qui impium Nestorium unà cum iis, qui ejus sententiam posteà amplexi sunt, deposuerunt. Quem quidem vos simul cum Eutyche, utpote contraria memoratis Patribus sentientes, anathematizamus, suscipientes etiam duodecim capitula, quæ à sanctæ memoriæ Cyrillo, sanctæ Catholicæ Alexandrinorum Ecclesiæ quondam Archiepiscopo, dicta sunt. Confitemur autem unigenitum Dei Filium et Deum, verè hominem factum; Dominum nostrum Jesum Christum, consubstantialem Patri secundùm Deitatem, eumdemque nobis consubstantialem quoad humanitatem; Qui descendit et incarnatus est ex Spiritu sancto de Maria Virgine ac Dei genitrice, unum esse non duos. Unius enim esse dicimus, tum miracula, tum passiones quas sponte suâ in carne sustinuit. Eos verò qui dividunt aut confundunt, aut phantasiam introducunt, nullatenus suscipimus. Siquidem vera illa et peccati expers incarnatio ex Dei genitrice, accessionem alterius filii non effecit. Trinitas enim semper permansit Trinitas, etiamsi unus ex Trinitate, Deus scilicet Verbum incarnatus sit. Scientes itaque, sanctas et Orthodoxas, quæ ubique sunt, Ecclesias Dei, et qui illis præsunt Deo amantissimos Episcopos, nostrum denique Imperium, nullum aliud Symbolum aut definitionem fidei præter suprà memoratum sanctum Mathema admisisse vel admittere, absque ulla cunctatione nos adunavimus. Hæc autem scripsimus vobis, non innovantes fidem, sed ut vobis satisfaceremus. Quicunque verò aliter sentit aut sensit, vel nunc vel quandocunque aliàs, sive Chalcedone, sive in alia qualibet Synodo, eum anathematizamus: præcipuè tamen Nestorium et Eutychem, et eos qui idem cum illis sentiunt. Conjungimini igitur matri spirituali Ecclesiæ, ut in ea, una eademque nobiscum divina communione fruamini, juxta memoratam fidei definitionem trecentorum et octodecim sanctorum Patrum, quæ una ac sola est fidei definitio. Sanctissima enim mater nostra Ecclesia, vos tanquam proprios filios exspectat ut amplectatur, et post diuturnum tempus, suavem vocis vestræ concentum audire desiderat. Festinate igitur concito cursu. Quod si feceritis, tum Domini et Servatoris ac Dei nostri Jesu Christi benevolentiam vobis conciliabitis, tum à nostra Majestate maximam laudem referetis. His perlectis Alexandrini omnes sanctæ Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ sese adunarunt.

Quàm subdola sit hæc fidei expositio nemo non sentit, siquidem Eutychem æquè ac Nestorium videtur anathematizare: at Concilium Chalcedonense palàm rejicit; duas verò naturas in una hypostasi seu persona subsistere tacet, etc. *Nec mirum si hæresis, ipsis Imperatorum edictis suffulta, tam profundas radices egerit ac in Oriente etiamnum perseveret.*

Cap. 16. Sed et Calendio Episcopus Antiochiæ, litteras scripsit ad Zenonem Imperatorem, et ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum, quibus Petrum adulterum vocabat: asserens eum, cùm esset Alexandriæ, Chalcedonensem Synodum publicè anathematizasse. Verum Calendio aliquantò post Oasim in exilium relegatus est.... Petrus autem cognomento Fullo, qui ante Calendionem et Stephanum.... Episcopus fuerat Antiochiæ, sedem suam recuperavit. Qui quidem et Zenonis Henotico subscripsit, et Synodicas litteras dedit ad Petrum Alexandrinæ urbis Episcopum. Cum eodem Petro Alexandriæ Episcopo Acacius quoque Constantinopolitanus Episcopus communionem iniit.... Posteà tamen quidam à communione Petri sese abjunxerunt. Atque exinde Petrus Chalcedonensem Synodum publicè anathematizavit. Quæ res cùm nuntiata esset Acacio Constantinopoleos Episcopo, non mediocriter eum

Hi dicti sunt posteà *Severiani :* quia *Severus* occupatâ sede Patriarchali Antiochenæ Ecclesiæ dux eorum fuit. (G)

conturbavit. Missi sunt igitur ab Acacio, qui rei veritatem inquirerent. Quibus cùm Petrus persuadere vellet, nihil ejusmodi à se factum esse, acta confici curavit, in quibus quidam testati sunt, nihil hujusmodi, quod quidem scirent, à Petro factum fuisse.

Cap. 17. Hic enim Petrus, veluti quidam veterator, et qui temporibus sese accommodaret, in eadem sententia minimè perseveravit, sed nunc Chalcedonensem Synodum sub anathemate damnabat : nunc palinodiam canens, eamdem omnibus suffragiis amplectebatur.

Cap. 22. Porrò invalescente schismate Alexandriæ, Petrus, cùm Leonis Epistolam et acta Chalcedonensis Synodi, eosque qui Dioscori ac Timothei scripta minimè susciperent, iterùm sub anathemate damnavisset, Episcopis quibusdam et Archimandritis persuasit, ut sibi communicarent. Et quoniam aliis persuadere non potuerat, plurimos monasteriis suis exegit.

Cap. 23. Inter hæc Acacio Constantinopolitano fatali sorte sublato, Fravita in ejus locum succedit. Qui cùm Synodicas suas ad Petrum misisset, rescripsit ei vicissim Petrus, de Chalcedonensi Synodo eadem dicens, quæ suprà commemoravi. Mortuo deinde Fravita... Euphemius ejus loco Episcopus est ordinatus. Hic accepit synodicas Epistolas, quas Petrus ad Fravitam scripserat. Cùmque in illis anathematizari gesta Chalcedonensis Synodi deprehendisset, magnoperè conturbatus est, seque à Petri communione sejunxit... Cùm igitur Euphemius ac Petrus adversùs se invicem contenderc, et Synodos alter contra alterum convocare jam pararent, Petrus fatali morte præripitur.

(G) Evagrius Scholast. *Eccles. Hist. lib.* 3. *c.* 33. Ejecto Flaviano, Severus ad Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ promotus est.... Hic Severus patriam habuit Sozopolim... Ac primùm quidem Beryti causidicinæ operam dederat. Posteà verò, relicto jurisprudentiæ studio, cùm sacrum baptismum suscepisset, ... illicò monasticam vitam amplexus est in quodam monasterio, quod inter civitatem Gazam et oppidum Majumam in medio itineris positum est. Quo in loco Petrus quoque Iberus, qui ejudem Gazæ Episcopus fuit, et qui cum Timotheo Æluro in exilium missus est, monasticum vivendi genus excoluit.... Porrò Severus quodam die, disputatione habitâ, congressus est cum Nephalio, qui priùs quidem idem cum ipso senserat de unica Christi natura : posteà verò defensoribus Chalcedonensis Concilii, et iis, qui duas in Domino nostro Jesu Christo naturas prædicabant, sese adjunxerat. Ab hoc igitur Nephalio et à Monachis qui cum illo erant, Severus unà cum illis, qui opinioni ejus adhærebant, ejectus est ex monasterio. Qui mox ad regiam urbem perrexit, tam pro se, quàm pro illis qui unà cum ipso expulsi fuerant, legationem obiturus. Hoc modo ad notitiam et familiaritatem Imperatoris Anastasii pervenit. Porrò Severus in Epistolis suis Synodicis, Chalcedonensem Synodum disertè anathematizavit.

Cap. 34. Cosmas Episcopus Epiphaniæ.... et Severianus Episcopus Arethusæ, Synodicis Severi litteris commoti, cùm ab ejus communione sese abrupissent, libellum depositionis ad eum mittunt.

Lib. 4. *cap.* 4. (*Justinus*) Primo Imperii sui anno, Severum qui Antiochiæ Episcopus.... fuerat ordinatus, propterea quòd Chalcedonensem Synodum sub anathemate damnare quotidie non cessabat... et quia hanc ob causam multæ contentiones ortæ fuerant in Ecclesia, et fidelium populus varias in partes scissus erat : comprehendi jussit Justinus et linguæ abscissione plecti... Porrò ex Antiochena sede fugit Severus.

Cap. 11. Exstant Severi Epistolæ tum ad Justinianum, tùm ad Theodoram scriptæ. Ex quibus colligere licet, Severum cùm Antiochenam sedem reliquisset, initio quidem profectionem suam in urbem regiam distulisse : posteà tamen eò venisse. Scribit etiam in iisdem litteris, se, cùm venisset Constantinopolim, collocutum esse cum Anthimo. Cùmque illud idem cum ipso sentire, eamdemque de Deo opinionem tueri deprehendisset, persuasisse illi ut sedem suam relinqueret. Scripsit etiam his de rebus litteras ad Theodosium Episcopum Alexandriæ,

Circa sectam quæ PRÆDESTINATIANORUM dicitur, duæ sunt Theologorum opiniones. Alii contendunt reipsâ exstitisse hanc sectam; et hoc ipso seculo coaluisse ex paucis hominibus, qui malè intellectis S. Augustini circa prædestinationem et gratiam principiis, docuerunt Deum non velle omnium hominum salutem, prædestinari reprobos ad malum et ad æternam damnationem sine ullis præcedentibus meritis. Prædestinatione et gratiâ imponi homini agendi necessitatem, quæ stare non potest cum libero arbitrio. Scriptam fuisse Epistolam à Fausto Regiensi Episcopo ad Lucidum Presbyterum, quâ conabatur illum à perversis illis erroribus revocare. Tandem in Conciliis duobus habitis anno 475. altero Arelate, altero Lugduni, proscriptos fuisse hos errores.

Alii contendunt nullam exstitisse hoc quinto seculo Prædestinatianorum sectam, sed suprà dictos errores à Semipelagianis per calumniam affictos fuisse veris S. Augustini circa gratiam et prædestinationem discipulis. Ideòque Faustum Reiensem, qui fuit unus ex Semipelagianorum antesignanis, hos errores Lucido Presbytero tribuisse, quemadmodum illos S. Augustino tribuerant olim Massilienses. Damnatos quidem fuisse hos errores à Conciliis compluribus, sed ut falsas consequentias è doctrinâ S. Augustini perperam deductas, non ut dogmata propugnata ab ullis Hæreticis, qui tum temporis exstarent.

Cæterum multi existimant nulla habita fuisse eâ de re Concilia sive Arelate sive Lugduni anno 475. Sed hæc esse purum putum commentum Fausti Reiensis, quem S. Isidorus vocat *virum profundæ calliditatis.* (H)

SECULUM SEXTUM.

Ecclesiam turbarunt hoc seculo præcipuè Agnoëtæ, Tritheïtæ, Acœmetæ, et defensores trium Capitulorum.

AGNOETÆ auctorem et ducem habuerunt *Themistium* Diaconum Alexandrinum Eutychianorum hæresi infectum.

in quibus gloriantur quòd eidem Anthimo persuaserit, ut ejusmodi dogmata seculari gloriæ et Pontificali cathedræ anteponeret.... Cæterùm ambo utpote qui mandatis Principis refragarentur, nec ea, quæ Chalcedone decreta erant, admitterent, suis sedibus expulsi sunt. Et Alexandrinæ quidem urbis Episcopatum suscepit Zoïlus; Constantinopolitanæ verò Epiphanius: ita ut per universas deinceps Ecclesias Chalcedonensis Synodus palàm prædicaretur, nec ullus usquam auderet eam anathemati subjicere: qui verò aliter sentirent, ii omnibus modis adigerentur ad consensum suum ei accommodandum. Scripta est igitur ab Imperatore Justiniano constitutio, in qua Severum et Anthimum unà cum aliis quibusdam anathemate percellit, et gravissima supplicia decernit adversùs eos, qui illorum dogmata prædicarent.

(H) *Qui studiosius inquirere voluerint, quæ ad hanc quæstionem spectant, legant docta opera in quibus utrimque ventilata fuit, aliis hance hæresim exstitisse affirmantibus, aliis negantibus. Existentiam astruunt,* BARONIUS, SPONDANUS, SIRMONDUS *et* NATALIS ALEXANDER, *aliique haud ignobiles; negant, Præses* MAUGUINUS, CONTENSONIUS, CABASSUTIUS, *et alii permulti.*

Error eorum in eo positus erat, quòd assererent Christum multa penitùs ignorasse. Confutati sunt ab Eulogio Patriarcha Alexandrino, cujus eà de re scripta approbata sunt à S. Gregorio magno. *Lib.* 8. *Epist.* 42. (A)

TRITHEITÆ auctorem habuerunt *Joannem Grammaticum* nomine *Philoponum*, Eutychianâ quoque lue apersum. Is docuit tres esse in Deo naturas sicut tres sunt personæ. Negavit quoque corporum resurrectionem. Ab Eutychianis ipsis acerrimè confutati sunt illi hæretici, quorum secta brevi exstincta est.

ACOEMETÆ, id est *insomnes*, sic dicti Monachi quidam quòd laudes divinas per tres divisi turmas, succedentibus sibi vicibus, diu noctuque indesinenter canerent. Error eorum in eo positus fuit quòd negarent *unum de Trinitate incarnatum et passum*, *et B. Virginem esse verè et propriè Deiparam.* Damnati sunt à Joanne II. Romano Pontifice ut Nestoriani, et cùm obstinati in hæresi permanerent, communione privati sunt.

DEFENSORES TRIUM CAPITULORUM alii hæretici, alii schismatici solùm, alii Catholici fuere.

Antequam id explicemus necesse est exponere priùs quid trium Capitulorum nomine intelligatur. Sic dicta sunt scripta trium Auctorum, quæ ad judicium Ecclesiæ delatá sunt quasi erroribus Nestorii inquinata. 1. Scripta *Theodori Mopsuesteni* Episcopi, qui Nestorii Magister fuerat. 2. Epistola *Ibæ* Edesseni Episcopi ad Persam quemdam, Marim nomine. 3. Scripta *Theodoreti* Episcopi Cyri adversùs duodecim Anathematismos à S. Cyrillo conditos contra Nestorium.

Hæc capitula tria, ut inquinata erroribus Nestorii, simulque Theodori Mopsuesteni personam, ut impiam et blasphemam damnavit Concilium secundum Constantinopoli congregatum anno 552. quod quintum inter œcumenica locum obtinet. (B)

(A) S. GREG. *Epist.* 42. *lib.* 8. De doctrina vestra contra Hæreticos, qui dicuntur Agnoïtæ, fuit valdè quod admiraremur: quod autem displiceret, non fuit.... Ita autem doctrina vestra per omnia Latinis Patribus concordavit, ut mirum mihi non esset, quòd in diversis linguis Spiritus non fuerit diversus.

(B) EVAGRIUS SCHOLAST. *Eccles. Histor. lib.* 4. *cap.* 38. Porrò dum Vigilius quidem Romanæ urbis, Constantinopolitanæ verò Menas primùm ac deinde Eutychius Episcopatum gererent; et Alexandrinæ quidem Ecclesiæ Apollinaris, Antiochenæ autem Domnus; Hierosolymitanæ verò præsset Eustachius, quinta Synodus à Justiniano convocata est *ad statuendum de Origenis dogmatibus, quæ à multis Monachis sequebantur.* Theodorus autem Cappadox (*Origenis errorum defensor*,) cùm Episcopos aliò vellet traducere, causam Theodori Mopsuestiæ Episcopi, et Theodoreti atque Ibæ in medium produxit: Deo scilicet optimo maximo ita rem omnem optimè disponente, ut hinc et inde profana omnia penitùs ejicerentur. Primâ igitur quæstione propositâ, utrùm liceret mortuos anathemati subjicere: Eutychius, qui illic aderat, in sacris Scripturis apprimè exercitatus, superstite adhuc Mena, nondum valdè illustris; erat enim etiam tum Apocrisiarius Episcopi Amasenorum:

Nec propterea putes Ibam aut Theodoretum Hæreticis esse annumerandos : ipsi enim et vixerunt et mortui sunt in communione Ecclesiæ. Scripserunt quidem ad defensionem Nestorii ; ideòque hæreseos sunt insimulati, nec priùs recepti ad consessum Concilii Chalcedonensis inter Patres Orthodoxos, quàm dixissent anathema Nestorio. Sed, dicto hoc anathemate, omnis adversa suspicio evanuit. Atque hæc quidem ratio est cur Synodus quinta non personam Ibæ aut Theodoreti damnaverit, sed scripta solùm ab iis in defensionem Nestorii promulgata ; quæ quidem ipsi vel explicasse, vel prorsus retractasse visi sunt, dicto absolutè in Nestorium anathemate.

Huic trium Capitulorum damnationi à multis contradictum est : nec solùm ab Hæreticis, sed et à Catholicis quoque Ecclesiis non paucis, quarum aliquæ in Schisma defecerunt ; ideòque dixi superiùs inter Defensores trium Capitulorum, alios fuisse Hæreticos, alios Schismaticos, alios Catholicos.

Defensores Hæretici ii fuerunt, qui cùm faterentur tria Capitula esse Nestorii opinionibus infesta, defendebant tamen illa scripta ut Orthodoxa ; et cùm non auderent apertè stare pro partibus Nestorii, tam solemniter condemnati ab universa Ecclesiâ, non deponebant tamen illius errores, quia contendebant solemniter approbatos eos fuisse à Concilio Chalcedonensi œcumenico. Concilium enim, inquiebant, approbavit suo silentio Epistolam Ibæ ad Marim Persam lectam frequenti Concilio, in qua laudatur Theodorus

cùm eos congregati erant, tanquam solertior, per contemptum aspexisset, apertè dixit quæstionem illam deliberatione non egere. Quandoquidem Josias Rex Sacerdotes dæmonum non modò vivos interfecisset ; sed et eorum, qui diu antea mortui fuerant, sepulcra effodisset. Atque hoc ab Eutychio aptissimè dictum esse, cuncti, qui aderant, censuerunt. Quod cùm Justinianus intellexisset, Eutychium paulò post ad Pontificalem urbis regiæ sedem promovit, Mena ex vivis sublato. Porrò Virgilius per litteras quidem consentit ; Concilio tamen interesse noluit. Congregatâ igitur Synodo, cùm Justinianus Episcopos interrogasset quid sentirent de Theodoro, et de his quæ Theodoretus contra Cyrillum, et contra duodecim ejus Capitula scripserat, quid item de Epistola, quæ dicitur Ibæ, ad Marim Persam : postquàm multa loca ex libris Theodori ac Theodoreti recitata essent, ostensumque præterea esset, Theodorum jampridem condemnatum fuisse, nomenque ejus ex sacris diptychis expunctum, et Hæreticos etiam post mortem condemnandos esse : omnes uno consensu Theodorum quidem ipsum anathematizarunt ; Theodoreti verò scripta adversùs duodecim Cyrilli Capitula et adversùs rectam fidem ; Ibæ quoque Epistolam ad Marim Persam sub anathemate damnarunt, his verbis usi.... Condemnamus et anathematizamus præter reliquos Hæreticos qui condemnati et anathematizati sunt à supra memoratis quatuor sacrosanctis Synodis et à sancta Catholica et Apostolica Ecclesia, Theodorum quoque cum, qui dicitur Episcopus Mopsuestiæ et impia ejusdem scripta : ea item quæ à Theodoreto impiè conscripta sunt contra rectam fidem et contra duodecim Capitula sancti Cyrilli et contra sacrosanctam primam Synodum Ephesinam : cuncta denique quæ ab eodem Theodoreto pro defensione Theodori ac Nestorii scripta sunt. Anathematizamus præterea impiam illam Epistolam, quæ ab Iba scripta esse dicitur ad Marim Persam.

Mopsuestenus, et asseritur doctrina Nestorii; nec damnavit quoque scripta Theodoreti adversùs S. Cyrillum : sed utrumque Episcopum recepit in communionem, dicto solùm in Nestorium anathemate. Abutebantur ergo illi Hæretici auctoritate Concilii Chalcedonensis ad propugnandam contra mentem Concilii Nestorianam hæresim.

Defensores trium Capitulorum Schismatici fuere Episcopi Istriæ et Provinciarum aliquot vicinarum, qui cùm alioqui orthodoxè sentirent in omnibus; tamen ex præjudicatâ opinione, quam altè animo infixerant Concilium Constantinopolitanum adversum esse Concilio Chalcedonensi in Capitulorum trium damnatione, (quod tamen falsum est) non solùm existimabant tria hæc capitula esse benignâ interpretatione in Catholicum sensum deflectenda; sed etiam rejiciendum prorsùs Concilium quintum, ut schismaticum. Ideòque ipsi recesserunt à communione et Ecclesiæ Romanæ et Orientalium, à quibus Concilium hoc susceptum et solemniter approbatum fuerat. Multum laboraverunt ad exstinctionem hujus schismatis Pelagius secundus Romanus Pontifex, ejusque successor Gregorius Magnus, qui illud penè compressit, revocatis ad Ecclesiæ communionem omnibus ferè schismaticis. (C)

(C) Pelagii. PP. 1. *Epist.* 7. *ad univers. populum Dei; Tom.* 5. *Concil. p.* 795. Etsi zelum Dei in quorumdam mentibus esse deprehendimus, in hoc tamen, quòd suspicionibus quibusdam sine notitia veritatis se concusserunt atque concutiunt, et quòd se à visceribus unicæ matris Ecclesiæ nefariâ animositate discerpunt, sine scientia eos esse non dubium est. Et possemus quidem totius causæ rationem ad sedandos rumores hominum, divinâ nobis cooperante misericordiâ, fiducialiter explicare; nihilque contra fidem Patrum, contraque quatuor Synodorum firmitatem ullatenus esse tentandum, lucidissimis approbationibus demonstrare; magisque id actum, ut memoratarum Synodorum firmitas contra omnes inimicos immobili soliditate consisteret.

Epist. 10. *ad Childebert Reg. Franc. ibid. p.* 793. Rufinus vir magnificus, Legatus excellentiæ vestræ, nobis dicit, quòd et in Provinciis Galliarum quidam semina scandalorum sparserunt, dicendo quid contra fidem Catholicam, quod Dominus non patiatur, admissum.... Hoc breviter secundùm admonitionem præfati magnifici viri Rufini, ad sanandum animum vestrum, vel omnium fratrum et Coëpiscoporum nostrorum in Galliæ regionibus resistentium, faciendum esse prospeximus. Dicentes : anathematizare nos, et alienos ab æternæ vitæ præmiis judicare, quicunque ab illa fide, quam beatæ recordationis Papa Leo in suis Epistolis prædicavit, et quam Chalcedonense Concilium, sequens eundem Præsulem, editâ definitione suscepit, in una syllaba, aut in uno verbo, vel in sensu, erravit aliquando, aut declinavit vel declinaverit aliquando. Quibus se ita habentibus, non attendat Celsitudo vestra, nec fratres nostri Episcopi, fabulas eorum hominum, qui scandalis delectantur.

Epist. 5. *ad Eliam et Episc. Istriæ, Tom.* 5. *Concil. p.* 940. Ne fortè quisquam maligno studio aliqua de fidei nostræ integritate, diaboli instigatione, fingere præsumpserit et argumentari, et ex hoc vestri forsitasse videantur animi perturbari, necessarium judicavimus per præsentem Epistolam nostram, et ad viscera vos matris Ecclesiæ ut reverti debeatis, cum lacrymis exhortari, et de fidei nostræ integritate vobis satisfactionem nostram mittere : quatenus nulla possit in cordibus vestris de nobis remanere suspicio, ut in divini tremendique judicii die de

taciturnitate mea reus inveniri non possim.... Nos enim illam fidem prædictam tenemus, et cum omni puritate conscientiæ usque ad sanguinis effusionem defendimus, quæ ab Apostolis tradita, et per successores eorum inviolabiliter custodita, reverenda Nicæna Synodus trecentorum decem et octo Patrum suscepit atque reliquit in Symbolum, sed et Constantinopolitana centum et quinquaginta Patrum sub piæ memoriæ Theodosio seniore principe factum; etiam Ephesina prima, cui præsedit beatæ recordationis prædecessor noster, Celestinus Romanæ urbis antistes, et Cyrillus Alexandrinæ Episcopus; sed et Chalcedonensis sexcentorum triginta Patrum, quæ sub piæ memoriæ Marciano Imperatore convenit: cuique sanctæ recordationis Papa Leo per Legatos Vicarios suos præsedit; et ut diversarum hæresum damnanda exigebat adversitas, eamdem fidem uno eodemque sensu clamanter latiùs ediderunt. Sed et Epistolam prædicti beatæ memoriæ Leonis ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum datam, quæ et tomus appellatur, per omnia veneramur, tenemur, defendimus, atque secundùm ejus tenorem, adjuvante Domino, prædicamus. Et sicut prædecessor noster sæpè dictus beatæ memoriæ Papa Leo Synodum Chalcedonensem suscepit atque firmavit, ita et nos per omnia, operante divinâ gratiâ, veneramur, custodimus, atque defendimus. Si quis autem contra hanc fidem aut sapit, aut credit, aut docere præsumit, secundum eorumdem Patrum sententiam, damnatum atque anathematizatum se esse cognoscat. Non ergo patiamini falsis suspicionibus aut rumoribus denuò agitari, et in divisione Ecclesiæ malorum hominum persuasionibus (quod avertat Dominus) remanere. Quid enim vos à sanctæ Ecclesiæ unitate dividitis? Quando nihil novi, nihil (quod absit) contrarium in dicta Ecclesia prædicari cognoscitis vel teneri; sed unam eamdemque fidem, quæ ab Apostolis tradita, et à sanctis Patribus et prædictis quatuor Synodis explanata atque confirmata dignoscitur, sincerissimè teneri atque defendi modis omnibus comprobatur.

GREGORII PP. I. *Lib.* 2. *Epist.* 36. *ad Epist. Hiberniæ, tom.* 5. *Concil. p.* 1094. Reducat ergo charitatem vestram tandem integritas fidei ad matrem, quæ vos generavit, Ecclesiam: nulla vos animorum intentio concordiæ unitate dissociet, nulla persuasio rependo vos à recto itinere defatiget. Nam in Synodo, in qua de tribus Capitulis actum est, apertè liquet, nihil de fide convulsum esse, vel aliquatenus immutatum: sed, sicut scitis, de quibusdam illic solummodò personis est actitatum: quarum una, cujus scripta evidenter à rectitudine Catholicæ fidei deviabant, non injustè damnata est.

Lib. 3. *Epist.* 2. *ad Constant. Episc. Mediolanens. Tom.* 6. *Concil. p.* 1138. Postquam talis scissura pro nulla re facta est, justum fuit ut sedes Apostolica curam gereret, quatenus unitatem universalis Ecclesiæ in Sacerdotum mentibus per omnia custodiret.

Epist. 3. *ad eumd. ibid.* Nos enim auctore veritate, teste conscientiâ, fatemur nos fidem sanctæ Chalcedonensis Synodi per omnia illibatam custodire, nihilque ejus definitioni addere, nihilque subtrahere, audere. Sed si quis contra eam, ejusdemque Synodi fidem, sive plus minusvè ad sapiendum appetit usurpare, eum omni dilatione postpositâ anathematizamus, atque à sinu matris Ecclesiæ alienum esse decernimus. Quem igitur ista mea confessio non sanat, non jam Chalcedonensem Synodum diligit, sed Matris Ecclesiæ sinum odit. Si ergo ea ipsa, quæ audere visi sunt, zelo loqui animæ præsumpserunt, superest ut hac satisfactione susceptâ, ad fraternitatis tuæ unitatem redeant, seque à corpore Christi, quod est sancta universalis Ecclesia, non dividant.

Epist. 4. *ad Theodolin. Reg. Longob. ibid.* Quorumdam ad nos relatione pervenit ab aliquibus Episcopis gloriam vestram usque ad hoc scandalum contra sanctam Ecclesiam fuisse perductam, ut sese à Catholicæ unanimitatis communione suspenderet. Quod quantùm vos purè diligimus, tantùm de vobis fortiùs dolemus, quia vos imperitis stultisque hominibus creditis, qui non solùm ea quæ loquuntur, nesciunt, sed vix ea percipere quæ audierint, possunt. Dicunt enim piæ memoriæ Justiniani temporibus aliqua contra Chalcedonensem Synodum fuisse constituta: qui dum neque legunt, neque legentibus credunt, in ipso

Defensores Catholici trium Capitulorum. Plurimi exstitere, non privati solùm homines, sed et Ecclesiæ multæ et celebres; non solùm ante Concilii quinti celebrationem, sed et postquam Concilium fuerat à Romanis Pontificibus approbatum. In hâc defensione permanserunt diu Ecclesiæ Africanæ, Gallicanæ, Hispanicæ, Britannicæ, quin ex ipsa Italia non paucæ, servatâ tamen Ecclesiæ Romanæ communione. Existimabant nimirùm Concilium quintum oppositum esse Concilio quarto Chalcedonensi in damnatione trium Capitulorum. Ac proinde non recipiebant illud ut œcumenicum. Hoc posito, quidquid in tribus Capitulis Nestorianismum sapit, id omne benignâ interpretatione ad sensum Catholicum detorquendum esse putabant, ne fieret injuria Concilio Chalcedonensi; nefas enim ipsis videbatur libros ab Ecclesia semel approbatos damnare, semel damnatos approbare, vel revocare in judicium quod fuisset semel ab Ecclesiâ de libris et eorum auctoribus constitutum.

Ecclesias autem illas Romana Ecclesia non segregavit unquam à suâ communione; sed summâ semper erga eos benignitate et indulgentiâ usa est: rata nimirum futurum tandem ut re maturiùs discussâ, ipsæ intelligerent nihil fuisse à Concilio quinto contra auctoritatem Concilii Chalcedonensis attentatum. (D)

Summâ hâc Ecclesiæ Romanæ patientiâ et indulgentiâ factum est, ut omnes Occidentis et Orientis Ecclesiæ consenserint demum in receptionem Concilii quinti œcumenici, et in damnationem trium Capitulorum. Id manifestè constat. Receptum est enim ab omnibus illis Ecclesiis pro œcumenico Concilium sextum Constantinopoli habitum in causâ Monothelitarum: atqui in Concilio hoc sexto confirmata sunt alia quinque Concilia œcumenica antehac habita, nimirùm Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum alterum: confirmatæ item fuere omnes condemnationes Hæresum et librorum factæ in superioribus Conciliis, et nominatim condemnatio trium Capitulorum, simul et anathemata lata in eorum defensores. (E) Nullæ adversùs iteratas has trium Capitulorum damnationes contradixerunt Ecclesiæ.

errore manent, quem sibi de nobis ipsi finxerunt. Nos enim, teste conscientiâ, fatemus de fide ejusdem sancti Chalcedonensis Concilii, nihil motum, nihil esse violatum; sed quidquid prædicti Justiniani temporibus actum est, ita actum est, ut fides Chalcedonensis Concilii in nullo vexaretur. Si quis autem contra ejusdem Synodi fidem aliquid loqui præsumit, vel sapere, nos ejus sensum sub anathematis interpositione detestamur.

(D) **Pelagii PP. I.** *et* **II.** *et* **Gregorii** *Magni epistolas suprà relatas litterâ* (C) *iterum consule.*

(E) **Concilium Constant. III.** *in Trullo œcum.* **IV.** *anni* 680. *et* 681. *act.* 18. Sanctum nostrum universale Concilium.... sanctis et universalibus quinque Synodis piè in omnibus consonuit.... super has, et ultimæ harum quintæ sanctæ Synodo, quæ hic congregata est adversùs Theodorum Mopsuestenum.... et scripta Theodoreti adversùm duodecim

SECULUM SEPTIMUM.

Hoc seculo prodiere Monothelitæ et Pauliciani Hæretici. Prodiit quoque impius Mahumetes.

MONOTHELITÆ, sic dicti eò quòd *unam voluntatem* in Christo agnoscerent. Atque is eorum præcipuus error fuit. Fatebantur quidem duplicem esse in Christo naturam ; sed volebant unam esse in eo operationem, voluntatem unam, divinam nimirùm.

Orta est hæc Hæresis, Imperante Heraclio. Hujus præcipui duces fuere *Sergius* natione Syrus, Patriarcha Constantinopolitanus : *Cyrus* Patriarcha Alexandrinus. Post Sergii obitum hanc hæresim pertinaciter propugnarunt ejus successores in sede Constantinopolitana *Pyrrhus*, *Paulus* et *Petrus*. Huic quoque patrocinabatur, tempore Concilii sexti, Macarius Patriarcha Antiochenus. Hæc etiamnum perseverat in multis Orientis regionibus. (A)

capitula laudabilis Cyrilli, et epistolam, quæ dicitur Ibæ ad Marim Persam scriptam, immutilatas quidem in omnibus renovans sanctiones, profanas verò impietatis expellens doctrinas.

(A) CEDRENUS *in Histor. Compend. n.* 181. *p.* 420. Anno vigesimo quinto (*Heraclii Imperatoris*) cùm degeret Hierapoli Heraclius, venit ad eum Athanasius Jacobitarum Patriarcha, homo callidus, et (ut sunt Syri omnes naturâ, ad mala facinora versutiâ instructus. Is cum Imperatore de fide colloquitur, eique Imperator promittit, se eum, modò Chalcedonensis Concilii decreta approbet, Antiochiæ Episcopum creaturum. Athanasius id simulat, ac fatetur duas in Christo esse unitas naturas, simul Heraclio quæstionem proponit de actionibus et voluntatibus, utrùm eæ duplices in Christo, an verò simplices dicendæ sint. Ea de re Imperator ad Sergium Constantinopolitanum, et Cyrum Phasidis Episcopum scribit. Quorum cùm uterque à secta Monothelitarum esset, hoc est, eorum qui unicam Christo voluntatem assignant, invenit eos idem cum Athanasio sentire. Quorum sententiam cùm ad Joannem Papam Romanum perscriberet, est hæc ab eo improbata. Interim Georgio Alexandriæ Episcopo mortuo, Cyrus sufficitur. Hic in societatem adscito Theodoro Pharanео Episcopo, unitionem illam aquà submergendam constituit, unicam Christo naturalem actionem decernens. Hoc rerum statu Sophronius Hierosolymorum Episcopus deligitur. Hic convocatis Episcopis, quibus præerat, decretum Monothelitarum condemnat : actaque Concilii sui ad Sergium Constantinopolis, et Joannem Romæ Episcopos mittit. His auditis Heraclius pudore affectus, cùm neque sua rescindere vellet, et exprobrationes non sustineret, edicto sancit, ne vel unicam, vel duas in Christo actiones quisquam confiteatur. Sergio mortuo, Pyrrhus Episcopatui Constantinopolitano præficitur. Et Joannes Papa Romanus, Synodo congregatà, Monothelitarum hæresim detestatur. Idem factum in Africa, Byzacena, Numidia, Mauritania. Joanni Papæ Romæ mortuo Theodorus subrogatur. Constantinopolitano autem Episcopatui Paulus præponitur, ipse quoque Hæreticus. Sub Theodoro illo Romæ actæ sunt causæ Pyrrhi et S. Maximi, discipulorum ejus : et Martini, sanctissimi Papæ Romæ qui Joanni successit, et Chersonem fuit relegatus. Hujus successor, Agatho Monothelitas damnat... Ad hunc modum Ecclesia et ab Regibus et ab impiis sacrorum Antistibus conturbata (*fuit.*)

Pag. 440. *n.* 194. (*Constantinus Imperator*) pacatis rebus omnibus, Ecclesiarum concordiam constituit,... sacrum sextum Concilium Constantinopolim cogens, Monothelitarum hæresim damnavit.

Pag. 438. *n.* 193. Anno Constantini hujus, qui filium habuit Justinianum, supra decimum tertio, sexta sancta et universalis Synodus Cons-

tantinopoli fuit, collectis eò 289. SS. Patribus. Principes fuerunt Agathonis Papæ Romani locum tenentes, Theodorus ac Georgius Presbyteri, et Joannes Diaconus : tum Georgius Constantinopolitanus, et Theophanes Antiochiæ Archiepiscopi : hic ipsius tum Concilii suffragiis delectus, molo dignitate Macario, quòd ejus se sanæ religionis congruentibus decretis opponeret. Gubernabat tum Alexandrinam Ecclesiam Petrus Monachus, Hierosolymorum nemo : soliis Patriarcharum sessore tum vacantibus, quòd erant à Saracenis occupata. Coactum fuit hoc Concilium contra Theodorum Pharanis, Honorium Romæ, Cyrum Alexandriæ Episcopos : et Sergium, Pyrrhum, Paulum ac Petrum, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ fuerant Episcopi : itemque adversùs eos qui horum hæresim renovabant, quorum fuit Macarius nomine Antiochiæ Præses, Stephanus ejus discipulus, et Polychronius puerili fatuitate senex. Affirmabant hi, unicam Jesu Christi esse cùm voluntatem, tum agendi vim. Quos Synodus damnans, pronuntiavit : Duas naturales voluntates, totidemque naturales agendi facultates in uno Domino nostro Jesu Christo demonstrari.

Epist. Sergii Patriarchæ Constantinop. *ad Cyrum Episc. Phasidis, ex Concil. Constant.* III. *ann.* 680. *Act.* 12. *Tom.* 6. *Concil. pag.* 916. Insinuans.... relegisse.... jussionem,.... Imperatoris ad Arcadium.... Præsulem Insulæ Cypri contra Paulum priorem maligni cœtûs Acephalorum, et invenisse prædictam piam jussionem, prohibentem duas in Christo Deo nostro dicere operationes : interrogavit nos (*Heraclius Imperator*) per notionem suam, utrùm oporteat duas prædicare operationes, an unam dicere in Domino operationem. Unde nos simplici, et compendioso sermone utimur, et quæ nostræ sunt scientiæ, perhibemus. Asserimus igitur, quòd in sanctis quidem magnis, et universalibus Conciliis nulla de hoc mentio facta est, nec invenire est de hujusmodi quæstione definitionem quamlibet esse prolatam à quodam orthodoxorum Conciliorum. Nonnullos verò probabilium Patrum scimus, et præcipuè sanctissimum Cyrillum Alexandriæ Archiepiscopum, in quibusdam scriptis suis unam vivificam operationem Christi veri Dei nostri dicentem. Sed et Mennas sanctæ memoriæ quondam Archiepiscopus à Deo conservandæ hujus regiæ urbis, sermonem composuit acclamatum ad Vigilium quondam sanctissimum Papam antiquæ Romæ, in quo et ipse simili modo unam voluntatem et unam magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi operationem adstruxit.... Quoniam igitur asseruit vestra Reverentia, Leonem sanctissimum Papam Romanum in eo, quod dicit : Operatur enim utraque forma cum alterius communione, duas operationes in Christo vero Deo nostro tradere, atque prædicare, oportet scire, quòd multis ex impio schismate maledicti Severi adversùm pietatis dogmata decertantibus, et adversùm prædicti egregii Patris Epistolam latranlibus, quæ commune revcrà rectæ fidei fundamentum existit, diversi probabilium Catholicæ Ecclesiæ Doctorum ad justam et veram advocationem prædictæ Epistolæ assurrexerunt, et nullum horum scimus dixisse, quòd in præsenti libro duas operationes Leo sanctissimus asseruisset : sed ut non omnes hos ad medium deducentes litteras extendamus, unius eorum, qui plurimam ob doctrinam veraciun dogmatum ab omnibus laudem adeptus est, Eulogii dico venerabilis memoriæ quondam Alexandrinorum Pastoris, librum qui integrum pro præfata scripsit Epistola, testimonium ad præsentem perlinens textum, superiùs memorati (*Pennæ*) sermoni subnecti post paterna testimonia fecimus. Neque ergo eos, quos scimus pie pro superiùs dicta Epistola propugnasse, neque alium quemquam à Deo inspirabilium Ecclesiæ institutorum usque hodie duas operationes in Christo Deo nostro reperimus adstruxisse. Si quis verò de solertioribus ostendere valuerit, quemquam probabilium, et à Deo inspirabilium Patrum nostrorum, quorum dogmata Catholicæ adstruunt Ecclesiæ, duas operationes in Christo dicere tradidisse, opportunum est per omnia sequi. Omninò enim necesse est, non solùm secundùm sensum sequi sanctorum Patrum dogmata, et eisdem vocibus uti cum illis, nihilque penitùs innovare, etc. *Porrò Mennæ sermo ad Vigilium suppositus fuit, et forsan ab ipso Sergio ad falsi sui dogmatis defensionem cu-*

sus. SS. autem Patrum testimonia detruncata et intercisa tantùm proferebat, ut incautos in suum errorem induceret.

Epistola SERGII Constant. Episc. *ad Honorium Papam Romanum, ibid. p.* 917. In tantum vobis sanctissimis consonanter in omnibus unanimitate Spiritûs constringimur, ut studeamus omnium consiliorum nostrorum et actionum vos sacratissimos habere præsidentes : et nisi plurimum locorum distantia sejungeret, hac utique quotidie gereremus, vestræ.... fraternitatis.... nosmetipsos circumsepientes consultu : attamen.... confestim ea, pro quibus scribimus, enarramus. Ante aliquod certum tempus, cùm adversùs Persas.... Dominus noster.... promovisset exercitum,.... et ad partes Armeniæ provinciæ pervenisset, unus ex principibus impiæ partis Severi exsecrabilis, nomine Paulus,... ad ejus pietatem accessit, sermonem pro sua errabunda hæresi proferens.... in quibus piissima ejus ac regalis magnanimitas (cum cæteris enim donis Dei, etiam divinorum dogmatum locupletari scientiâ meruit) dum redarguisset.... sanctæ nostræ Ecclesiæ.... immaculata è diverso protulit dogmata ; inter quæ, et unius operationis Christi veri Dei nostri mentionem fecit. Post aliquod verò tempus idem... Imperator in provinciam Lazorum adveniens, recordatus est disputationis, quam.... fecerat ad Paulum illum Hæreticum, in præsentia Cyri.... tunc.... Lazorum provinciæ metropolitanam sedem tenentis, nunc autem magnam Alexandriam regentis. Prædictus igitur sanctissimus vir, his auditis, ejus Serenitati respondit, nescire subtiliter, utrùm unam an duas operationes Christi veri Dei nostri adstruere necesse sit. Ergo per jussionem ejus Pietatis, per litteras proprias interrogavit nos prædictus sanctissimus vir, utrum unam operationem an duas in Salvatore nostro Christo necesse sit dicere : et si quosdam noscamus sanctorum ac beatissimorum Patrum, unam dicentes operationem. Unde nos, quæ nostræ erant scientiæ, per nostra rescripta ei significavimus.... Nihil tamen proprium penitùs in hujusmodi nostris rescriptis promulgavimus.... Quia igitur ante parvum tempus.... pio zelo.... Imperatoris excitatus Cyrus.... Alexandriæ.... Patriarcha.... modestè adhortatus est eos, qui in magna civitate Alexandrina, Eutychetis et Dioscori, Severi quoque et Juliani Deo odibilium hæresi languerent, ad Catholicam Ecclesiam accedere. Et post multas disputationes.... hoc quod festinabat, per supernam gratiam ordinavit : Facta sunt inter utrasque partes dogmatica quædam capitula, in quibus omnes (qui anteà quidem in diversas portiones divisi fuerant, proavosque sibi Dioscorum, atque Severum sceleratos Hæreticos inscribèbant) coadunati sunt cum sanctissima ac sola Catholica Ecclesia, et unus grex Christi veri Dei nostri, omnis Christo amabilis Alexandriæ populus factus est, et penè universa cum eis Ægyptus et Thebaïs et Libya et cæteræ Ægyptiacæ dispositionis regiones, quas olim considerare licebat in innumerabilem hæresecon multitudinem discissas.... Ex his autem, quæ dicta sunt, atque stabilita, unum existit capitulum de una operatione Christi magni Dei et Salvatoris nostri. His ita provenientibus, Sophronius venerabilis Monachus, quí (ut nunc ex uno auditu didicimus) Hierosolymorum Præsul est ordinatus (necdum enim hactenus ejus ex more Synodica suscepimus) apud Alexandriam tunc temporis positus cum præfato sanctissimo Papa, quando.... admirabilem illam circa eos, qui dudum hæretici fuerant, Dei beneplacito unitatem componebat, atque cum eo de eisdem capitulis pertractabat, adversatus est, et contradixit ad unius operationis capitulum, duas omninò operationes Christi Dei nostri dignum inquiens censeri. Prænominato autem sanctissimo Papa præsertim testimonia ei quorumdam sanctorum Patrum nostrorum proferente, dispersim in quibusdam opusculis suis unam operationem asserentium, ad hæc quoque et ex abundanti inquiente, quòd multoties sancti Patres nostri, ut lucrarentur plurimarum animarum salutem, dum talia emergerent capitula, Deo gratis dispensationibus, ac placitis usi fuisse videntur, nihil de subtilitate rectorum Ecclesiæ dogmatum exagitantes ; et dicente, quòd oporteat utique etiam in præsenti, dum tantorum millium populorum salus præ manibus ponitur, nihil de hoc per contentionem altercari, idcircò quòd sicut dictum est, etiam à quibusdam

sacris Patribus vox hujusmodi dicta est, nihilque de hoc lædatur recta fidei ratio, memoratus Deo amabilis Sophronius talem dispensationem nullatenus accepto tulit. Quia igitur pro hoc cum litteris ejusdem sanctissimi comministri ad nos conjunxit, de hoc quoque etiam apud nos sermonem movendo insistens, ut de talibus adimeretur capitulis post factam unitionem vox unius operationis, durum nos hoc arbitrati sumus. Quomodo enim non esset durum et valdè onerosum, quando hoc resolvere evertereque erat futurum quidem omnem illam concordiam, atque unitatem, quæ benè fuerat effecta, tam apud Alexandrinam magnam civitatem, quàmque per universas sub ea provincias, quæ nullo tempore usque nunc acquieverant, nomen saltem simplex divini, atque laudabilis Patris nostri Leonis, aut sancti et magni atque universalis Chalcedonensis Concilii mentionem facere, nunc verò præclarà et magnà voce in divinis missarum arcanis hoc prædicantes? Multis igitur à nobis de hoc motis sermonibus ad prænominatum venerabilem Sophronium, postremò adhortati eum sumus, testimonia nobis proferre sanctorum ac probabilium Patrum, illorum videlicet, quos omnes communiter Doctores confitemur, et quorum dogmata legem sanctæ Dei cognoscunt Ecclesiæ, duas nominatim, et ipsis verbis operationes in Christo dicendas tradentia; ille autem hoc facere penitùs non valuit. Nos verò considerantes, incipientem ex hoc inter quosdam hic contentionem exardescere, et scientes quòd semper ex hujusmodi decertationibus hæreseon dissensiones effectæ sunt, necessarium judicavimus, omne studium ponere ad sedandum, atque amputandum talem superfluum verborum conflictum, et ad sæpè dictum sanctissimum Alexandriæ Patriarcham scripsimus, ut postquam unitalem cum his, qui pridem separabantur, Deo auxiliante composuit, de cætero nullum permitteret unam aut duas proferre operationes in Christo Deo nostro, magis autem (sicut sancta et universalia tradiderunt Concilia) unum eumdemque Filium unigenitum, Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum operatum confiteri tam divina quàmque humana, et omnem Deo decibilem et homine dignam operationem, ex uno eodemque incarnato Deo verbo indivisè procedere, et ad unum eumdemque redigi, eò quòd unius quidem operationis vox, quanquam à quibusdam sanctis dicta est Patribus, tamen peregrina videatur, et perturbare aures quorumdam, suspicantium ad peremptionem hanc proferri inconfusè, atque secundùm subsistentiam unitarum in Christo Deo nostro duarum naturarum, quod non est unquam, nec fiat. Similiter autem et duarum operationum dictio multos scandalizet, utpote à nullo sanctorum, et probabilium Ecclesiæ institutorum edita. Insuper et consequens ei sit prædicare duas voluntates, contrarietates circa invicem habentes, tanquam Deo quidem Verbo salutarem volente adimpleri passionem, humanitate verò ejus obsistente ejus voluntati, et resistente, et perinde duo contraria volentes introducantur, quod impium est. Impossibile quippe est, in uno eodemque subjacenti duas simul et erga hoc ipsum contrarias subsistere voluntates. Nam salutaris Deum gerentium Patrum doctrina manifestè instruit, quòd nunquam intellectualiter animata Domini caro separatim, et ex appetitu proprio contrario nutui uniti sibi secundùm subsistentiam Dei Verbi naturalem motum suum effecit, sed quando, et qualem, et quantam ipse Deus Verbum volebat; et, ut planiùs dicatur, quemadmodum corpus nostrum regitur, et ornatur, et disponitur ab intellectuali, et rationali anima nostra, ita et in Domino nostro tota humana ejus conspersio ab ipsius Verbi deitate semper in omnibus mota, Dei mobilis erat, secundùm Nyssenum Gregorium.... Hanc igitur.... contentionem incipientem accendi videntes, necessarium judicavimus, attritas potiùs sanctorum Patrum voces et Synodicè definitas semper sequi, et neque quæ rarò à Patribus dicta sunt, et non circa hæc intentionem habentibus, quasi planam et inambiguam de eis doctrinam exponerent, ad regulam et legem per omnia dogmaticam reducere, quale est et quod de una operatione ab eis dictum est: neque iterùm, quæ nullatenus dicta sunt à probabilibus Patribus, nunc verò à quibusdam proferuntur, duas inquam operationes, tanquam dogma Ecclesiasticum pro-

Utrum Honorius Papa eadem hæresi inquinatus fuerit, necne, inter Orthodoxos controvertitur. (B)

ferre. Et ad ultimum stetit ac placuit, quatenus prædictus Sophronius venerabilis nullum sermonem de cætero de una sive duabus operationibus movere debeat, sed ei sufficiat præfata cautaque ac trita sanctorum Patrum recta traditio atque doctrina. His itaque contentus sæpè nominatus venerabilis vir, et hæc custodire certificans, petivit nos etiam per Epistolam de his ei præbere responsum, quatenus hujusmodi Epistolam, ut ait, ostendat his, qui forsitan interrogare eum de prædicta quæstione voluerint, quod et alacriter egimus. Nuper autem piissimus, et à Deo coronatus Dominus noster apud Edessenam demorans civitatem, pios ad nos apices fecit, præcipientes, ut paterna illa testimonia defloraremus, quæ continentur in libro.... Mennæ ad.... Vigilium de una operatione, et una voluntate.... quod et ad effectum perducimus. Nos autem quæ dudum mota sunt, memoriâ retinentes, et tumultum qui ex hujuscemodi motione cœpit, scientes, suggessimus ejus piissimæ serenitati.... hujus capituli omnem subtilitatem, horumque quæ à nobis de hoc actitata sunt, et quod non oporteat de hujusmodi inquisitione perscrutari, sed permanere in attrita Patrum doctrina, quam omnes consonanter confitentur de hujusmodi quæstione, et confiteri unigenitum Filium Dei, qui veraciter Deus simul, et homo est, eumdem operari divina, et humana, et ex eo uno eodemque incarnato Deo Verbo.... inseparabiliter, atque indivisè omnem divinam, atque humanam operationem procedere. Hoc namque nos Leo Dei portitor instruit, manifestè perhibens : agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium habet. In quibus rescriptum piæ jussionis ab ejus mansuetissima suscepimus fortitudine, quæ à Deo conservandam ejus serenitatem condecent, continentem. His igitur omnibus principio ita provenientibus, rationabile simul et necessarium judicavimus de his.... cognitionem dare vestræ.... beatitudini.... et adhortamur voc hæc omnia legere.... quæque super his vobis fuerint placita, significare.

(B) *Epistola* HONORII PAPÆ *ad Sergium*, *ibid. pag.* 928. Scripta Fraternitatis vestræ suscepimus, per quæ contentiones quasdam, et novas vocum quæstiones cognovimus introductas per Sophronium quemdam tunc Monachum, nunc verò ex auditu Episcopum Hierosolymitanæ urbis constitutum, adversùs fratrem nostrum Cyrum Alexandriæ Antistitem, unam operationem Domini nostri Jesu Christi conversis ex hæresi prædicantem. Qui denique ad vestram Fraternitatem Sophronius veniens, querelamque hujusmodi deponens, multiformiter eruditus, petiit de his, quæ à vobis fuerat instructus paginalibus sibi syllabis reserari : quarum litterarum ad eumdem Sophronium directarum suscipientes exemplar, et intuentes satis providè circumspectèque Fraternitatem vestram scripsisse, laudamus novitatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus generare. Nos enim in quo percepimus, oportet ambulare. Enim verò duce Deo perveniemus usque ad mensuram rectæ fidei, quam Apostoli veritatis, Scripturarum sanctarum funiculo extenderunt, confitentes Dominum Jesum Christum Mediatorem Dei et hominum, operatum divina, mediâ humanitate Verbo Deo naturaliter (*Gr.* hypostaticè) unità, eumdemque operatum humanâ ineffabiliter, atque singulariter assumptâ carne discretè (*Gr.* indiscretè) inconfusè, atque inconvertibiliter plenâ divinitate, (*Gr.* et plenè à divinitate,) et qui coruscavit in carne plenâ divinis miraculis, ipse est, et carneus effectus plenè Deus, et homo : passiones, et opprobria patitur unus Mediator Dei et hominum in utrisque naturis (Gr. *miraculis perfectâ divinitate*, *ipse est qui et carnis affectus opprobriis passionis operatus est*, *perfectus Deus et homo unus mediator*) Verbum caro factum, et habitavit in nobis, ipse Filius hominis de cœlo descendens, unus atque idem, sicut scriptum est, crucifixus Dominus majestatis, dum constet divinitatem nullas posse perpeti humanas passiones; et non de cœlo, sed de sancta est assumpta caro Dei genitrice : (nam per se veritas in Evangelio ita inquit,) *Joan* III. 13. : *Nullus ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit Filius hominis, qui est*

in cælo : profectò nos instruens, quòd divinitati unita est caro passibilis ineffabiliter, atque singulariter, ut discretè atque inconfusè, sic indivisè videretur conjungi.

Ut nimirum stupendâ mente, mirabiliter manentibus utrarumque naturarum differentiis, cognoscatur uniri. Cui Apostolus concinens, ad Corinthios (II. 6.) ait ; *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam verò non hujus seculi, neque principum hujus seculi, qui destruuntur : sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus seculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent.* Dum profectò divinitas nec crucifigi potuit, nec passiones humanas experiri vel perpeti, sed propter ineffabilem conjunctionem humanæ divinæque naturæ, idcircò et ubique (*Gr.* utrobique et) Deus dicitur pati, et humanitas ex cœlo cum divinitate descendisse. Unde et unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profectò à divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, illa profectò, quæ (*Gr.* non culpa in illa, profectò quæ) ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata. Christus enim Dominus, (*Philip.* II. 7.) in similitudine carnis peccati veniens, peccatum mundi abstulit, et de plenitudine ejus omnes accepimus : et formam servi suscipiens, inventus est ut homo, quia sine peccato conceptus de Spiritu sancto, etiam absque peccato est partus de sancta et immaculata Virgine Dei genitrice, nullum experiens contagium vitiatæ naturæ. Carnis enim vocabulum, duobus modis sacris eloquiis boni malique cognovimus nominari.... Non est itaque assumpta.... a Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus, sed *venit quærere et salvare quod perierat* (*Luc.* XIX. 10.) id est, vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanæ conditionis. Et si quidem scriptum est (*Joan.* VI. 38.) : * *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris.* Et (*Marc.* XIV. 36.) * *Non quod ego volo, sed quod tu vis Pater :* et alia hujusmodi, non sunt hæc diversæ voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptæ. Ista enim propter nos dicta sunt, quibus dedit exemplum, ut sequamur vestigia ejus, pius magister discipulos imbuens, ut non suam unusquisque nostrûm, sed potiùs Domini in omnibus præferat voluntatem. Viâ igitur regiâ incedentes, et dextrorsùm vel sinistrorsùm venatorum laqueos circumpositos evitantes, ne ad lapidem pedem nostrum offendamus, Idumæis, id est terrenis, atque Hæreticis propria relinquentes, nec vestigio quidem pedis sensûs nostri terram, id est, pravam eorum doctrinam, omnimodo alterentes, ut ad id quò tendimus, hoc est, ad fines patrios pervenire possimus, ducum nostrorum semitâ gradientes, et si fortè quidam balbutientes, ut ita dicam, nisi sunt proferentes exponere, formantes se in specimen nutritorum, (*Gr.* doctorum) ut possent mentes imbuere auditorum, non oportet ad dogmata hæc Ecclesiastica retorquere, quæ neque Synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates canonicæ visæ sunt explanasse, ut unam vel duas energias (*id est operationes*) aliquis præsumat Christi Dei prædicare, quas neque Evangelicæ vel Apostolicæ litteræ, neque Synodalis examinatio super his habita, visæ sunt terminasse, nisi fortassis, sicut præfati sumus, quidam aliqua balbutiendo docuerunt, condescendentes ad informandas mentes, atque intelligentias parvulorum, quæ ad Ecclesiastica dogmata trahi non debent, quæ unusquisque in sensu suo abundans, videtur secundùm propriam sententiam explicare. Nam quia Dominus Jesus Christus, Filius ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit unus operator divinitatis, atque humanitatis, plenæ sunt sacræ litteræ luculentiùs demonstrantes. (*Gr. unus et idem operans divina et humana plenè, sacræ litteræ luculenter demonstrant.*) Utrum autem propter opera divinitatis, et humanitatis, una, an geminæ operationes debeant derivatæ dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea Grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina vendilare. Nos enim non unam operationem vel duas Dominum Jesum Christum, ejusque sanctum Spiritum, sacris litteris percepimus, sed multiformiter cognovimus operatum.... Si enim divisiones operationum sunt multæ,

et has omnes Deus in membris omnibus pleni corporis operatur, quantò magis capiti nostro Christo Domino hæc possunt plenissimè coaptari? ut caput et corpus unum sit perfectum, *ut profectò occurrat*, sicut scriptum est (*Ephes.* IV. 13.), *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Si enim in aliis, id est, in membris suis, Spiritus Christi multiformiter operatur, in quo vivunt, moventur et sunt : quantò magis per semetipsum Mediatorem Dei et hominum, plenè ac perfectè, multisque modis, et ineffabilibus confiteri nos communione utriusque naturæ condecet operatum? Et nos quidem secundùm sanctiones divinorum eloquiorum oportet sapere vel spirare, illa videlicet refutantes, quæ quidem novæ voces noscuntur sanctis Dei Ecclesiis scandala generare, ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur : aut certè, si rursus unam operationem Domini nostri Jesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur, præcaventes, ne quorum inania arma combusta sunt, eorum cineres redivivos ignes flammivomarum denuò renovent quæstionum, simpliciter, atque veraciter confitentes Dominum Jesum Christum unum operatorem divinæ atque humanæ naturæ, electiùs arbitrantes, ut vani naturarum ponderatores, otiosè negotiantes (*meliùs* sicut idololatræ nugantes) et turgidi adversùs nos insonent vocibus ranarum Philosophi, quàm ut simplices, et humiles spiritu populi Christiani possint remanere jejuni. Nullus enim decipiet per philosophiam et inanem fallaciam discipulos piscatorum, eorum doctrinam sequentes ; omnia enim argumenta scopulosa disputationis callidæ, atque fluctivaga intra eorum retia sunt collisa. Hæc nobiscum Fraternitas vestra prædicet, sicut et nos ea vobiscum unanimiter prædicamus, hortantes vos, et unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum Dominum Jesum Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum divinitùs, atque humanitùs, fide orthodoxâ, et unitate Catholicâ prædicetis.

Ibid. Act. 13. *pag.* 944. Gloriosissimi Judices, et sanctum Concilium dixerunt : relegantur acta præterita : et relecta sunt.

Gloriosissimi Judices dixerunt : Prosequatur sanctum et universale vestrum Concilium, quæ in antelatis ab eo promissa sunt. Sanctum Concilium dixit : Secundùm promissionem quæ à nobis ad vestram gloriam facta est, retractantes dogmaticas Epistolas, quæ tanquam à Sergio quondam Patriarcha hujus à Deo conservandæ regiæ urbis scriptæ sunt, tam ad Cyrum, qui tunc fuerat Episcopus Phasidis, quàm ad Honorium quondam Papam antiquæ Romæ : similiter autem, et Epistolam ab illo, id est, Honorio rescriptam ad eumdem Sergium, hasque invenientes omninò alienas existere ab Apostolicis dogmatibus et à definitionibus sanctorum Conciliorum et cunctorum probabilium Patrum, sequi verò falsas doctrinas Hæreticorum, eas omnimodò abjicimus, et tanquam animæ noxias exsecramur. Quorum autem, id est, eorumdem, impia exsecramur dogmata, horum et nomina à sancta Dei Ecclesia projici judicavimus, id est, Sergii quondam Præsulis hujus à Deo conservandæ regiæ urbis, qui aggressus est de hujusmodi impio dogmate conscribere, Cyri Alexandriæ, Pyrrhi, Petri, et Pauli, qui et ipsi Præsulatu functi sunt in sede hujus à Deo conservandæ civitatis, et similia eis senserunt, ad hæc et Theodori quondam Episcopi Pharan, quarum omnium suprà scriptarum personarum mentionem fecit Agatho sanctissimus ac ter beatissimus Papa antiquæ Romæ in suggestione, quam fecit ad piissimum, et à Deo confirmatum Dominum nostrum, et magnum Imperatorem, eosque abjicit, utpote contraria rectæ fidei nostræ sentientes, quos anathemati submitti definimus. Cum his verò simul projici à sancta Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus, et Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eò quòd invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, et impia dogmata confirmavit. Pertractavimus autem et Synodica Sophronii venerabilis memoriæ, quondam Archiepiscopi sanctæ Dei Hierosolymorum civitatis, et hæc reperientes cum vera fide convenientia, Apostolicisque, et sanctorum atque probabilium Pa-

trum doctrinis paria, utpote quæ sunt orthodoxa, recepimus, et ut salubria sanctæ Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ suscepimus, et nomen ejus inseri sanctis diptychis sanctarum Ecclesiarum justum esse judicavimus.

Nota **Labbei.** *S. Maximus Monachus Græcus, Doctor, et Martyr, qui per hæc tempora scripsit, Honorium Papam egregiè defendit in Dialogo cum Pyrrho.* **Maximi** *autem verba hæc sunt.* **Pyr.** Esto de Vigilio ita sit. Quid habes de Honorio dicere, qui ad prædecessorem meum scribens unam Domini nostri Jesu Christi voluntatem, aperte dogmatizavit? **Max.** Quis Epistolæ illius fidei dignus erit interpres? qui eam ex persona Honorii composuit, et vivit adhuc, inter alia sua bona, hoc etiam conspicuus, quòd pietatis dogmatibus universum illustravit Occidentem? an Constantinopolitani de corde suo loquentes? **Pyr.** Qui eam composuit. **Max.** Ille idem igitur ad divum Constantinum quondam Imperatorem scribens rursum ex persona sancti Papæ Joannis de ipsa: Unam, inquit, voluntatem Domini diximus, non Divinitatis ejus, et humanitatis, sed solius humanitatis. Cùm enim scripsisset et Sergius, esse qui dicerent in Christo duas contrarias voluntates, rescripsimus Christum non habuisse duas contrarias voluntates carnis, inquam, et spiritûs; sed unam tantùm, quæ naturaliter humanitatis ejus nota essentialis est. Id ita esse evidenter ex eo demonstratur, quòd membrorum et carnis facta est mentio, quæ divinitati quoque ejus non possunt attribui.

Honorii Papæ *ad Sergium Epist. altera. Ibid. p.* 968.... Nec non et Cyro fratri nostro Alexandriæ civitatis Præsuli, quatenus novæ adinventionis unius vel duarum operationum vocabulo refutato, claro Dei Ecclesiarum præconio nebulosarum concertationum caligines offundi non debeant vel aspergi, ut profectò unius vel geminæ operationis vocabulum; noviter introductum ex prædicatione fidei eximatur. Nam qui hæc dicunt, quid aliud nisi juxta unius vel geminæ naturæ Christi Dei vocabulum, ita et operationem unam vel geminam suspicantur? Super quod clara sunt divina testimonia. Unius autem operationis vel duarum esse vel fuisse Mediatorem Dei, et hominum Dominum Jesum Christum, sentire et promere, satis ineptum est... Et quidem, quantum ad instruendam notitiam ambigentium, sanctissimæ fraternitati vestræ per eam insinuandam prævidimus. Cæterum quantum ad dogma Ecclesiasticum pertinet, quæ tenere vel prædicare debemus propter simplicitatem hominum et amputandas inextricabiles quæstionum ambages, sicut superiùs diximus, non unam vel duas operationes in Mediatore Dei et hominum definire, sed utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus: et divinam quidem, quæ Dei sunt operantem: et humanam, quæ carnis sunt exsequentem, non divisè, neque confusè aut convertibiliter, Dei naturam in hominem, et humanam in Deum conversam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes. Unus enim atque idem est humilis et sublimis, æqualis Patri, et minor Patre, ipse ante tempora, natus in tempore est: per quem facta sunt secula, factus in seculo est: et qui legem dedit, factus sub lege est, ut eos qui sub lege erant, redimeret: ipse crucifixus, ipse chirographum, quod erat contra nos, evacuans in cruce, de potestatibus et principatibus triumphavit. Auferentes ergo..... scandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes prædicare, sed pro una, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridicè confiteri: et pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potiùs duas naturas, id est, divinitatis et carnis assumptæ, in una persona unigeniti Dei Patris, inconfusè, indivisè, atque inconvertibiliter nobiscum prædicare propria operantes. Et hoc quidem beatissimæ Fraternitati vestræ insinuandum prævidimus, quatenus unius confessionis propositum unanimitati vestræ sanctitatis monstremus, ut profectò in uno spiritu anhelantes, pari fidei documento conspiremus. Scribentes etiam communibus fratribus Cyro, et Sophronio Antistibus, ne novæ vocis, id est, unius vel geminæ operationis vocabulo insistere vel immorari videantur: sed abrasâ hujusmodi novæ vocis appellatione, unum Christum Dominum nobiscum

in utrisque naturis divina vel humana prædicent operantem. Quanquam hos, quos ad nos prædictus frater et Coëpiscopus noster Sophronius misit, instruximus, ne duarum operationum vocabulum deinceps prædicare innitatur, quod instantissimè promiserunt prædictum virum esse facturum, si etiam Cyrus frater et Coëpiscopus noster ab unius operationis vocabulo discesserit.

Ibid. p. 972. Sanctum Concilium dixit: Cognitionem accipientes prolatorum nobis à Georgio Deo amabili Diacono et Chartophylace hujus sanctæ magnæ Dei Ecclesiæ, libellorum, atque chartarum sive aliorum opusculorum, comperimus in unam eamdemque impietatem concurrere. Et prævidimus profana, et animæ perniciosa, continuò ob perfectum exterminium igne concremari. Et combusta sunt.

Ibid. Act. 18. *p.* 1044. Nestorio et Eutychi et Dioscoro anathema. Apollinari et Severo anathema. Consentaneis eorum anathema. Theodoro Pharanitæ anathema. Sergio et Honorio anathema. Pyrrho et Paulo anathema. Cyro et Petro anathema. Macario et Stephano et Polychronio anathema. Omnibus Hæreticis anathema: Qui prædicaverunt et prædicant, et docent ac docturi sunt unam voluntatem et unam operationem in dispensatione Domini nostri Jesu Christi Dei nostri, anathema.

Epist. S. Leonis II. Papæ *ad Constantinum Imperat. inter Act. Concil. Const.* III. *p.* 1112. Synodali igitur sententiâ, et imperialis edicti censurâ, tanquam ancipiti spiritûs gladio, cum priscis hæresibus etiam novæ pravitatis error expunctus est: et qui auctores falsitatis exstiterunt, cum suæ blasphemiæ labe prostrati sunt; qui ore sacrilego tentaverunt asserere unam voluntatem et unam operationem in duabus subsistentialiter unitis naturis Domini nostri Jesu Christi, ex quibus et in quibus indivisibiliter et inconfusè constitit.... Propterea sicut suscepimus atque firmiter prædicamus sancta quinque universalia Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, Chalcedonense, et Constantinopolitanum, quæ et omnis Christi Ecclesia approbat et sequitur: ita et quod nuper in regiâ urbe pio vestræ Serenitatis annisu celebratum est sanctum sextum Concilium, ut eorum pedissequum et ea interpretans pari veneratione atque censurâ suscipimus; et hoc cum eis dignè connumerari, tanquam unà et æquali Dei gratiâ congregatum decernimus: et qui in eo fideliter convenerunt Christi Ecclesiæ Sacerdotes, inter sanctos Ecclesiæ Patres atque Doctores adscribendos æquè censemus.... Pariterque anathematizamus novi erroris inventores, id est, Theodorum Pharanitarum Episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Constantinopolitanæ Ecclesiæ successores magis quàm Præsules, necnon et Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrinâ lustravit, sed profanâ proditione immaculatam fidem subvertere conatus est. (*Gr.* maculari permisit.)

Epist. ejusd. ad Episcop. Hispaniæ, *Tom.* 6. *Conc. p.* 1248. Qui verò adversùm Apostolicæ traditionis puritatem perduelliones exstiterant, abeuntes quidem æternâ condemnatione mulctati sunt, id est, Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Constantinopolitani, cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non, ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed negligendo confovit.

Epist. ejusd. ad Hervigium Regem Hispaniæ, *ibid. pag.* 1251. Perfectissimè claruit veræ fidei nostræ veracitas juxta veneranda Concilia, et probabilium Patrum doctrinas, ut in uno Domino nostro Jesu Christo Filio Dei, eodemque vero atque perfecto, et eodem homine vero atque perfecto, sicut duas inseparabiliter et inconfusè confitemur naturas, id est, divinam et humanam, ita et duas naturales voluntates, et duas naturales operationes eum omnes habere prædicemus, secundùm qualitates et proprietates in eo concurrentium naturarum. Qui etsi eum unum Christum unamque personam Trinitatis esse credamus, at et divinam et humanam naturam et harum naturarum proprietates inconfusè, indivisè, et indiminutè eum habere prædicemus.... Omnes hæreticæ assertionis auctores, venerando censente Concilio condemnati, de Catholicæ Ecclesiæ adunatione projecti sunt, id est, Theodorus Phara-

Catholicam fidem adversùs hoc Hæreticos asseruerunt imprimis S. Joannes Eleemosynarius Patriarcha Alexandrinus ; Sophronius ex Monacho Patriarcha Jerosolymitanus, Arcadius Archiepiscopus Cyprius, S. Maximus Abbas clarissimus, qui pro defensione fidei Catholicæ Monothelitarum furore martyr occubuit.

Damnata est hæc hæresis à Summis Pontificibus Severino, Joanne IV., Theodoro, S. Martino I., Agathone : sub cujus Pontificatu habitum est Constantinopoli Concilium sextum generale an. 680. In quo summo totius Concilii plausu et gratulatione excepta est et approbata condemnatio Monothelitarum lata ab Agathone.

PAULICIANI Manichæorum hæresim, quæ sopita videbatur, excitarunt è tenebris circa annum 653. additis novis figmentis ad vetera. Ducem habuerunt *Paulum*, nescio quem, *Samosatenum* ex Armeniâ. Illi in omne libidinis et immunditiæ genus ultro prorumpebant. Non obscura fuit horum Hæreticorum secta. (C) Confutavit eorum errores et blasphemias Euthymius.

nitanus Episcopus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Paulus, Pyrrhus, et Petrus, quondam Constantinopolitani Præsules, et unà cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam Apostolicæ traditionis regulam, quam à prædecessoribus suis accepit, maculari consensit.

CONCIL. NICÆN. II. *ann.* 787. *Act.* 6. *Tom.* 7. *Concil. p.* 422. Sergius Constantinopolitanus, Cyrus Alexandrinus, Honorius Romanus, et qui circa ipsos sunt unam voluntatem in Christo dicentes, ut Hæretici anathematizantur à Catholica Ecclesia, per hæresim suam vana loquentes.

Ex Honorii Epist. jure an injuriâ hæreseos insimulatus fuerit, et à Conciliis œcumenicis anathemate percussus, Theologi dijudicent ; certè magni nominis Scriptores, BARONIUS *Annalium Ecclesiasticorum parens*, DIONYSIUS PETAVIUS *è Societate Jesu inter Theologos præcipuus*, NATALIS ALEXANDER *Dominicanus et alii eum ab hæresi absolvunt : è contra* D. FLEURY *in sua Ecclesiastica Hist.* D. ELLIES DU PIN, *et Theologi passim eum hæresim non tolerasse modò, sed et docuisse propugnant, quos adire poteris.*

(C) CEDRENUS *in Histor. Compend. n.* 187. *et* 188. *p.* 432. Circa hoc tempus exstitit Constantinus quidam, qui et Silvani nomen usurpabat, Paulicianorum sectæ princeps. Ejus hæreseos hæc est historia. Manichæi Paulicianorum nomen sibi sumpserunt à Paulo, quodam Samosateno, Manichææ cujusdam mulieris, Callinices nomine, filio. Ea cùm haberet duos filios, Paulum scilicet hunc, et alium Joannem, Manichææ eos hæresi instituit : Samosatisque in Armeniam emisit, uti ibi eam hæresim promulgarent ; id quod ii fecerunt in vico quodam Phanarrææ. Exinde vico Episparidis, sectatoribus Paulicianorum nomen factum fuit. Hi longo post hunc Paulum tempore magistrum habuerunt alium, Constantinum illum, qui cognomentum Silvani gessit. Hunc principem suarum doctrinarum agnoscunt, non Paulum. Hic enim iis opiniones, quas sectantur, absque scripto per traditiones exhibuit : Evangelium quidem ex traditione, Apostolum autem scripto. Tradidit autem ita, ut nihil à Scriptura differrent apud nos recepta, sed singula capita ad suam detorsit hæresim. Nam et hanc ipsis legem posuit ; ne præter Evangelium et Apostolum, ullum alium librum legerent. Secundùm Constantinum illum Silvanum, alium habuerunt præceptorem, Simeonem nomine : sed qui se Timotheum vocaret. Quartum, Josephum, qui sibi Epaphroditi appellationem imposuit. Ab hoc Zachariam, quem tamen veluti mercenarium, et non verum pastorem, quidam ipsorum repudiant. Sextum, Baanem, cognomento Sordidum. Septimum, Sergium, qui

Tychicum sese denominavit. Ac Manetem quidem, Paulum, Joannem, et alios quicunque ipsis proponantur, libenter ii damnant: Constantinum autem Silvanum, Simeonem qui Titi, Genesium qui Timothei, Josephum qui Epaphroditi, Baanem Sordidum, et Sergium qui Tychici titulo se insignabat, nequaquam damnant, quippe eos pro suis agnoscentes magistris: sed eos loco Apostolorum Christi habent.

P. 433. Servant primam Manichæorum hæresim, duo principia cum ipsis affirmantes. Unum tantùm esse aiunt, quod ipsos à Romana Ecclesia disjungat. Se enim sentire, alium esse Deum Patrem cœlestem, qui in hoc mundo nihil habeat potestatis, habeat autem in futuro: alium Deum mundi conditorem, cui in præsentem mundum jus sit. Romanos autem profiteri esse unum Deum, eumdemque Patrem cœlestem, et universi factorem. Se Christianos, nos Romanos appellant. Iis, quibus ignoti sunt, alacriter dicunt, credere se in Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, cœlestem Patrem: exsecranturque adeò eum, qui non hoc modo credat. Sed nimis meditatè suam malitiam consectantur. Cùm enim Patrem cœlestem nominant, non addunt solùm verum Deum, conditorem cœli et terræ, atque omnium quæ in iis sunt. Enimvero Christianus cum Manichæo disputans, postulare ab eo debet ut Symbolum fidei recitet hoc, Credo in unum Deum patrem omnipotentem, qui fecit cœlum et terram, omnia quæ et videntur et visu non deprehenduntur, et cætera. Deinde immoderata maledicendi impietate sanctissimæ Deiparæ obtrectant. Cùmque à nobis coguntur eam fateri, verbis aliud significantibus dicunt: Credo in sanctissimam Deiparam, in quam intravit, et ex quâ exivit Dominus. His verbis occultè notant Hierosolymorum urbem supernam, in quam præcursor nostri causâ intravit Christus, ut ait Apostolus. (*Hebr.* VI. 20.) Neque verè appellant beatam Mariam Deiparam, neque Dominum ex ea carnem assumpsisse. Impiè quoque de divinis mysteriis sanctæ communionis pretiosi Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi garriunt, dicentes Dominum verba sua Apostolis dedisse, eaque jussisse accipere, edere atque bibere, non panem et vinum, quæ quidem etiam adhibenda negant. Quin et venerandæ cruci sceleratè detrahunt, Christum esse crucem dicentes, neque adorandum esse lignum, exsecrationibus deditum instrumentum. Vates quoque divinos, et reliquos Sanctos explodunt. Beatum Petrum, magnum illum Apostolorum principem, gravius reliquis omnibus et infamant, et prorsus à se rejiciunt, negantes eum in ullam salutis partem venire. Concilia sua Ecclesiam Catholicam nominant, in suis ad nos allegoriis: inter se enim à precibus ea prosecuchas appellant. Pro baptismo habent verba Evangelii, quia Dominus dixerit (*Joan.* IV. 14.) se esse aquam vivam. Omnia hæc, atque etiam plura, ubi deprehensi tenentur, aliud tectè significantibus verbis (id enim voco allegoriam) involvunt. Oportet autem attentè et distinctè de singulis contra eos disputare. Nam et mentiri iis in promptu est, ita ferentibus ipsorum legibus, et cùm aliàs semper, tum præcipuè ubi urgentur, mendacio interposito elabuntur, affirmantes quidquid imperetur. Neque ob tale mendacium in aliqua apud suos sunt culpa; quia nimirum ipsis liberum hoc fecit Manes. Is enim dixit, non se inhumanum esse instar Christi, dicentis (*Matth.* X. 33.) se vicissim eos abnegaturum, à quibus fuisset negatus. Se eos, qui ipsum coram hominibus diffessi fuissent, eoque mendacio sibi salutem quæsivissent, tanquam non diffessos, cum gaudio recipere, revocationemque et mendacium non magis culpare quàm si ipsum professi fuissent. Similiter tamen seniores Sacerdotes reliquos nostrates aversantur. Suos, peregrinationis suæ socios vocant, et notarios: hìque à cæteris nullâ prorsus re, non habitu, non victûs ratione, non reliquo vitæ apparatu differunt. Omnia Evangelii et Apostoli dicta habent perversa, et nostris sententiis contraria, ab ipsis ita composita, ut qui suis ea erroribus accommodarent. Nam quomodo ea scripta sunt atque sonant, ita apud ipsos habentur, nihil prorsus à nostris deflexa: sed sententias pervertunt, sicut alibi copiosè est à me de tota hac re dictum. Nostrum Evangelium adorant ubi occasio tulit, dicentes non in cruce esse Christi verba, sed in libro, ideòque hunc à se adorari. Quidam ex ipsis cùm morbis doloribusve premuntur, crucem sibi imponunt: eamdemque receptâ sanitate confringunt, in ignem

Circa hujus seculi initium ponitur ortus impiæ sectæ MAHUMETANORUM, quam *Mahumetes* Patriâ Cyreneensis excogitavit, adjuvante, ut creditur, *Sergio* nescio quo Mo-

abjiciunt ac cremant, aut etiam conculcant. Sunt inter eos, qui infantes suos à nostris Presbyteris baptizari curent. Alii in nostram Orthodoxorum Ecclesiam cùm veniunt, occultè communicant, ut eò faciliùs simplicioribus imponant. Hujusmodi artibus ac simulationibus ii utentes, interim absque ullo discrimine et metu omnis generis libidini et obscenitati vacant, promiscuè utrumque sexum lasciviâ suâ fœdantes: quando nonnulli de eorum corpore tantùm parentibus et quidem propriis, abstinendum perhibent.

Ibid. n. 243. *pag.* 489. Fuit etiam (*Nicephorus Imperator*) summo studio deditus Manichæis iis qui nunc Pauliciani et Athincani dicuntur, per Phrygiam et Lycaoniam degentibus, et sibi vicinis, (inde enim ortus erat) oraculis eorum et sacrificiis gaudens. Ii ergo, ipso Imperante, licentiam nacti suo more vivendi, multos futilis ingenii homines nefariis suis opinionibus infecerunt. Fuit tum in exteriori columella Nicolaus quidam falso eremitæ (ita vocantur, qui in solitudinibus religionis causâ abditi vivunt) nomine præditus: qui cum suis sociis veræ religioni et venerandis imaginibus impiè obloquebatur. Eos Imperator amplectens, Patriarcham aliosque pios urebat. Itaque in eum sæpè indignabundus Patriarcha invehebatur. At Nicephorus magnum ex mutuis odiis percipiebat gaudium: utque erat divinorum eversor mandatorum, ludibrio habebat omnes proximum suum diligentes Christianos. Duces quoque exercituum jussit Episcopis et Clericis mancipiorum loco uti, pro suâ auctoritate in ædibus Episcopalibus et Monasteriis divertere; eorumque rebus pro arbitrio abuti. Vituperabat eos, qui ab omni ætate Deo aurea vel argentea vasa consecrassent: et res templorum sacras in profanos debere usus converti statuebat. Omnes ante ipsum Imperatores ut gubernandi nescios culpabat, providentiam in universum tollens, affirmansque neminem Imperatore potentiorem esse, modò callidè is imperaret.

Ibid. n. 268. *pag.* 541. (*Sub Michaële Imperatore*) universa Bulgaria pietati se dedit, et in Occidente tranquillissima pax fuit, veraque Religio viguit. Quo successu gaudens, seque oblectans Theodora, tantumque bonum veluti augere cupiens, Manichæos (qui per Orientem sunt et vulgo Pauliciani à principibus hæresis usurpantur) aut ad pietatem traducere: aut si hanc amplecti detrectarent, exstirpare, et ex hominum numero tollere instituit. Quæ res magnis orbem terrarum calamitatibus implevit. Nam qui ad eam rem agendam missi fuerunt, Leo Argyri, et Andronicus Ducæ F. ac Sudalis, non moderatè, sed crudeliter negotium aggressi, Manichæorum alios in cruces agebant, alios gladiis cædebant, alios aliis, quorum innumera adhibebant genera, suppliciis tollebant è medio. Centum hominum millia eà ratione interfecerunt, publicatis eorum bonis. Itaque reliqua multitudo, necessitate ita urgente ad defectionem spectavit.

JACQUES BENIGNE BOSSUET *Hist. des Variations des Eglises protestantes*, *tom.* 2. *Livre* 11. *n.* 13. Les Pauliciens, ou les Manichéens d'Arménie. Cette secte si cachée, si abominable, si pleine de séduction, de superstition et d'hypocrisie, malgré les lois des Empereurs, qui en avaient condamné les Sectateurs au dernier supplice, ne laissait pas de se conserver et de se répandre. L'Empereur Anastase et l'Impératrice Theodore femme de Justinien l'avaient favorisée. On en voit les Sectateurs sous les enfans d'Heraclius, c'est-à-dire au *Septième* Siècle, en Arménie, Province voisine de la Perse, d'où cette fable détestable était venue, et autrefois sujette à son Empire. Ils y furent ou établis, ou confirmés par un nommé Paul, d'où le nom de Pauliciens leur fut donné en Orient, par un nommé Constantin, et enfin par un nommé Serge: et ils y parvinrent à une si grande puissance, ou par la faiblesse du gouvernement, ou par la protection des Sarrasins, ou même par la faveur de l'Empereur Nicéphore très-attaché à cette secte, qu'à la fin persecutés par l'Impératrice Théodore femme de Basile, ils se trouvèrent en état de bâtir des Villes, et de prendre les armes contre leurs Princes.

PETRUS SICULUS *horum historiam scripsit, quam adire potes.*

nacho Nestoriano. Hujus exsecrandæ Religionis dogmata partim ex Judæorum, partim ex Christianorum, partim ex veterum Hæreticorum dogmatibus, adjunctis ad hæc mille figmentis et delirationibus, coaluerunt. Norunt omnes quantos infelix et ridicula secta progressus armorum vi fecerit, Deo ita ulciscente crimina Christianorum, quorum maximè in Oriente et Africâ impietas ad cumulum accesserat.

Seculum Octavum.

Ortæ sunt hoc seculo hæreses Iconoclastarum, et Felicis et Elipandi.

Iconoclastæ seu *Iconomachi*, (sic dicti à bello indicto sanctæ Cruci et Imaginibus Domini Salvatoris, et Sanctorum cum ipso regnantium) negarunt illum ipsis cultum et honorem reddi oportere, contra perpetuam Ecclesiæ traditionem. Hujus hæreseos, agente potissimùm *Constantino* Nacolcæ in Phrygiâ magnâ Episcopo, *Leo Isaurus* Imperator præcipuum columen fuit. Eamdem impietatem tuiti sunt Imperatores *Constantinus Copronymus*, Leonis filius, et *Leo filius Constantini*, gravesque ob id vexationes in Ecclesiâ exercuerunt. (A)

(A) Georg. Cedrenus *in Histor. Compendio, pag.* 453. *num.* 211. (*Imperii sui*) anno nono Leo impius cœpit de sacris imaginibus evertendis mentionem facere. Quo cognito, Gregorius Romæ Papa, tributo Italiæ et Romæ eum prohibuit; missâ etiam decretali epistolâ monens, non esse Imperatoris, de fide statuere, aut vetera Ecclesiæ decreta à sanctis Patribus facta convellere. Cæterùm Leo quantam in se Dei iram concitasset reputans, impudentiùs venerandis imaginibus bellum movit. Quare populus regiæ urbis vehementi dolore percitus, cùm ipsum Leonem statuit invadere, tum multos ipsius domesticos trucidavit: atque eos etiam, qui impositam magnæ æreæ portæ imaginem Domini auferebant. Quo factum est, ut multi pro pietate propugnantes supplicis afficerentur, alii membris mutilati, alii flagellis, exiliis et mulctis puniti: utque pia scholarum doctrina cessaret.

Pag. 455. *num.* 213. 14. *et* 15. Enim verò Imperator Leo non tantùm in errore de venerandarum imaginum debitâ adoratione versatus est: sed etiam de Deiparæ omniumque Sanctorum intercessionibus impiè sensit: Sanctorumque reliquias, more Arabum suorum præceptorum, abominatus est. Ab eo itaque tempore impudenter B. Germano offensus fuit. Vocavit quoque eum ad se, illatoque subindè sermone, damnare cœpit omnes qui se antecessissent Imperatores atque Pontifices, quòd ii imaginibus sacris adorandis, cultum soli Deo debitum, impiè aliò transtulissent. Ad hæc magnus ille Germanus: audi, inquit, Imperator: Christo in carne exhibito, omnis profanorum simulacrorum cultus abolitus, omnisque impia imago sublata est, et explosa quomodo Zacharias vates prædixit (xiii. 2.) * *Sic ait, dicens, Dominus exercituum: Exscindam è terra nomina simulacrorum, neque ulla in posterum erit eorum memoria.* Cæterùm sacras quoque imagines audivimus abolitum iri, non tamen te imperante. Et coactus ab Imperatore, eum nominare, quo rerum potiente hoc esset futurum: Cononem dixit. Tum Leo: Omninò, inquit, is ego sum. Conon enim est meum nomen, mihi in baptismo inditum. Quem sermonem Germanus excipiens: Absit, ait, Domine, ut hoc tam invisum Deo facinus, te imperante, perpetretur. Sed Tyrannus Deo adversus, auditis his verbis graviter indignatus, leoninum rugiit, Germanumque simulacricolam appellans, suâque manu alapam infligens, regiâ exturbavit. Facto deindè contra sacras imagines

edicto, Germanum rursùm arcessit, persuasurum ei se sperans ut subscriberet. At Germanus nequaquam vel adulationi vel minis Tyranni concessit : immò autem pactorum cum antehac cœptum imperium initorum admonuit, in quibus is Deo fidejussore adscito promiserat, nihil se verorum decretorum labefactaturum. Sed tamen abfuit ut cœpti miserum Leonem puderet, ut prætereà in hoc incubuerit, ut Germanum suis in verbis caperet, atque ita non ut confessorem, sed ut seditiosum solio detruderet.

Bysantii defensor veræ religionis fuit divinus iste Germanus, quotidie adversùs Leonem feræ cognominem, ut feram bestiam, ejusque stipatores depugnans : Romæ autem Gregorius, apostolicus vir et Petri Apostolorum coryphæi assessor, qui ob divinas suas lucubrationes Dialogi cognomen adeptus est : is à Leone, ob ejus impietatem, defecit : et pacto cum Francis icto, tributa Leoni denegavit, Anastasium ac socios anathemate ferit, Imperatoremque multis epistolis et à multis lectis manifestò redarguit. Damasci Syriæ fuit Joannes Monachus et Presbyter Chrysorrhoas cognomento, Mansuris F. quod Græcè sonat Lentrabum, quem impius Judaïco sensu Manserem appellavit. Hic S. Joannes, unà cum Cosma Maiumensi Episcopo, et Theophane, fratre Theodori Graptorum Episcopi, Melodi sive cantores sunt agnominati, eò quòd melodiis comprehendissent eas cantilenas, quæ in Ecclesiis Christianorum canuntur, prout ab eis compositæ formatæque sunt. Erat enim S. hic Joannes et vitâ et oratione magister optimus, omni divinâ humanàque cognitione repletus. Sed Germanum quidem Leo, ut suæ potestati subditum, Patriarchæ solio dejecit. Isque humerale in sacrâ mensâ magni templi deponens, resignavit munus suum, atque discessit. Impiusque Leo ei suffecit Anastasium Syncellum, impio ipsius consilio et hæresi consentientem. Digrediens verò Germanus inter alia ad docendum composita verba, hoc quoque dixit : Si ego sum Jonas, projicite me in mare : nam extra universalem Synoduin, novi aliquid de fide statuere nequeo, ô Imperator. Ac digressus, Platanii in domo suâ gentilitiâ quietus vixit.

Pag. 459. *num.* 217 et 18. Anno.... ab incarnatione.... 739. potitus Imperio Constantinus Caballinus Iconomachus, præfuit ei annos 35. Is ex sævissimo Leone versutissima pardalis, et ex semine serpentis aspis et anguis volans, ut primùm in patrium regnum et impietatem successit, longiùs etiam à Deo, Deipara, omnibusque se sanctis abalienavit : ac deinceps veneficiis, libidinibus, dæmonum invocationibus, viscerum exsectionibus, aliisque malis studiis, tùm venationibus et ludis circensibus deditus, idoneum se Antichristo instrumentum præbuit. Atque adeò universali edicto vetuit, ne quis in universum Domini servorum, sancti titulo cohonestaretur : qui imò conspui eorum inventas reliquias jussit, prohibuitque eorum intercessionem postulari, quòd eos nihil posse diceret. Atque addidit scelestus, Mariæ quoque Virginis intercessionem non esse implorandum : nihil enim eam præstare posse. Quin et Deiparam hanc noluit appellari. Sumptis enim in manus auro plenis loculis, ac præsentibus demonstratis sciscitatus est : Quanti eos putarent esse pretii ? Cùm responsum esset, Magni : evacuato auro, rursùm interrogavit, Quanti loculos æstimarent ? Cùmque responsum esset, Nihili : Ita, inquit, Maria quoque, dum Christum gestavit utero, in honore fuit : postquam eum peperit, nihilo reliquis mulieribus præstantior est. Parce nobis Domine. Hæc Christianos in gravem conjecerunt mœrorem : omnesque eum exosi, Artabasdo Curopalatæ sese adjunxerunt.

Artabasdus urbem ingressus, statim ubique per eam sacras reposuit imagines, eumque ordines Imperatorem salutarunt. Cæterùm Anastasius, qui falsò titulum Patriarchæ gerebat, manu tenens veneranda atque vivifica crucis ligna, eum, qui iis affixus fuerat, juravit ad populum, Copronymum Imperatorem hæc sibi verba dixisse : Quem Maria peperit Christum, hunc tu Filium Dei esse ne censueris, neque quicquam præter hominem. Ita enim eum Maria peperit, ut et me mater mea Maria. Hoc audito, populus Constantino imperium abrogavit.

Pag. 467. *num.* 228. Anno 35. in Bulgaros cùm suscepisset expeditio-

Huic Sectæ fortiter obstiterunt Romani Pontifices Gregorius II. ejusque successores, S. quoque Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, S. Joannes Damascenus Presbyter, et alii. Hanc damnavit tandem et Synodus Nicæna secunda, inter œcumenicas septima, sub pia Imperatrice Irene et ejus filio Constantino Imperatore habita anno 787.

FELIX Episcopus Urgelitanus in Hispania et ELIPANDUS Episcopus Toletanus, circa finem hujus seculi docuerunt Christum esse servum Patris æterni, nec ejus filium esse, nisi adoptione. Hanc hæresim, quâ renovari videbatur impia doctrina Nestorii, fortiter impugnavit Etherius Episcopus Uxamensis, cui adjunxit se Presbyter quidam Beatus nomine, sanctitate et doctrinâ conspicuus; item Alcuinus Diaconus Eboracensis Ecclesiæ, et Caroli magni

nem, irato Deo carbunculi pedes ejus invaserunt, ac febris prætereà vehemens eum et ardentissima corripuit. Quare lectică ad Arcadiopoli reportatus Selibriam, indèque navigio usque ad castellum Strongylum vectus, ibi et animæ et corporis mortem obiit, vociferans, atque dicens: Vivum se inextinguibili igni traditum esse, propter Mariam Deiparam: jubensque eam exindè honorari ac celebrari ut verè Deiparam.... Corpus Copronymi sepultum in æde sanctorum Apostolorum: Imperante Michaëlo Theophili F. indè jussu hortatuque ipsius Imperatoris amotum, et in foro amastriano crematum est.

Pag. 470. *num.* 230. Anno quarto, Paulus sanctissimus Patriarcha morbo affectus, solio relicto caput rasit, seque in monasterium Flori abdidit. Imperatrix tristis eum convenit, causam facti quærens. Cui Paulus: utinam verò, inquit, solio pontificali nunquam insedissem, Ecclesiâ Dei per tyrannidem oppressâ, atque ab aliis Catholicis soliis avulsâ, anathemateque notatâ. Quod nisi œcumenica instituatur Synodus, et hactenus errata corrigantur, nulla est vobis salus. Quærenti ulteriùs Irenæ: Cur ergo Patriarcha designatus subscripserit se imagines non adoraturum? Hoc ipsum est, ait, quod lugeo, et ad pœnitentiam confugio, Deum deprecans ne me velut Pontificem puniat, qui hucusque tacuerim, metuque furoris vestri veritatis præconio abstinuerim. His ita actis, ille vitam cum morte feliciter commutavit. Exindè liberè ab omnibus verba de sacris imaginibus fieri.

Anno quinto, Irene, Senatu populoque convocatis, sententiam de novo Patriarcha creando rogavit. Ab omnibus sibi id munus delatum Tarasius Secretarius recusavit, populorum et Ecclesiarum causatus dissensionem, Conciliumque cogi postulans. Quod cùm annuissent Imperatrix et populus, ita demùm sanctus pater noster Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus declaratur, 25. die Decembris, indictione octavâ, missisque Romam de Concilio litteris, et fidei suæ confessione, est ab Adriano Papa approbatus.

Anno 6. cùm esset Concilium edictum in ædem Apostolorum, eòdem convenerunt etiam Satanæ administri, gladiisque armati intraverunt. Quo perterriti alteri, indè re infectâ discessere.

Anno octavo, septimum œcumenicum Concilium Nicææ fuit, elapsis ad id à sexto annis centum viginti duobus. Tuncque Tarasii sanctissimi Patriarchæ operâ pristinum suum ornatum recepit. Convenerunt eò Patres 350. qui imagines cum cruce adorandas statuerunt: nihil ii novum decernentes, sed sanctorum Patrum decreta immota relinqui jubentes. Iidem novâ hæresi damnatâ, anathemate detestati sunt tres istos falsò Patriarchas habitos, Anastasium, Constantinum et Nicetam. Subscripserunt actis Concilii, Imperator, materque ejus. Juxta pax tùm Ecclesiæ Dei fuit, tametsi inimicus per suos ministros zizania sua serere non cesset. Vincit tamen semper Ecclesia, Domini sui favore.

Imperatoris ejusque liberorum præceptor; Paulinus Aquileiensis Patriarcha; S. Benedictus fundator et primus Abbas Anianensis monasterii in diœcesi Montispessulanâ, vir doctrinâ et sanctitate celeberrimus, totius ordinis Monastici restaurator in Occidente sub Imperio Caroli magni et Ludovici Pii; Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis, qui seculo sequenti floruit, et alii. Exstant omnia eorum scripta in Bibliothecâ Patrum. Damnata est hæc hæresis præcipuè in Concilio Ratisponensi anno 792. Francofordiensi an. 794. et Romano sub Leone III. an. 799.

Seculum Nonum.

Hoc seculo turbarunt Ecclesiam suis erroribus Sergius et Baanes, Claudius Taurinensis (Gotescalkus ut multi contendunt,) Photius, Joannes Scotus Erigena.

Sergius et Baanes Manichæorum et Paulicianorum hæresim, de qua superiùs diximus, in Oriente renovarunt, additis novis impietatibus, et veteribus nonnihil immutatis.

Claudius Taurinensis Episcopus, renovando errores Vigilantii et Aerii, impugnavit debitam Sanctorum reliquiis venerationem, et Sanctorum invocationem. Renovavit item errores Iconomachorum adversùs sacrarum imaginum cultum. Hunc confutavit imprimis Jonas Episcopus Aurelianensis, et Dungalus Diaconus Parisiensis, in celebri monasterio San-Dionysiano Monachus.

Gotescalkus monasterii Orbacensis in diœcesi Suessionensi Monachus, multas hoc seculo turbas excitavit, et malè audiit ob errores qui seculo quinto objecti fuerant iis, qui Prædestinatiani dicti sunt, de quibus suprà fecimus mentionem. Adversùs hunc apertè insurrexerunt et multa scripserunt Rhabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus, et Hincmarus Remensis. Damnatus est in Concilio Moguntino an. 848. cui præfuit Rhabanus, et in duobus Carisiacis an. 849. et 853. quibus præfuit Hincmarus. Prioris Carisiaci Concilii sententiâ Sacerdotio depositus, verberibus castigatus, et in carcerem detrusus est. Sunt qui negent Gotescalkum eos errores propugnasse, propter quos damnatus est: licèt alioqui duriùs hunc locutum esse fateantur. Quidquid sit de ea quæstione, non videtur sanè ulla Prædestinatianorum secta hoc seculo prodiisse.

Photius S. Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani, sub quo celebratum est Concilium septimum generale, Sororis filius, vir opibus et dignitate conspicuus, ingenii verò facilitate et eruditione nulli secundus, (ut patet ex ejus scriptis, maximè ex illius Epistolis et ex Opere illo celebri quod *Photii Bibliotheca* inscribitur, in quo posuit summam rerum contentarum in libris omnibus quos legerat, et suum de singulis judicium, et ex iis fragmenta multa transmisit ad posteros;) cùm esset antea laïcus, intrusus est in sedem Constantinopolitanam, vivente

S. Ignatio Patriarchâ legitimo, qui à Bardâ Michaelis III. Imperatoris Avunculo et Imperii moderatore, sede pulsus fuerat, eò quòd eum S. Ignatius communione privasset, propter repudiatam uxorem cum gravi totius Orientis scandalo, et incestam cum nuru consuetudinem.

Ordinatus est intra sex dies Photius, homo ambitionis impotentis, à *Gregorio Syracusano Episcopo* excommunicato et deposito, assistentibus sibi aliis Episcopis item excommunicatis. Re maturè discussâ, Nicolaus I. Romanus Pontifex excommunicavit Photium ejusque asseclas et fautores. Photius, spretâ Summi Pontificis excommunicatione, eo impudentiæ processit ut, convocatâ Pseudo-Synodo, in ipsum Nicolaum tulerit excommunicationis sententiam. Mox scripsit contra Romanam Ecclesiam, docuitque Spiritum sanctum à solo Patre non à Filio procedere : in quo discessit à perpetuâ Ecclesiæ traditione, non solùm per Latinos, sed et per Græcos Patres antiquiores et illustriores, Athanasium, Basilium, etc. ad nos usque quolibet seculo transmissa.

Necatus fuit, Deo ulciscente et Michaële Imperatore jubente, impius Bardas, ejusque cadaver in frusta concisum. Michaël ipse, qui in dejiciendo S. Ignatio, Bardæ adjutor fuerat, occisus est. Huic successit in Imperio Basilius Macedo. Is Synodum octavam œcumenicam, junctis cum Adriano II. Romano Pontifice consiliis, Constantinopoli convocavit an. 869. In eâ Synodo restitutus in sedem suam S. Ignatius ; Photius depositus et excommunicatus, ac deinde per Imperatorem in exilium missus. Sed decennio post rediit Photius in gratiam Imperatoris, et mortuo deinde S. Ignatio, invasit denuò Patriarchalem sedem. Mox adjuvante Imperatore misit litteras ad Summum Pontificem, ut peteret Patriarchalis auctoritatis confirmationem. Impetravit tandem, Joanne VIII. per nimiam laxitatem indulgente pro bono pacis. Tunc Photius Patriarcha legitimus fuit.

Adeptus pacificam Patriarchalis sedis possessionem, congregavit pseudo-Synodum, quam ausus est appellare octavam œcumenicam. Ibi rescidit omnia, quæ in Concilio octavo gesta fuerant, et adversùs Romanam Ecclesiam denuò insurrexit. Dixit contra eum Romanus Pontifex excommunicationis sententiam, et confirmavit quæcunque in octavâ Synodo œcumenicâ fuerant constituta. Marinus Joannis VIII. successor latam in Photium depositionem iteravit ; idem præstitit Marini successor Adrianus III. et post Adrianum Stephanus VI. Perstitit Photius in schismate, fretus auctoritate Basilii Imperatoris. Sed, hoc mortuo, Leo sapiens Basilii succesor expulsum Photium ex sede Constantinopolitana detrusit in monasterium ; et Præsulem Orthodoxum et cum Romanâ sede communione

conjunctum eligendum curavit. Sic Photianum schisma exstinctum est, nec revixit nisi seculo undecimo, ut infrà videbimus. Photius autem in monasterio diem supremum obiit. (A)

(A) MICH. GLYCAS *Annal. part.* 4. *pag.* 293. Prætercà (*Bardas Imper. tutor*) facinus improbissimum committere ausus est, genuini filii conjuge vitiatà. Quod ubi rescivisset Ignatius Patriarcha, hominem semel atque iterum frustrà monitum, tandem adhibità commonefactione postremâ, sacris excludit. Tùm verò Bardas furere, Ignatium gregi adimere, Photium ejus loco substituere. Qualibus autem, quantisque calamitatibus Ignatius operà Photii fuerit exagitatus, ut tandem sponte suà solium detrectare ac resignare videretur, verbis explicari omninò non potest. Quippe radicitùs ei dentes effracti sunt, ipse nudus in longum exporrectus, et sandapilæ cuidam luto commaculatæ inclusus, quæ abominabilis istius Copronymi cadaver continebat.

Verùm Deus hæc non admodùm diù toleravit. Quippe Photius ille mox solio dejectus est, Bardas miserè vitam in terris suam clausit.

Pag. 297. His temporibus divinus ille Ignatius hasce res inferas reliquit. Quum autem Photius perpetuo solii recuperandi desiderio teneretur, Ecclesiamque recuperare conaretur : hujusmodi quiddam ab occulta profectum versutia vafricièque comminiscitur. Primas de appellationibus Imperatoris, filiorum, Augustæque litteras sumit, indèque suum illud Beclas componit : quo declarato, visus est Imperatori vir apprimè sapiens esse. Hac ratione solium illud excellentissimum recepit.

CONST. MANASSES *in Compend. Chronico, p.* 104. Quin etiam (*Bardas Imper. tutor*) in flagitium ingens provolvebatur, quale nec Scytha quispiam, nec Persa, nec Sarmata designaret. Nam cum filii conjuge (proh fœdam lasciviam) non aliter consuescebat, atque si thori legitimi consors esset. Hoc terribile facinus ubi magnus Ignatius ille comperit, qui eo tempore novam Romam gubernabat (erat enim omnium in ore jaculum istud, passimque per compita et ædes jactabatur) Bardam Cæsarem verbis castigabat metum inculientibus, adjectis sequuturæ vitæ suppliciorum minis, terrebat hominem, in viam revocabat, reprehendebat, admonebat, omnem machinam adhibebat, ut malum illud exscinderet. Sed enim verum erat omninò verbum illud Salomonis, qui vetat improbos taxari et reprehendi. Nam reprehensiones sunt hominibusimpiis flagrorum instar, et corda perversa veluti sagittæ feriunt. Nimirùm objurgationibus hisce Bardas Cæsar exacerbatus, non modò nihili fecit eas exhortationes : verùm etiam conceptam adversùs momentem iracundiam et indignationem alebat, non aliter agens, atque si saniosos aliquo curare volente, non tantùm aufugiant, sed etiam erga benè facientem exacuiescant. Quum igitur aliquando Bardas accederet ad mysteria, nec divinum illud munus à Patriarcha consequeretur : (non enim unguenta fragrantia vasi putido committuntur) inflammatus iracundià leonis in morem rugit, ceu violenta pardalis in hominem justum insilit, lacerat, à clavo summovet. Ejus in locum Photium suslinuit, proh qualem pro quali viro ! Ex eo tempore miseriarum æstus Ignatium jactabat, et demergere virum conabatur. Cæsar autem adflabat, tanquam graviter spirans aquilo, vel sævus ille tempestatesque ciens subsolanus : quo flante, procellæ graves concitabantur. Quis ea mala satis exponere possit, quibus Ignatium Photius et Bardas excruciabant ? Nimirùm ut propriæ manûs subscriptione testaretur, amictum se sacrum sponte suà deponere, dentes homini radicitùs excutiunt, genas contundunt, maxillas frangunt, ceu piacularibus flagitiis gaudentem, latronum ducem, maleficum, nudum et vinctum (ô sol, ô terra!) in frigidum sepulcrum marmoreum, fœtens, pollutum stercore, quo abominabile cadaver Imperatoris Copronymi continebatur, extensum toto corpore deponunt. Sed hæc audens quidvis manus perpetuò Deum latere non potuit. Quippe malorum machinator pœnas luit, et auctor ærumnarum Ignatii scyphum iracundiæ divinæ hausit. Bardas

JOANNES SCOTUS ERIGENA, Imperante Carolo Calvo, multos docuit errores circa prædestinationem et sacrosanctam Eucharistiam. Ex ejus scriptis hausit posteà Berengarius principia suæ hæreseos circa sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, ut infrà videbimus.

SECULUM DECIMUM.

Hoc seculo valdè obscuro nulla prodiit hæresis alicujus nominis.

ANTHROPOMORPHITÆ quidam, id est formam corpoream Deo tribuentes, in Italia hoc seculo prodierunt : adversùs eos scripsit Ratherius Veronensis Episcopus. Brevi ea secta exstincta est, si tamen secta fuit, et non potiùs quorumdam rudium et imperitorum opinio.

In Occitania nostra WALFREDUS, nescio quis, ausus est negare animam esse immortalem, et impium hunc errorem spargere non dubitavit. Impugnatus est à Durando Castrensi Abbate Ordinis S. Benedicti, cujus Abbatia in sedem Episcopalem evecta est à Joanne Papa XXII.

SECULUM UNDECIMUM.

Hoc seculo novi Manichæi, Berengarius, et Michaël Cærularius suis erroribus Ecclesiam exercuerunt.

NOVI illi MANICHÆI prodierunt Aureliani in Gallia, regnante Roberto. Duces habuerunt Canonicos duos Ecclesiæ Aurelianensis, qui deprehensi, damnati sunt in Concilio et exauctorati. Prodiere quoque alii in Oriente, similiter compressi.

BERENGARIUS Archidiaconus Andegavensis prodiit inter Hæreticos, initio hujus seculi. Primus post Scotum Erigenam docere ausus est Corpus Christi non esse, nisi figurà tenùs in Eucharistia. Proscriptus est ab universa Ecclesia ut novator et Hæreticus, cujus error oppositus esset doctrinæ ab Apostolorum temporibus ad hæc usque tempora, per universum orbem traditæ. Hunc scriptis egregiè et copiosè confutarunt imprimis Hugo Lingonensis Episcopus, Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus, Durandus Troarnensis Abbas, Guitmondus Aversanus Episcopus in Campania prope Neapolim, Algerus primùm Diaconus Leodiensis deinde Monachus Cluniacensis, vir sanctitate et eruditione celeberrimus, et multùm à S. Pe-

enim foveam cædis Imperatori fodiens, ipsemet in illam justo judicio præceps corruit : sceleratus autem Photius ille solio Patriarchico deturbatus est.

Pag. 108. Quum autem liberatus vitæ procellis Ignatius, ad placidos jam cœli portus appulisset : astutus ille Photius, nunquam non throni cupidus, in hoc totus incumbens, ut Ecclesiâ rursum potiretur, hujusmodi quiddam sanè versutum ac pravum molitur. Solas primas litteras nominum Imperatoris, liberorum ejus, et Augustæ sumit : utque indè Beclas componit, eoque declarato, quum ejus ætatis hominibus litteratis negotii non parum exhibuisset : visus est imperatori vir esse magnæ doctrinæ ac sapientiæ, ideòque solium ei Patriarchicum redditur.

tro Venerabili Abbate Cluniacensi commendatus. Damnatus est in Concilio Romano sub Leone XI. an. 1059. In Conciliis Vercellensi et Parisiensi anno eodem celebratis. In Florentino sub Victore II. an. 1055. Et eodem anno in Turonensi. In altero Romano sub Nicolao II. an. 1059. In Rothomagensi an. 1063. Pictaviensi, an. 1075. Tertio Romano sub Gregorio VII. an. 1078. Quarto Romano an. 1079. Errorem ejuravit Berengarius et obiit pœnitens in sinu Ecclesiæ Catholicæ.

MICHAEL CÆRULARIUS primùm Monachus, dein Patriarcha Constantinopolitanus inauguratus anno 1043. Post decennium à sua inauguratione scripsit adversùs Ecclesiam Romanam et Latinam. Præcipua accusationum illius capita hæc fuere. 1. Quòd Latini in pane azymo consecrârent. 2. Quòd carnes suffocatas comederent et sanguinem contra sanctionem Apostolicam. 3. Quòd barbam raderent. 4. Quòd sabbato jejunarent. 5. Quòd totâ quinquagesimæ hebdomadâ carnes ederent. 6. Quòd crederent Spiritum sanctum à Patre et Filio procedere, ideòque vocem FILIOQUE Symbolo addidissent. 7. Quòd apud Latinos, fratres duo duas sorores ducere uxores possint. 8. Quòd pacis osculum daretur mutuò à Ministris altaris ante communionem sacrificii. 9. Quòd *Alleluia* non cancretur Quadragesimæ tempore. 10. Quòd nec Sanctorum reliquias, nec sacras imagines Latini venerentur. Alia quædam aut falsa aut futilia hujusmodi objiciebat. Hæc capita fuere tandem occasio Schismatis, quo etiamnùm Ecclesia Græca à nobis distracta est.

Nihil non egit Leo IX. ut Cærularium ab errore et ab anticipatis opinionibus revocaret. Constantinopolim conciliandæ pacis causâ Legatos tres misit, quorum primus fuit vir eruditione conspicuus, Humbertus Cardinalis Episcopus Sylvæ Candidæ. Ili perhonorificè excepti sunt à Constantino Monomacho Imperatore. Plures habuerunt cum Patriarcha collationes, quibus cùm nihil profecissent, dixerunt tandem in eum Excommunicationis sententiam solemni apparatu in Ecclesia sanctæ Sophiæ. Michaël vicissim et Legatos et summum ipsum Pontificem excommunicare non dubitavit. Pulsus est è sua sede Cærularius per Imperatorem. Nec propterea schisma desiit, magnos ex eo tempore fecit in Oriente progressus. Non tamen omnes Orientis Ecclesiæ huic adhæserunt. Pleraque earum in communione Ecclesiæ Romanæ seculo sequenti permanebant. Multæ in eadem communione perseverant etiamnùm, quanquam paucæ numero illæ quidem, præ aliis quas vel Nestorianismus, vel Eutychianismus, vel Monothelismus, vel schisma sub Cærulario inchoatum separat ab unitate Ecclesiæ. (A)

(A) *Hujusce Schismatis historiam scripsere Auctores haud spernendi, quos adire potes.*

SECULUM DUODECIMUM.

Infestarunt Ecclesiam suis erroribus hoc seculo Tanchelinus, Petrobrusiani, qui et Henriciani parentes Albigensium, nova Manichæorum progenies, Arnaldus de Brixià, Petrus Abælardus, Gilbertus Porretanus, Eudo de Stella, Apostolici, ac demum Waldenses.

TANCHELINUS, homo perditissimus, circa initium hujus seculi docuit Antuerpiæ ministerium Episcoporum et Presbyterorum non fuisse à Christo institutum; Sacrosanctæ Eucharistiæ communionem nihil prodesse ad salutem. Ad hæc vitam agebat omni flagitiorum et obscenitatum genere inquinatam. Nondùm erat Antuerpia ad sedem Episcopalem evecta. Erat ibi tùm temporis Presbyter unicus, homo vitæ flagitiosissimæ. Opportunam itaque nactus occasionem Tanchelinus, lupi rapacis instar, sæviit in gregem Pastore destitutum, et eos progressus fecit, ut eum omnis populus Antuerpiensis ut magnum aliquem Prophetam sequeretur. In illis angustiis suscitatus à Deo est S. Norbertus Ordinis Præmonstratensis Institutor, deinde Archiepiscopus Magdeburgensis. Is Antuerpiam profectus impiam hæresim debellavit et exstinxit. De eo adi vitam S. Norberti à R. P. Hugo Ordinis Præmonstratensis conscriptam.

PETROBRUSIANI sic dicti à *Petro de Bruis*. Is ex oppido S. Ægidii in diœcesi Nemausensi ortus, Manichæorum errores non paucos disseminavit, quibus multa addidit, quæ seculis sequentibus fuere à Lutheranis et Calvinianis propugnata. Igni traditus est in eodem S. Ægidii oppido.

HENRICIANI nomen sortiti sunt ab *Henrico* nescio quo Monacho Apostatâ, qui impia Petrobrusianorum dogmata propugnavit multùm. His veluti parentibus *Albigensium* secta prodiit, de quâ agemus seculo sequenti. (A) Confutati

(A) S. BERNARD. *Epist.* 241. *ad Hildefons. Comitem S. Ægidii*, *n.* 1. Quanta audivimus et cognovimus mala, quæ in Ecclesiis Dei fecit, et facit quotidie Henricus hæreticus? Versatur in terra vestra sub vestimentis ovium lupus rapax: sed ad Domini designationem, (*Matth.* VII. 20.) à fructibus ejus cognoscimus illum. Basilicæ sine plebibus, plebes sine Sacerdotibus, Sacerdotes sine debita reverentia sunt et sine Christo denique Christiani. Ecclesiæ, Synagogæ reputantur: sanctuarium Dei sanctum esse negatur: sacramenta non sacra censentur: dies festivis frustrantur solemniis: moriuntur homines in peccatis suis: rapiuntur animæ passim ad tribunal terrificum, heu! nec pœnitentiâ reconciliati, nec sanctâ communione muniti. Parvulis Christianorum Christi intercluditur vita, dum baptismi negatur gratia: nec saluti propinquare sinuntur, Salvatore licet piè clamante pro eis: *Sinite*, inquit (*Matth.* XIX. 14.) *parvulos venire ad me.*

N. 2. Nec mirum tamen, si serpens ille callidus decepit te, quippe speciem pietatis habens, cujus virtutem penitùs abnegavit.

N. 3. Homo apostata est: qui relicto religionis habitu (nam Monachus exstitit) ad spurcitias carnis et seculi, tanquam carnis ad suum vomitum, est reversus. Præ confusione autem habitare inter cognatos et notos non sustinens, vel potiùs non permissus ob magnitudinem criminis; succinxit lumbos suos, et iter, quod nesciebat, arripuit, factus gyrovagus et profugus super terram. Cùmque mendicare cœpisset, po-

sunt Petrobrusiani et Henriciani à Petro Venerabili Abbate Cluniacensi, S. Bernardo Abbate Claravallensi et aliis. Damnati sunt in Concilio secundo Lateranensi an. 1139. sub Innocentio II. quod est œcumenicorum decimum.

ARNALDUS BRIXIENSIS in Italia, primùm Clericus, deindè Monachus, tum Apostata, multos docuit errores circa Eucharistiam, baptisma parvulorum, statum Clericalem et Monachalem. In multis idem sensit cum Petrobrusianis. (B) Confutatus est à S. Bernardo, et damnatus in eodem Concilio Lateranensi II.

PETRUS ABÆLARDUS in Pago Namnetensi Britanniæ minoris ortus, magnam sibi famam in Academia Parisiensi publicâ Philosophiæ professione comparavit. Nec minùs famosus fuit suis cum Heloissa amoribus, undè tot ipsi ærumnæ natæ sunt. Eum nimia ex principiis Dialectices hausta subtilitas induxit in multos errores circa sanctissimæ Trinitatis mysterium aliaque capita plurima. Hos

suit in sumptu Evangelium (nam litteratus erat) et venale distrahens verbum Dei, evangelizabat ut manducaret. Si quid supra victum elicere poterat à simplicioribus populi, vel ab aliqua matronarum, id ludendo aleis, aut certè usus turpiores turpiter effundebat. Frequenter si quidem post diurnum populi plausum, nocte insecutâ cum meretricibus inventus est prædicator insignis, et interdùm etiam cum conjugatis. Inquire, si placet, vir nobilis, quomodo de Lausana civitate exierit: quomodo de Cenomannis, quomodo de Pictavi, quomodo de Burdegali: nec patet ei uspiam reversionis aditus, utpote qui fœda post se ubique reliquerit vestigia.

(B) S. BERN. *ad Episc. Constant. Epist.* 195. *n.* 1. Arnaldum loquor de Brixia, qui utinam tàm sanæ esset doctrinæ, quàm districtæ est vitæ. Et si vultis scire, homo est neque manducans, neque bibens, solo cum diabolo esuriens et sitiens sanguinem animarum. Unus de numero illorum, quos Apostolica vigilantia notat (2. *Tim.* III. 5,) habentes formam pietatis, virtutem illius penitùs abnegantes: et ipse Dominus: *Venient*, inquiens (*Matth.* VII. 15.), *ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Is ergo usque ad hanc ætatem, ubicunque conversatus est, tam fœda post se, et tam sæva reliquit vestigia, ut ubi semel fixerit pedem, illuc ultra redire omninò non audeat. Denique ipsam, in qua natus est, valdè atrociter commovit terram, et conturbavit eam. Unde et accusatus apud Dominum Papam schismate pessimo, natali solo pulsus est: etiam et abjurare compulsus reversionem, nisi ad ipsius Apostolici permissionem. Pro simili deinde causa et à regno Francorum exturbatus est Schismaticus insignis. Exsecratus quippe à Petro Apostolo, adhæserat Petro Abælardo, cujus omnes errores, ab Ecclesia jam deprehensos atque damnatos, cum illo etiam et præ illo defendere acriter et pertinaciter conabatur.

N. 2. Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula. Unde et solet sibi allicere blandis sermonibus et simulatione virtutum divites et potentes, juxta illud (*Ps.* IX. 8.): *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.* Demùm cum fuerit de illorum captata benevolentia et familiaritate securus, videbitis hominem apertè insurgere in Clerum, fretum tyrannide militari, insurgere in ipsos Episcopos, et in omnem passim Ecclesiasticum ordinem desævire.

Epist. 196. *ad Guidon. Legat. n.* 1. Arnaldus de Brixia, cujus conversatio mel, et doctrina venenum: cui caput columbæ, cauda scorpionis est; quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere: fertur esse vobiscum.

BONACURSUS *de Vita Hæretic. Spicileg. Tom.* 13. *pag.* 85. Arnaldistæ pro malitia Clericorum sacramenta Ecclesiæ dicunt esse vitanda.

errores hîc referre superfluum est, maximè cùm nullam Hæreticorum sectam pepererint. Leget eos, qui voluerit, apud S. Bernardum cæterosque hujus ævi scriptores (C), qui Abælardum fusè et egregiè confutarunt. Damnatus est in Concilio Suessionensi an. 1120. et Senonensi an. 1140. Et demùm ab Innocentio II. summo Pontifice. Errores suos ejuravit et à Petro Venerabili Abbate Cluniacensi inter Monachos receptus, ibi piè admodùm vixit, fuitque in S. Bernardi gratiam receptus. Demum in monasterio S. Marcelli Cabillonensis Ordinis Cluniacensis, quò recuperandæ sanitatis causâ missus fuerat, sanctè obiit an. 1142.

Gilbertus Porretanus Episcopus Pictaviensis, præ nimia subtilitate impegit in errores quosdam circa SS. Trinitatis mysterium. (D) Ii confutati sunt à S. Bernardo, et damnati in Concilio Remensi an. 1148. ubi hos ipse abjuravit.

(C) S. Bern. *Epist.* 189. *Innocentio summo Pontifici, n.* 4. Denique scripsit mihi, sollicitante quidem ipso, Archiepiscopus Senonensis, diem statuens congressionis, quo ille in præsentia ejus et Coepiscoporum suorum deberet, si posset, statuere prava dogmata sua, contra quæ ego ausus mutire fuissem. Abnui, tùm quia puer sum, et ille vir bellator ab adolescentia: tùm quia judicarem indignum, rationem fidei humanis committi ratiunculis agitandam, quam tam certa ac stabili veritate constat esse subnixam. Dicebam sufficere scripta ejus ad accusandum eum; nec mea referre, sed Episcoporum, quorum esset ministerii de dogmatibus judicare. Nihilominùs, immò eò ampliùs levavit vocem, vocavit multos, congregavit complices. Quæ de me ad discipulos suos scripserit, dicere non curo. Disseminavit ubique, se mihi die statuto apud Senonas responsurum. Exiit sermo ad omnes, et non potuit me latere. Dissimulavi primùm: nec enim satis rumore populari movebar. Cedens tamen (licèt vix, ita ut flerem) concilio amicorum, qui videntes quomodo se quasi ad spectaculum omnes pararent, timebant ne de nostra absentia et scandalum populo, et cornua crescerent adversario; et quia error magis confirmaretur, cùm non esset qui responderet aut contradiceret; occurri ad locum et diem, imparatus quidem et immunitus, nisi quòd illud mente volvebam (*Matth.* x. 19.) *Nolite præmeditari. qualiter respondeatis: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Et aliud (*Ps.* lv. 5.) *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Convenerunt autem præter Episcopos et Abbates plurimi viri Religiosi, et de civitatibus Magistri scholarum, et Clerici litterati multi: et Rex præsens erat. Itaque in præsentia omnium, adversario stante ex adverso, producta sunt quædam capitula de libris ejus excerpta. Quæ cùm cœpissent legi, nolens audire exivit, appellans ab electis judicibus, quod non putamus licere. Porrò capitula judicio omnium examinata, inventa sunt fidei adversantia, contraria veritati.

De Abælardo et ejus erroribus vide S. Bernardi *Epist.* 187. *et seq. ad* 195. *et Epist.* 326. 327. 330. *ad* 339. *Imprimis verò Epist.* 190. *seu Tractatum de Erroribus Abælardi.*

(D) S. Bernard. *de Considerat. lib.* v. *cap.* 7. *n.* 15. Quid est Deus? Quo nihil melius cogitari potest. Si approbas, non oportet assentiaris esse aliquid quod Deus sit, et quod Deus non sit: hoc enim sine dubio melius. Quomodo non melius Deo, si Deus non est, quod dat Deo ut sit? At melius illam divinitatem, quâ dicunt Deum esse, non aliud quàm Deum esse fatemur. Non est ergo in Deo nisi Deus. Quid? inquiunt: negas Deum habere divinitatem? Non, sed quod habet, hoc est. Negas divinitate Deum esse? Non, sed non aliâ, quàm quæ ipse est. Aut si tu aliam invenisti, adjuvet me Trinitas Deus, adversùs illam totâ me con-

Prodiit eo tempore ex minori Britannia **Eudo de Stella**, nescio quis, qui in ordinem Clericalem et Monachalem vehementer incensus, plebem ad se undiquè aggregavit. Is multa demens somniavit, eò usque insaniæ prolapsus, ut diceret esse judicem vivorum et mortuorum. Eam insaniam hausit ex sui nominis pronuntiatione : *Eon* enim dicebatur : et de se intelligi oportere effutiebat quod in exorcismis Ecclesiæ legitur *per* **Eum** (*Eon* pronuntiabat) *qui venturus est judicare vivos et mortuos et seculum per ignem.* Concilii Remensis an. 1148 celebrati sententiâ in perpetuum carcerem detrusus est. Non paucos habuit discipulos : illi ubi deprehensi sunt, flammis addicti auctoritate Magistratuum.

Apostolici maximè circa Coloniam Agrippinam hâc tempestate Hæretici prodiere, verè Manichæi. Illi eadem ferè sentiebant cum Albigensibus. (E) Eos S. Bernardus imprimis confutavit.

tumaciâ erigo. Quaternitas orbem disterminat, non signat deitatem. Deus Trinitas est, Deus trium singula personarum. Si quartum divinitatem adjicere placet : interim ego hanc quæ Deus non est, persuasi mihi minimè adorandam.

In Cant. cant. Serm. 80. *n.* 8. Unde non immeritò nuper in Concilio, quod Papa Eugenius Remis celebravit, tam ipsi, quàm cæteris Episcopis perversa visa est, et omninò suspecta expositio illa in libro Gilberti Episcopi Pictaviensis, quo super verba Boëtii de Trinitate, sanissima quidem atque Catholica, commentabatur hoc modo. Pater est veritas, id est, verus : Filius est veritas, id est, verus : Spiritus sanctus est veritas, id est, verus. Et hi tres simul non tres veritates, sed una veritas, id est, unus verus. O obscuram perversamque explanationem ! Quàm veriùs saniùsque per contrarium ita dixisset : Pater est verus, id est, veritas : Filius est verus, id est, veritas : Spiritus sanctus est verus, id est, veritas. Et hi tres unus verus, id est, una veritas. Quod quidem fecisset, si sanctum dignaretur Fulgentium imitari, qui ait : Una quippe veritas unius Dei, imò una veritas unus Deus non patitur servitium atque culturam Creatoris creaturæque conjungi. Bonus corrector, qui veracissimè de veritate loqueretur, qui piè Catholicèque sentiret de vera et mera divinæ simplicitate substantiæ, in qua nihil esse possit, quod ipsa non sit, et ipsa Deus. Quanquam manifestiùs in nonnullis locis aliis à rectitudine fidei liber ille præfati Episcopi visus est discrepare, quorum (verbi causâ) adhuc unum pono. Nam dicente auctore, cùm dicitur, Deus, Deus, Deus, pertinet ad substantiam : noster commentator intulit, non quæ est, sed quâ est. Quod absit, ut assentiat Catholica Ecclesia, esse videlicet substantiam, vel aliquam omninò rem, quâ Deus sit, et quæ non sit Deus.

N. 9. Sed hæc minimè jam contra ipsum loquimur, quippe qui in eodem conventu sententiæ Episcoporum humiliter acquiescens, tam hæc, quàm cætera digna reprehensione inventa proprio ore damnavit : sed propter eos, qui adhuc librum illum, contra apostolicum utique promulgatum ibidem interdictum transcribere et lectitare feruntur, contentiosiùs persistentes sequi Episcopum, in quo ipse non stetit, et erroris quàm correctionis magistrum habere malentes.

(E) **Evervini Steinfeld.** *Præpos. Epist. ad S. Bernard. n.* 2. Nuper apud nos juxta Coloniam quidam Hæretici detecti sunt, quorum quidam cum satisfactione ad Ecclesiam redierunt. Duo ex eis, scilicet qui dicebatur Episcopus eorum cum socio suo, nobis resiterunt in conventu Clericorum et Laïcorum, præsente ipso Domino Archiepiscopo cum magnis viris nobilibus, hæresim suam defendentes ex verbis Christi et Apostoli. Sed cùm vidissent se non posse procedere, petierunt ut

eis statueretur dies, in quo adducerent de suis viros fidei suæ peritos : promittentes se velle Ecclesiæ sociari, si magistros suos viderent in responsione deficere ; alioquin se velle potiùs mori, quàm ab hac sententia deflecti. Quo audito, cùm per triduum essent admoniti, et resipiscere noluissent ; rapti sunt à populis nimio zelo permotis, nobis tamen invitis : et in ignem positi, atque cremati ; et (quod magis mirabile est) ipsi tormentum ignis non solùm cum patientia, sed cum lætitia introierunt et sustinuerunt. Hic, sancte Pater, vellem, si præsens essem, habere responsionem tuam, unde istis diaboli membris tanta fortitudo in sua hæresi, quanta vix etiam invenitur in valdè religiosis in fide Christi.

N. 3. Hæc est hæresis illorum. Dicunt apud se tantùm Ecclesiam esse, eò quòd ipsi soli vestigiis Christi inhæreant ; et Apostolicæ vitæ veri sectatores permaneant, ea quæ mundi sunt non quærentes, non domum, nec agros, nec aliquod peculium possidentes : sicut Christus non possedit, nec discipulis suis possidenda concessit. Vos autem (dicunt nobis) domum domui, et agrum agro copulatis, et quæ mundi sunt hujus quæritis : ita etiam ut qui in vobis perfectissimi habentur, sicut Monachi vel Regulares Canonici, quamvis hæc non ut propria, sed possident ut communia : possident tamen hæc omnia. De se dicunt : Nos pauperes Christi, instabiles, de civitate in civitatem fugientes, sicut oves in medio luporum, cum Apostolis et Martyribus persecutionem patimur : cùm tamen sanctam et arctissimam vitam ducamus in jejunio et abstinentiis, in orationibus et laboribus die ac nocte persistentes, et tantùm necessaria ex eis vitæ quærentes. Nos hoc sustinemus, quia de mundo non sumus : vos autem mundi amatores, cum mundo pacem habetis, quia de mundo estis.... In cibis suis vetant omne genus lactis, et quod inde conficitur, et quidquid ex coïtu procreatur. Hoc de conversatione sua nobis opponunt. In sacramentis suis velo se tegunt ; tamen nobis apertè confessi sunt, quòd in mensa sua quotidie cùm manducant, ad formam Christi et Apostolorum, cibum suum et potum in Corpus Christi et Sanguinem per dominicam orationum consecrant, ut inde se membra et Corpus Christi nutriant. Nos verò dicunt in Sacramentis non tenere veritatem, sed quamdam umbram et hominum traditionem. Confessi sunt etiam manifestè se præter aquam, in ignem et Spiritum baptizare, et baptizatos esse ; adducentes illud testimonium Joannis Baptistæ baptizantis in aqua, et dicentis de Christo (*Matth.* III. 11.) : *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto et igne.* Et in alio loco (*Joan.* I. 26.) : *Ego baptizo in aqua, major autem vestrûm stetit, quem vos nescitis*, quasi alio baptismo præter aquam vos baptizaturus. Et talem baptismum per impositionem manuum debere fieri conati sunt ostendere testimonio Lucæ, qui in Actibus Apostolorum describens baptismum Pauli, quem ab Anania suscepit ad præceptum Christi, nullam mentionem fecit de aqua, sed tantùm de manûs impositione : et quidquid invenitur, tam in Actibus Apostolorum, quàm in Epistolis Pauli de manûs impositione, ad hunc baptismum volunt pertinere. Et quemlibet sic inter eos baptizatum dicunt Electum, et habere potestatem alios, qui digni fuerint, baptizandi et in mensa sua Corpus Christi et Sanguinem consecrandi. Priùs enim per manûs impositionem de numero eorum, quos Auditores vocant, recipiunt eum inter credentes : et sic licebit eum interesse orationibus eorum, usquedum satis probatum eum faciant Electum. De Baptismo nostro non curant. Nuptias damnant, sed causam ab eis investigare non potui ; vel quia eam fateri non audebant, vel potiùs quia eam ignorabant.

N. 4. Sunt item alii Hæretici quidam in terra nostra, omninò ab istis discordantes, per quorum mutuam discordiam et contentionem utrique nobis sunt detecti. Isti negant in altari fieri Corpus Christi, eò quòd omnes Sacerdotes Ecclesiæ non sunt consecrati. Apostolica enim dignitas (dicunt) corrupta est, implicans se negotiis secularibus ; et in cathedra Petri non militans Deo, sicut Petrus, potestate consecrandi, quæ data fuit Petro, se privavit : et quod ipsa non habet. Archiepiscopi et Episcopi, qui in Ecclesia seculariter vivunt, ab ea non accipiunt ut aliquos consecrare possint, advertentes illud de verbis Christi (*Matth.*

XXIII. 2.) : * *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi ; quæ vobis dicunt facite.* Quasi isti talibus concessa sit potestas tantùm dicendi et præcipiendi, et nihil ampliùs. Et ita evacuant Sacerdotium Ecclesiæ, et damnant sacramenta, præter Baptismum solum, et hunc in adultis, quos dicunt baptizari per Christum, quicunque sit minister Sacramentorum. De Baptismo parvulorum fidem non habent, præter illud de Evangelio (*Marc.* XXVI. 16.) : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Omne conjugium vocant fornicationem, præter quod contrahitur inter utrosque virgines, masculum et feminam.

N. 5. In suffragiis Sanctorum non confidunt ; jejunia cæterasque afflictiones, quæ fiunt pro peccatis, adstruunt justis non esse necessaria, nec etiam peccatoribus : *Quia in quacunque die ingemuerit peccator, omnia peccata remittuntur ei :* cæterasque observantias in Ecclesia, quas Christus et Apostoli ab ipso discedentes non condiderunt, vocant superstitiones. Purgatorium ignem post mortem non concedunt : sed animas statim, quando egrediuntur de corpore in æternam vel requiem, vel pœnam transire, propter illa Salomonis (*Eccle.* XI. 3.) : * *Lignum in quamcunque partem ceciderit, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi manebit.* Et sic fidelium orationes vel oblationes pro defunctis adnihilant.

S. BERNARD. *Serm.* 63. *in Cant. cant. n.* 8. Vile nempe hoc genus est et rusticanum, ac sine litteris, et prorsùs imbelle. Denique vulpes sunt, et pusillæ : sed neque illa, in quibus malè sentire dicuntur, defensibilia sunt ; nec tàm subtilia quàm suasibilia, idque duntaxat mulierculis rusticis et idiotis, et quales utique omnes sunt, quotquot adhuc de secta hac esse expertus sum. Nec enim in cunctis assertionibus eorum, (nam multæ sunt) novum quid aut inauditum audisse me recolo, sed quod tritum est, et diu ventilatum inter antiquos Hæreticos, à nostris autem contritum et eventilatum. Dicendum tamen et dicam, quænam ineptiæ sint, partim quas sciscitantibus se Catholicis minùs cautè respondentes ipsi confessi sunt, partim quas divisi ab invicem litigantes de invicem prodiderunt, partim quoque quas nonnulli eorum redeuntes ad Ecclesiam detexerunt.

Serm. 66. *n.* 1. Hi oves sunt habitu, actu vulpes, actu et crudelitate lupi. Hi sunt qui boni videri, non esse ; mali non videri, sed esse volunt. Mali sunt, et boni videri volunt, nesoli sint mali. Mali videri timent, ne parùm sint mali. Etenim minùs semper malitia palàm nocuit, nec unquam bonus, nisi boni simulatione deceptus est. Ita ergo in malum bonorum, boni apparere student ; mali nolunt, ut plus liceat malignari. Neque enim est apud eos virtutes colere, sed vitia colorare quodam quasi virtutum minio. Denique superstitionis impietatem nomine religionis intitulant... innocentiæ proinde solùm sibi vindicantes colorem : in operimentum turpitudinis, continentiæ se insigniere voto. Porrò turpitudinem in solis existimant reputandam uxoribus : cùm vel sola sit ea, quæ cùm in uxore est, causa, quæ turpitudinem excusat in coitu. Rusticani homines sunt et idiotæ, et prorsus contemptibiles.

N. 2. Hi nubere prohibent, hi à cibis abstinent, quos Deus creavit.... Quære ab illis suæ sectæ auctorem ; neminem dabunt...

N. 4. Inter solos virgines matrimonium contrahi posse fatentur. Verùm quid in hac distinctione rationis afferre possint, non video : nisi quòd pro libitu quisque suo sacramenta Ecclesiæ, tanquam matris viscera, dente viperco certatim inter se dilacerare contendunt. Nam quod dicuntur prælendere de primis conjugibus, quia virgines erant : quid istud quæso matrimonii præjudicat libertati, quo minùs et inter non virgines contrahi liceat ?

N. 6. Abstinent namque hi à cibis, quos creavit Deus ad percipiendum cum gratiarum actione : ... nempe horrent lac, et quicquid ex eo conficitur : postremò omne quod ex coïtu procreatur...

N. 8. Non ignoro quod se et solos corpus Christi esse glorientur. Sed sibi hoc persuadeant, qui illud quoque persuasum habent, potestatem se habere quotidie in mensa sua corpus Christi et Sanguinem consecrandi ad nutriendum se in corpus Christi et membra. Nempe jactant se esse successores Apostolorum, et Apostolicos nominant, nullum tamen Apostolatûs sui signum valentes ostendere : .. se dicunt Ecclesiam.

Valdenses sic dicti à Mercatore quodam Lugdunensi, cui *Petrus Valdo* nomen fuit. Dicti sunt quoque *Pauperes de Lugduno*, ob ostentationem paupertatis. Alia multa nomina sortiti sunt, quæ hîc enumerare superfluum est. Erant omnes Laïci, à nemine proindè missi ad prædicandum. Ob id correpti à Pastoribus, minimè paruerunt. Multos sparserunt errores non absimiles iis, quos propugnant etiam ii, quos Protestantes dicimus. Ab iis tamen discrepabant in multis capitibus, iisque grævissimis. Horum historiam et errores legere licet apud Reinerum, qui cùm fuisset primùm horum hæresi infectus, abjuratâ hæresi in familiam S. Dominici adscitus est, eosque scriptis confutavit. Item apud Bossuetum Meldensem Episcopum Historiæ Variationum libro undecimo. (F) Damnati sunt multis in

N. 9. Irrident nos, quòd baptizamus infantes; quòd oramus pro mortuis; quòd Sanctorum suffragia postulamus. In omni genere hominum atque in utroque sexu festinant proscribere Christum, in adultis et parvulis, in vivis et mortuis; hinc quidem infantibus ex impossibilitate naturæ, inde verò adultis ex difficultate continentiæ præscribentes. Porrò mortuos viventium fraudantes auxiliis, viventes nihilominùs Sanctorum, qui decesserunt, suffragiis spoliantes.

(F) *Histoire des Variations de feu* M. Bossuet *Evêque de Meaux, Liv.* xi. *n.* 71. *Histoire des Vaudois.* Leur nom est tiré de Valdo auteur de la secte. C'est dans Lyon qu'ils prirent naissance. On les nomma les Pauvres de Lyon, à cause de la pauvreté qu'ils affectaient; et comme la Ville de Lyon se nommait alors *Leona* en Latin, on les appella aussi tout court les Leonistes, ou les Lionistes, comme qui eût dit les Lyonnais.

On les appela encore *les Insabbatés*, d'un ancien mot qui signifiait des souliers, d'où sont venus d'autres mots d'une semblable signification qui sont encore en usage en beaucoup de langues aussi bien que dans la nôtre. C'est de là donc qu'on les appela les Insabbatés, à cause de certains souliers d'une forme particulière qu'ils coupaient par-dessus pour faire paraître les pieds nus, à l'exemple des Apôtres, à ce qu'ils disaient: et ils affectaient cette chaussure, pour marque de leur pauvreté Apostolique.

Voici maintenant leur histoire en abrégé. Lorsqu'ils se sont séparés, ils n'avaient encore que très-peu de dogmes contraires aux nôtres, et peut-être point du tout. En l'an 1160, Pierre Valdo marchand de Lyon, dans une assemblée où il était selon la coutume avec les autres riches trafiquans, fut si vivement frappé de la mort subite d'un des plus apparens de la troupe, qu'il distribua aussitôt tout son bien, qui était grand, aux pauvres de cette Ville; et en ayant par ce moyen ramassé un grand nombre, il leur apprit la pauvreté volontaire, et à imiter la vie de Jésus-Christ et des Apôtres. Voilà ce que dit Renier, que les Protestans, flattés des éloges que nous verrons qu'il donne aux Vaudois, veulent qu'on croie sur ce sujet plus que tous les autres auteurs. Mais on va voir ce que peut la piété mal conduite. Pierre Pytiedorf qui a vu les Vaudois dans leur force, et en a représenté non-seulement les dogmes mais encore la conduite avec beaucoup de simplicité et de doctrine, dit que ce Valdo touché des paroles de l'Evangile où la pauvreté est si hautement recommandée, crut que la vie Apostolique ne se trouvait plus sur la terre. Résolu de la renouveler, il vendit tout ce qu'il avait. *D'autres en firent autant touchés de componction*, et ils s'unirent ensemble dans ce dessein. Au commencement cette secte obscure et timide, on n'avait encore aucun dogme particulier, ou ne se déclarait pas; ce qui a fait qu'Ebrard de Béthune n'y remarque que l'affectation d'une superbe et oisive pauvreté. On voyait ces Insabbatés ou ces Sabbatés, comme il les nomme, avec leurs pieds nus, ou plutôt avec *leurs souliers coupés* par-dessus, attendre l'aumône, et ne vivre que de ce qu'on leur donnait: on n'y

Conciliis. In Lumbariensi (*de Lombez*) an. 1163. In Tolosano an. 1178. In Lateranensi III. an. 1179. quod fuit œcumenicorum undecimum sub Alexandro III. Demum in Lateranensi IV. an. 1215. sub Innocentio III. quod fuit œcumenicorum duodecimum.

Seculum Decimum-tertium.

Ecclesiam hoc seculo turbarunt maximè Albigenses, Almariciani, Abbatis Joachim discipuli, Circumcelliones, Flagellantes, Fratricelli, Beguardi et Beguinæ.

Albigenses sic dicti, quia Albigensem diœcesim et Tolosanam suis maximè infestarunt erroribus. Horum hæresis partim ex Manichæorum, partim ex Petrobrusianorum et Arnaldistarum, partim ex Waldensium erroribus coaluit. In omne prorumpebant genus libidinum et spurcitiarum. Eas pudet referre. His tamen Calviniani parentibus gloriantur. Eos impugnarunt maximè Arnaldus Abbas Cisterciensis; B. Petrus de Castronovo ex Cisterciensi familia monasterii Fontis-frigidi in diœcesi Narbonensi, ad dignitatem Legati Apostolici assumptus, et Albigensium furore martyrio coronatus; S. Dominicus qui ad horum Hæreticorum expugnationem Ordinem suum maximè instituit. Instituta est ad eos profligandos Cruce signatorum militia. Celebrata sunt adversùs eos multa Concilia præsertim in Occitaniâ: Avenionense an. 1210. Apud S. Ægidii oppidum

blâmait d'abord que l'ostentation, et sans encore les ranger avec les hérétiques, on leur reprochait seulement qu'ils en imitaient l'orgueil. Mais écoutons la suite de leur histoire: *Après avoir vécu quelque temps dans cette pauvreté prétendue Apostolique, ils s'avisèrent que les Apôtres n'étaient pas seulement pauvres, mais encore Prédicateurs* de l'Evangile. Ils se mirent donc à prêcher à leur exemple, afin d'imiter en tout la vie Apostolique. Mais les Apôtres étaient envoyés, et ceux-ci, que leur ignorance rendait incapables de cette Mission, furent exclus par les Prélats, et enfin par le Saint-Siége, d'un ministère qu'ils avaient usurpé sans leur permission. Ils ne laissèrent pas de continuer secrètement, et murmuraient contre le Clergé qui les empêchait de prêcher, à ce qu'ils disaient, par jalousie, et à cause que leur doctrine et leur sainte vie confondaient ses mœurs corrompues.

N. 75. Lucius III les condamna; et comme son Pontificat n'a duré que quatre ans, il faut que cette première condamnation des Vaudois soit arrivée entre l'année 1181. où ce Pape fut élevé à la Chaire de Saint-Pierre, et l'année 1185. où il mourut.

N. 82. *Leur erreur*, dit Pierre de Vaucern, *consistait principalement en quatre chefs: En ce qu'ils portaient des scandales à la manière des Apôtres: en ce qu'ils disaient qu'il n'était permis de jurer pour quelque cause que ce fût; et qu'il n'était non plus permis de faire mourir les hommes*, même pour crimes; *enfin en ce qu'ils disaient que chacun d'eux*, quoiqu'ils fussent de purs Laïques, *pourvu qu'il eût des Sandales* (c'est-à-dire, comme on a vu, la marque de la pauvreté Apostolique) *pouvait consacrer le Corps de Jésus-Christ.*

N. 83. En 1212. ils vinrent à Rome pour y obtenir *du Saint-Siége l'approbation de leur Secte...*

N. 85. Trois ans après, Innocent III tint le grand Concile de Latran, où, en condamnant les Hérétiques, il note en particulier *ceux qui, sous prétexte de piété, s'attribuent l'autorité de prêcher sans être envoyés:* par où il semble avoir voulu noter principalement les Vaudois, et les faire remarquer par l'origine de leur schisme.

eodem anno : Vaurense (*Lavaur*) an. 1213. Montispessulanense an. 1214. Tandem Concilium IV. Lateranense œcumenicum an. 1215. Ad exstirpandas hujus hæreseos reliquias, habitum est quoque Concilium Provinciæ Senonensis Parisiis an. 1223. Aliud Tolosæ an. 1229. Narbone an. 1235. Biterris an. 1246.

ALMARICIANI sic dicti ab *Almarico* Clerico Carnotensis diœcesis et Academiæ Parisiensis, primùm in Philosophicis, dein in Theologicis auditore. Multa Calvinianorum dogmatibus consona tenuerunt. Negabant prætereà corporum resurrectionem ; effutiebant Paradisum et Infernum nihil esse, sed qui haberet cogitationem Dei in se, habere in se Paradisum, qui peccatum mortale, habere Infernum. Asserebant non magis in SS. Patribus locutum fuisse Deum, quàm in Poëtarum fabulis. Alia id genus multa somniabant. Damnati sunt in Synodo Parisiensi anno 1209. Item in Concilio generali Lateranensi IV. an 1215.

JOACHIM Abbas Ordinis Cisterciensis in monasterio Calabriæ, magnam sibi pietatis famam comparavit. Incidit præ nimia vel simplicitate vel subtilitate in errorem circa sanctissimæ Trinitatis mysterium, distinguens naturam divinam à personis, et Quaternitatem, ut ita dicam, admittens potiùs quàm Trinitatem. (A) Hunc errorem S. Thomas

(A) *Decretal.* GREGORII IX. *l.* 1. *De summa Trinitate et fide Catholica, tit.* 1. *c.* 1. Firmiter credimus, et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus æternus, immensus, et incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, et ineffabilis Pater, et Filius, et Spiritus sanctus : tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino. Pater à nullo, Filius à Patre solo, ac Spiritus sanctus pariter ab utroque ; absque initio, semper, ac sine fine : Pater generans, Filius nascens, et Spiritus sanctus procedens, consubstantiales, et coæquales, et coomnipotentes, et cœterni : unum universorum principium : creator omnium visibilium, et invisibilium, et spiritualium, et corporalium, suâ omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, et corporalem, angelicam videlicet, et mundanam ; ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. Diabolus enim et alii dæmones à Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo verò diaboli suggestione peccavit. Hæc sancta Trinitas secundùm communem essentiam individua, et secundùm personales proprietates discreta : primò per Moysen et sanctos prophetas, aliosque famulos suos juxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinâ humano generi tribuit salutarem. Et tandem unigenitus Dei filius Jesus Christus à tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper virgine Spiritûs sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali et humana carne compositus, una in duabus naturis persona, viam vitæ manifestiùs demonstravit. Qui cùm secundùm divinitatem sit immortalis et impassibilis, idem ipse secundùm humanitatem factus est passibilis et mortalis. Qui etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus et mortuus, descendit ad inferos, resurrexit à mortuis, et ascendit in cœlum, sed descendit in anima, et resurrexit in carne, ascenditque pariter in utroque venturus in fine seculi, judicaturus vivos et mortuos, et redditurus singulis secundùm opera sua, tam reprobis quàm electis : qui omnes cum suis, propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant, ut recipiant secundùm opera sua sive bona fuerint, sive mala : illi cum

diabolo pœnam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam. Una verò est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omninò salvatur. In qua idem ipse sacerdos est sacrificium Jesus Christus, cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis, et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divinâ: ut ad perficiendum mysterium unitatis, accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc utique sacramentum nemo potest conficere nisi sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus secundùm claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorumque successoribus Jesus Christus. Sacramentum verò Baptismi (quod ad Dei invocationem, et individuæ Trinitatis, videlicet Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, consecratur in aqua) tam parvulis, quàm adultis in forma Ecclesiæ quocunque ritè collatum proficit ad salutem. Et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum per veram potest semper pœnitentiam reparari. Non solum autem virgines et continentes, verùm etiam conjugati, per fidem rectam et operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.

S. THOMAS *in Opusc. 24. edit. Antuerp. ann.* 1612. *pag.* 198. *fol. verso.* Damnamus ergo et reprobamus, etc. Expositâ formâ Catholicæ fidei in præcedentibus, in hac Decretali damnatur error Joachim, reprobare volentis doctrinam Magistri Petri Lombardi circa unitatem divinæ essentiæ et Trinitatem personarum. Et ut utriusque intentio plenius videatur, accipiendum est id, quod in præcedenti est dictum, quòd scilicet sancta Trinitas secundùm communem essentiam est individua et secundùm proprietates personales discreta: ut enim suprà expositum est, persona Patris non distinguitur à personâ Filii, nisi paternitate, et Filius distinguitur à Patre filiatione, in quantum scilicet Pater genuit Filium, Filius genitus est à Patre: et similiter Spiritus sanctus distinguitur à Patre et Filio, in quantum procedit ab utroque. Persona igitur in divinis distinguitur, in quantum persona generat, vel generatur, vel procedit. Si ergo essentia divina generat vel procedit, consequens est, quòd distinguatur in tribus personis, et quòd sicut est alia persona Patris, alia Filii, alia Spiritûs sancti, ita etiam sit earum alia et alia substantia vel essentia. Quod in Ario damnavit Nicæna Synodus, asserens Filium homousion Patri, id est, coessentialem et consubstantialem. Quod magister Petrus sequens docuit, Quòd una est essentia, vel substantia communis Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, quæ nec generatur, nec procedit, ut sit penitùs indistincta, ut patet in quinta distinctione primi sententiarum ejus. Joachim autem Abbas Florensis monasterii non benè capiens verba Magistri prædicti, utpotè in subtilibus fidei dogmatibus rudis, prædictam Magistri Petri doctrinam hæreticam reputavit, imponens ei quòd quaternitatem induceret in divinis ponens tres personas et communem essentiam, quam credebat sic poni à Magistro Petro, quasi aliquid distinctum à tribus personis, ut sic possit dici quasi quartum. Credebat enim, quòd ex hoc ipso quod dicitur, essentia divina, nec est generans, nec genita, nec procedens, distinguatur à Patre qui generat, et à Filio qui generatur, et à Spiritu sancto qui procedit. Et ideò ipse Joachim protestatur, quòd in divinis non est aliqua res una, quæ sit Pater et Filius et Spiritus sanctus, sive illa res una dicatur substantia, sive essentia, sive natura, his enim tribus nominibus idem intelligimus. Sed ne videretur totaliter a fide Nicænæ Synodi recedere, concedebat quòd Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt una essentia, una substantia, una natura, quasi una essentia possit prædicari de tribus personis, ut dicamus, tres personæ sunt una essentia, non autem è converso, ut dicatur una essentia est tres personæ. Sed in hoc ipso quòd concedebat tres personas esse unam essentiam, vel substantiam, vel naturam, non habebat sanum intellectum. Non enim ponebat unitatem essentiæ trium personarum esse veram, realem et simplicem, sed quasi similitudinariam et collectivam, id est quasi ex pluribus congregatam, sicut multi homines dicuntur unus populus, et multi fideles dicuntur una Ecclesia.... Unde manifestum est, quòd Joachim in errorem Arianorum incidit, licèt non pertinaciter, quia ipse scripta sua Apostolicæ sedis judicio subjecit.

Aquinas confutavit, et Concilium Lateranense IV. de quo suprà, damnavit an. 1215. Multi Abbati Joachim pro Propheta habito ultra modum addicti sunt. Ex illis, nescio quis, fanaticus librum scripsit sub nomine Evangelii æterni, mille fabulis et blasphemiis refertum, in quo elevare non dubitavit auctoritatem novi Testamenti, ut ejus loco Abbatis Joachim auctoritatem substitueret. Damnatus est liber impius cum suis defensoribus in Concilio Arelatensi an 1260.

CIRCUMCELLIONES Hæretici prodiere in Germania circa an. 1268. Sic dicti sunt ab antiquis *Circumcellionibus* è Donatistarum grege, quorum ipsi errorem renovarunt. Cum ipsis enim docuerunt non posse ullum sacramentum validè ministrari ab homine peccatore, peccatores peccato suo jure ministerii excidisse, nullum proindè esse tunc temporis Sacerdotem sive ex Episcopali sive ex Presbyterali ordine, qui potestatem haberet ligandi et solvendi; omnes enim, inquiebant, ne summo quidem Pontifice excepto, sunt Hæretici, Simoniaci et peccatores. Sed hoc sibi jus impudenter arrogabant. Illos errores jampridem ab Ecclesia damnatos in Donatistis, renovavit non multò post Wiclefus, ut infrà videbimus.

FLAGELLANTIUM secta, devotio primùm popularis, tandem degeneravit in hæresim. Anno 1260. novo pietatis et pœnitentiæ fervore succensi in Italia nonnulli catervatim per urbium vicos nudi ab humeris ad umbilicum procedebant, crucibus et vexillis præeuntibus, flagellis armati, quibus suam ipsi carnem ad sanguinem usque castigabant, divinam misericordiam singultibus implorantes. Hoc pio et insolito spectaculo multi peccatores ad Deum conversi pœnitentiam egerunt, illisque se adjunxerunt: mox crescente *Flagellantium* numero eò demùm insaniæ processerunt, ut dicerent neminem posse consequi remissionem peccatorum, nisi se huic piæ societati adjungeret; et tandem factâ sibi invicem peccatorum confessione, arrogarunt sibi licentiam absolvendi à peccatis, Laïci licèt. Ab Italia in Germaniam et in Hungariam transiit hæc secta, ibique renovata est seculo sequenti anno scilicet 1349. Huic facultas Theologica Parisiensis fortiter obstitit, eamque Gerson, celebris ille Cancellarius Academiæ Parisiensis, seculo sequenti egregiè confutavit.

FRATRICELLI Religiosi quidam Apostatæ ex S. Francisci familia multos sparserunt errores haustos partim ex Manichæis, partim ex Waldensibus, partim de suo additis. Hos Joannes XXII. summus Pontifex editâ anno 1318. constitutione damnavit.

BEGUARDI et BEGUINÆ ex sacra pariter ordinum Religiosorum familia viri et mulieres Apostatæ, multa docuerunt partim ab antiquis Gnosticis, partim ab Manichæis, par-

tim à Messalianis hausta, partim de suo addita et ab iis, qui Quietistæ dicti sunt, seculo decimo septimo renovata. Damnati sunt illi in Concilio generali Viennensi, habito an. 1311.

Seculum Decimum-quartum.

Ecclesiam turbarunt hoc seculo maximè Turlupini, Raymundus Lullus, et Wiclefus.

Turlupini hoc ridiculo nomine appellati propter insolitum et ridiculum, ne dicam abominandum vitæ genus. In Delphinatu potissimùm et Sabaudiâ prodierunt sub Pontificatu Gregorii XI. Ad Beguardorum errores, quibus erant infecti; id adjecerunt, mentalem orationem solam esse utilem, ad spiritualis vitæ perfectionem pertinere nulli prorsus legi, ne divinæ quidem, esse subjectum. Hinc spretis omnibus etiam honestatis et naturæ legibus, omninò nudi incedebant, et in omne libidinum et turpitudinis genus, canum instar, impudentes, palàm ruere non dubitabant. Brevi exstincta est secta impurissima, Magistratuum auctoritate, traditis igni quotquot reperiri potuerunt hujus sectatoribus. (A)

(A) Gaguinus *Lib.* 9. *Histor. Franc. pag.* 158. *edit. Wechel. ann.* 1577. Superstitionis quoddam genus eodem tempore à Turlupinis (hoc enim erat Hæreticis nomen, qui se de societate Pauperum vocitari gaudebant) ortum, finem cepit: crematis eorum vestibus et libris, in foro suillo extra sancti Honorati portam. Joanna autem Dabentona et cum ea alter, cujus nomen Historici non tradunt, ejusdem sectæ imprimis professores comburuntur. Hic autem, quem sine nomine ponimus, cùm ante damnationis ejus sententiam, in carcere mortem obiisset, dies 15. in aggere calcis, ne putresceret ejus cadaver, asservatus est, et die ad supplicium præscripto crematus.

Extrait des Annales de Belleforest *pag.* 937. Ci-dessus nous avons parlé des Pauvres de Lyon, et des Vaudois, et autre telle vermine de monstres pleins de risée et moquerie, qui à divers temps avaient semé de l'erreur en l'Eglise: de l'école de ceux-ci furent certains fols, lesquels à cause de leur doctrine sans raison, et sotte façon de vivre, on nomma par mépris Turelupins (comme la France est prompte à donner des sobriquets sans fondement ni cause de l'imposition d'iceux) lesquels étaient de la compagnie de Pauvreté, et des restes des Béguards, et autres esprits rioteux tâchant de mettre division en l'Eglise. Ceux-ci ayant composé quelques livres, et iceux tombant ès mains de la faculté de Théologie, furent déclarés Hérétiques, et par jugement de Messire Millon des Dormans Grand Vicaire de l'Evêque de Paris, on les brûla publiquement en la place de Grève à Paris, comme aussi passèrent par les flammes un homme et une femme infectés de cette hérésie: l'homme étant mort en prison fut exécuté après son trépas, et la femme nommée Peronne d'Aubenton, native de Paris, le fut toute vive au marché aux Pourceaux, et leurs cendres jetées aux vents, comme indignes de sentir la douceur du repos de la terre. Ces Turelupins commettaient des méchancetés non ouïes, et des faits les plus détestables qu'homme saurait imaginer, étant venus à telle insolence et oubli de ce que la nature apprend de soi inclination, et reconnaissant sa fragilité, à l'homme, qu'ils maintenaient qu'aucun ne devait avoir honte de chose quelle que ce fut à laquelle nature les peut inciter et pousser.... Et pour surmonter toute sorte d'infideles en impiété, ces Turelupins rapportaient tout à la liberté de l'esprit, et maintenaient qu'il ne fallait point prier Dieu que par imagination et de pensée, n'y s'assujettir à l'observation des Commandemens de Dieu, à cause que cela redondait plus à crainte que liberté, qui

RAYMUNDUS LULLUS non unus fuit, ut malè quidam existimant : sed ejusdem nominis homines duo exstitere planè diversi. Alter natus in majori insulâ Baleari primùm mercaturam exercuit; deindè creditur tertio Ordinis sancti Francisci nomen dedisse. Is viginti libros edidit, qui delati sunt ad Gregorium XI. ut scatentes plurimis erroribus circà naturam et attributa Dei, et sanctissimam Trinitatem et alia capita ad minus centum. Eos damnavit summus Pontifex. Nec propterea dici potest Raymundus Lullus fuisse Hæreticus ; ipse enim libros suos subjecit judicio summi Pontificis. Quin et creditur martyr obiisse in Africâ.

Lullistæ dicti sunt qui hos Raymundi Lulli errores, meritò à summo Pontifice damnatos, pertinaciter propugnarunt, additis etiam aliis erroribus ; nec possunt illi effugere notam hæreseos.

Raymundus alter ejusdem cognominis, ex Hebræorum Rabbino Christianus factus, *Neophyti* nomen sortitus est. Is complures de Alchimia et arte Magica scripsit libros mille refertos erroribus et blasphemiis et fabulis tùm antiquis, tùm novis. Qui lapidem, ut aiunt, Philosophicum metallorum transmutatione assecuturos esse se confidunt, vel Cabalistarum Judæorum somniis delectantur, quæ est hominum insania, ii *Raymundum* hunc *Neophytum* ut magni nominis magistrum venerantur.

JOANNES WICLEF Anglus, in diœcesi Lincolniensi Ecclesiæ Parochialis Rector, plurimos errores docuit adversùs Deum et Christum et Ecclesiam et Sacramenta. Donatistarum errores renovavit, et in multis præcursor fuit Calvini : in multis, inquam, non in omnibus, neque enim rejecit sacramentum Confirmationis, nec Pœnitentiæ, nec Unctionis-extremæ, nec Missæ sacrificium, nec Sanctorum invocationem, nec honorem debitum Sanctorum reliquiis aut sacris imaginibus. (B)

Wicleſi errores proscripsit Facultas Theologica Parisiensis, et damnavit Ecclesia multis in Conciliis tùm in Majori Britannia, tùm alibi congregatis, et demùm in Concilio generali Constantiensi inchoato anno 1414.

SECULUM DECIMUM-QUINTUM.

Nulla alicujus nominis hæresis nova exstitit hoc seculo nisi hæresis HUSSITARUM, sic dicta à *Joanne Hus* Presby-

est une des propositions de ce fol qui de notre temps voulait ôter la foi, et la crainte de Dieu qu'il appellait les bourreaux de la conscience : mais le feu ayant éteint son opinion nous en lairrons là et le nom et la mémoire comme chose indigne d'être ramenteue, et ne ferons encore plus de mention des Turelupins, lesquels furent aussitôt accablés presque qu'ils commencèrent à se montrer, tant les Evêques se montrèrent diligens à extirper de bonne heure cette vermine, ceci advenant l'an de notre salut mil trois cent soixante douze.

(B) *De Wiclefo et Wicleſtis lege* Historiam concilii Constantiensis *Domini* LENFANT *Gallicè scriptam paucis ab hinc annis in* 4° *et* Acta *ejusdem* Concilii *à* D. VONDER HART *publicata.*

tero Bohemo, Rectore Academiæ Pragensis. Is errores Wiclefi publicè docuit cum novorum adjectione. Hunc Lutherani et Calviniani tanquam Martyrem venerantur. Id tamen constat et ab ipso Domino *de la Roque* sectæ Calvinianæ Ministro; in Historia Eucharistiæ ab eo scripta demonstratum est, Joannem Hus semper credidisse et docuisse præsentiam realem Christi in Eucharistia, Transsubstantiationem, Purgatorium, cultum et invocationem Sanctorum, septem Sacramenta Ecclesiæ, debitum reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus honorem.

Damnatus est sicuti et Wiclefus in Concilio generali Constantiensi; et cùm suos noluisset errores ejurare, in suæ obstinationis pœnam traditus est brachio seculari, et sententiâ Magistratûs igne absumptus.

Hieronymus Pragensis homo Laïcus, discipulus *Joannis Hus*, eamdem subiit cum Magistro suo sententiam. Hinc ortæ sunt multæ ex parte Hæreticorum calumniæ adversùs Concilium Constantiense, quasi violatæ publicæ fidei reum. Sed constat Joannem Hus et Hieronymum Pragensem non stetisse promissis, nihilque fuisse à Magistratibus toto hocce in negotio, præter juris ordinem et justitiæ leges, attentatum. (A)

(A) ÆNEAS SYLVIUS, *Historiæ Bohemicæ cap.* 35. Sub Venceslao Rege... perfida Hussitarum insania ortum habuit, cujus et originem et progressum hoc loco prosequi animus est... *Bohemus* quidam genere nobilis, ex domo, quam *Putridi-piscis* vocant, apud Oxoniam Angliæ civitatem litteris studens, cum Joannis Wyclevi libros offendisset: quibus *de realibus universalibus* titulus inscribitur, magnoperè illis oblectatus, exemplaria secum attulit. Inter quæ de civili, de jure divino, de Ecclesia, de diversis quæstionibus, contra Clerum pleraque volumina, veluti pretiosum thesaurum patriæ suæ intulit. Imbutus jam ipse Wyclevitarum veneno, et ad nocendum paratus.... fœtidum virus in cives suos evomuit. Commodavit autem scripta quæ attulerat, his potissimùm, qui Teutonicorum, (*Scholam Pragensem regentium*) odio tenebantur. Inter quos Joannes eminuit, obscuro loco natus, ex villa Hus, quod anserem significat, cognomentum mutuatus. Hic cum esset ingenio peracri, et linguâ disertâ, multumque dialecticis oblectaretur, et peregrinas opiniones amaret, avidè admodùm Wyclevitarum doctrinam arripuit, càque Teutonicos vexare Magistros cœpit, sperans eo modo confusos Teutones scholas relicturos. Quod cùm succederet, à Venceslao impetratum, ut Pragense gymnasium ritu Parisiensis gubernaretur.... *Hinc* Bohemis scholæ suæ gubernatio liberè patuit, quorum princeps est habitus Joannes Hus, linguâ potens, et mundioris vitæ opinione clarus. Qui ubi satis fidei comparatum sibi existimavit, venenum quod jam pridem occultè conceperat, palàm evomuit. Fundaverat opulentus quidam civis in urbe Pragensi, sub nomine sanctorum Matthiæ et Matthæi, haud ignobile templum, quod Bethlehem appellavit, redditibus additis, ex quibus duo Prædicatores alerentur, qui festis profestisque diebus verbum Dei Bohemico sermone plebibus insinuarent. Horum alter Joannes assumptus est, qui cùm se libenter audiri animadverteret, multa de libris Joannis Wyclevi in medium attulit, asserens in eis omnem veritatem contineri.... Sequebantur Joannem Clerici ferè omnes, ære alieno gravati, sceleribus ac seditionibus insignes, qui rerum novitate evadere pœnas arbitrabantur. His et non nonnulli doctrinâ celebres juncti erant.... Proruperunt in blasphemias, et cùm aliquibus ignaris fortassè ac vitiosis malè dicere possent, in omnes latrare Sacerdotes cœpere, et ab Ecclesia Catholica recedentes, impiam Valdensium sectam atque insaniam amplexi sunt.

Hujus pestiferæ ac jam pridem damnatæ factionis dogmata sunt, Romanum Præsulem reliquis Episcopis parem esse, inter Sacerdotes nullum discrimen. Presbyterum non dignitatem, sed vitæ meritum efficere potiorem. Animas è corporibus excedentes, aut in æternas è vestigio pœnas mergi, aut perpetua consequi gaudia, purgatorium ignem nullum inveniri. Vanum esse orare pro mortuis, et avaritiæ Sacerdotalis inventum. Dei et Sanctorum imagines delendas. Aquarum palmarumque benedictiones irridendas. Mendicantium religiones malos dæmones invenisse. Sacerdotes pauperes esse debere, solà contentos eleemosynà. Liberam cuique prædicationem verbi Dei patere. Nullum capitale peccatum, quantumvis majoris mali vitandi gratià, tolerandum. Qui mortalis culpæ reus sit, eum neque seculari, neque Ecclesiasticà dignitate potiri, neque parendum ei. Confirmationem, quam chrismate Pontifices inducunt, et extremam unctionem inter Ecclesiæ sacra minimè contineri. Auricularem confessionem nugacem esse, sufficere sua quemque Deo in cubili suo confiteri peccata. Baptisma fluvialis undæ, nullà interjectà sacri olei mixturà requiendum. Cœmeteriorum inane usum quæstûs causà repertum, quacunque tegantur tellure humana corpora nihil distare. Templum Dei latè patentis ipsum mundum esse; coarctare majestatem ejus, qui Ecclesias, monasteria, oratoriaque construunt, tanquam propilior in eis divina bonitas inveniatur. Sacerdotales vestes, altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patenas, vasaque hujusmodi, nil habere momenti. Sacerdotem quocunque loco, quocunque tempore, sacrum Christi corpus conficere posse, petentibusque ministrare, sufficere si verba sacramentalia tantùm dicat. Suffragia Sanctorum in cœlis cum Christo regnantium, frustrà impetrari, quæ juvare non possunt. In Canonicis horis cantandis dicendisque frustrà tempus teri. Nullà die ab opere cessandum, nisi quæ Dominica nunc appellatur, celebritates Sanctorum rursùs rejiciendas. Jejuniis quoque ab Ecclesia institutis nihil esse merili. Subinco, cognomine Lepus, claris parentibus apud Bohemos ortus, per idem tempus Pragensem Ecclesiam Pontificio retinebat, consilio et animo illustris. Qui orienti calamitati obviam ire cupiens, priusquam ampliùs debaccharetur, libros Joannis Wyclevi ad se ferri, omnesque doctorum vivorum consilio adhibito, publicè concremari jussit. Supra duceuta volumina fuisse traduntur, pulcherrimè conscripta bullis aureis tegumentisque pretiosis ornata. Joanni prædicatio interdicta, et adjectæ minæ, si quandò priores in populo errores vulgare auderet. Ipse Pragà excedens, apud villam, ubi sibi origo fuit ac cognomen, permittente loci domino, qui ejus insaniæ favebat, vocare plebes ac docere non destitit, multa in Romanum Præsulem, multa in reliquos Ecclesiæ Pontifices maledicta congerens. Utque populi animos sibi magis ac magis conciliaret, decimas haud aliter quàm eleemosynas Sacerdotibus debitas adstruit, liberum prædia possidentibus, si velint eas dare, si nolint nullo jure cogi posse.

Cap. 36. Dum hæc aguntur generale Concilium apud Constantiam Suevorum urbem cogitur. In quo de rebus Bohemicis sermo habitus Patrum mentes ingenti curà confecit, volventium animo, quonam modo sanari provincia posset. Placuitque tandem, Sigismundo Imperatore suadente, Joannem et Hieronymum ad Synodum vocari, qui cùm cæteris ejusdem regni doctiores, tùm populi ductores ac hæresum principes habebantur. Venerunt ambo non tam verecundè aliena discere, quàm sua impudenter ingerere parati, docendi quippe quàm discendi cupidiores, et populares amantes aures. Auditi sunt in consessu Patrum Joannes ætate major, et auctoritate habitus, doctrinà ac facundià superior Hieronymus. Lecti ex omni natione Patres divini atque humani juris doctores, sæpè cum his colloquium habuere; dogmata eorum à lege divina aliena esse monstrarunt, neque bonis conducere moribus. Rogaverunt ne plus sapere quàm Ecclesia vellent, sed saperent ad sobrietatem, peregrinas opiniones relinquerent, ingenia sua, quæ quidem essent nobilissima, Wyclevitarum insaniâ ne fœdarent; eloquentiam, quâ prædili essent, in corroborandis Ecclesiæ institutis, non evertendis, in edocendis populis, non dedocendis exercerent. Posse eos et in conspectu Dei, in Ecclesia militante sublimem consequi locum, si relictis novitatibus, Patrum vestigia

Seculum Decimum-sextum.

Hoc seculum plurimos tulit novorum dogmatum conditores et Hæreticos, *Lutherum*, *Carlostadium*, *Zuinglium*, *Œcolampadium*, *Melanchthonem*, *Bucerum*, *Osiandrum*, *Brentium*, *Matthiam Flaccum Illyricum*, *Anabaptistas*, *Calvinum*, *Anglo-Calvinianos*, *Arminianos*, *Antitrinitarios*, *Socinianos* : Et cæteros id genus Hæreticos, qui in varias divisi factiones, jam plus quàm quadraginta sectas inter se oppositas, conjunctis tamen armis contra Ecclesiam pugnantes, veterum Hæreticorum instar, efficiunt. Hi omnes, quorum ô utinam et nomina et scripta æterna in oblivione jacerent, damnati sunt à sancta sede Romana, et tandem à sacro-sancto Concilio Tridenti congregato ab anno 1545. ad an. 1563.

Superfluum est hîc ponere nomina eorum, qui seculo decimo-septimo vel novos errores condiderunt, vel antiquos renovarunt. Recentior est horum memoria : utinam æternà quoque oblivione deleatur.

I. Dic tamen, quæso, pauca saltem de quinque famosis

sequerentur, inventionesque suas universali Concilio submitterent. Stetere in proposito pertinaces Bohemorum animi, neque victi rationibus vinci voluere, se veraces, se sancti Evangelii æmulatores, se Christi Discipulos esse, Romanam Ecclesiam, cæterasque per orbem dispersas longè à traditionibus Apostolorum abirsse, quæ opes ac delicias sectarentur, dominatum in populos, et primos in conviviis accubitus exquirerent, canes, equos alerent, Ecclesiarum bona, quæ Christi pauperibus deberentur, per lasciviam luxumque consumerent, aut nescire prorsùs divina mandata, aut scientes contemnere. Primores magnæ Synodi, ubi pertinaciam et immutabiles animos perditorum hominum animadverterunt, membra Ecclesiæ putrida, quæ sanari non poterant, ne reliquum corpus inficerent, resecanda censuerunt. Lata est in consessu Patrum adversùs contumaces sententia cremandos esse, qui doctrinam Ecclesiæ respuerent. Prior igitur Joannes combustus est, Hieronymus diù posteà in vinculis habitus, cùm resipiscere nollet, pari supplicio affectus. Pertulerunt ambo constanti animo necem, et quasi ad epulas invitati ad incendium properaruut, nullam emittentes vocem, qui miseri animi posset facere indicium. Ubi ardere cœperunt, hymnum cecinere, quem vix flamma et fragor ignis intercipere potuit. Nemo Philosophorum tàm forti animo mortem pertulisse traditur, quàm isti incendium.... Cineres exustorum, ne raperentur à Bohemis, in lacum projecti. Discipuli eorum ex eo solo terram attulere in Patriam. Joannes ac Hieronymus apud Bohemos Martyrum honores meruere, nec minores quàm Petrus et Paulus apud Romanos habiti. Nuntiatis enim in Bohemiam, quæ Constantiæ gesta fuerant de Joanne ac Hieronymo, Discipuli eorum, sequacesque omnes in unum convenientes, memoriam in primis defunctorum, consecrant, celebrandamque quotannis omnes decernunt. Exhinc per amicos nonnullas sibi Ecclesias à rege tradi extorquent, in quibus suæ prædicare plebi Sacramentaque ministrare libere possint. Neque hoc modo contenti, apud Sclavoniam nobile monasterium Fratrum Prædicatorum, extra mœnia oppidi situm, è fundamentis dejiciunt, Ecclesias, monasteriaque passim nobilissima, superis dicata templa ferro atque igne vastantur..

Lege supra laudatam Concilii Constantiensis Historiam, *necnon* Acta eiusdem Concilii *à* D. Vonder Hart. *edita*, *et* Additiones ad Historiam Concilii Constantiensis *ab* Anonymo Auctore Gallicè vulgatas.

Jansenii Propositionibus, de quibus ab annis plus quàm sexaginta quæstio est, de quibus tot editi sunt eduntúrque etiamnùm hinc indè libri. Quid id rei est ?

R. Cornelius Jansenius sacræ Theologiæ Doctor, et Scripturæ sacræ Professor in Universitate Lovaniensi, ad demùm Iprensis Episcopus, multa scripsit, librosque suos omnes sanctæ sedis Apostolicæ judicio et correctioni testamento subjecit. Post ejus mortem publici juris factus est quem de gratia scripsit librum, titulo *Augustinus.* Occasione libri hujus, in quo plerique Theologi scholastici, exagitantur, carpuntur, refelluntur, statim atque in lucem prodiit, turbæ multæ et graves excitatæ sunt.

Ea de re scripserunt ad Innocentium X. summum Pontificem octoginta quinque Galliarum Episcopi, ejusque judicium postularunt de quinque præcipuis Libri hujus dogmatibus seu propositionibus, de quibus erat inter Theologos acrior disceptatio et controversia. (A) Quinque autem Propositiones hæ sunt.

Prima. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia ; deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant.*

Secunda. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.*

Tertia. *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

Quarta. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei : et in hoc erant hæretici, quòd vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

Quinta. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Innocentius X. re maturo examini subjectà, habitisque

(A) *Relatio* Gallic. Episc. ad Pont. Max. Innocent. X. Beatissime Pater, majores causas ad sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquàm deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat. Æquissimè huic legi obsequentes, de gravissimo circa religionem negotio Sanctitati tuæ scribendum esse censuimus. Decennium est, ex quo vehementisssimis turbis Gallia magno nostro mœrore commovetur, ob librum posthumum et doctrinam Reverend. Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi. Tales quidem motus sedari oportebat cùm Concilii Tridentini auctoritate, tùm bullæ illius, quâ Urbanus VII. felicis memoriæ adversùs Jansenii dogmata pronuntiavit, et Decreta Pii V. ac Gregorii XIII. in Baium edita confirmavit. Atque hujus quidem Bullæ veritatem ac robur novo diplomate vindicasti : sed quia nulli sigillatim propositioni certa censuræ nota inusta fuit, locus etiamnum aliquis quorumdam cavillis et effugio relictus est. Intercludendum autem penitùs speramus, si, ut precamur, S. T. quid hac in re sentiendum sit, clare distinctèque definiat. Obtestamur ergo ut has præsertim propositiones, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior est, S. T. expendat, et perspicuam ac certam de unaquaque sententiam ferat.

Prima : Aliqua Dei præcepta, etc. *ut in Textu.*

multis nonnullorum S. R. E. Cardinalium, et in sacra Theologia Magistrorum Congregationibus ; tandem pridiè calendas junii ann. 1653. editâ Constitutione, singulas Propositiones sic notat.

Primam prædictarum Propositionum, Aliqua Dei præcepta, etc. *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, et hæreticam declaramus ; et uti talem damnamus.*

Secundam, Interiori gratiæ, etc. *hæreticam declaramus ; et uti talem damnamus.*

Tertiam, Ad merendum et demerendum, etc. *hæreticam declaramus ; et uti talem damnamus.*

Quartam, Semipelagiani, etc. *falsam et hæreticam declaramus ; et uti talem damnamus.*

Quintam, Semipelagianum est dicere, etc. *falsam, temerariam, scandalosam ; et intellectam eo sensu*, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, *impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, et hæreticam declaramus ; et uti talem damnamus.*

Addit Pontifex non intendere se approbare ullatenùs alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii.

Hanc solemniter recepit Clerus Gallicanus in suis comitiis generalibus anni 1654. (B)

(B) *Reverend. ac Religiosiss. DD. Archiep. et Episc. per Gallias Fratribus etc.* Spes nobis erat homines eos, qui se Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis amatores sectatoresque profiteutur, post ejus ab Innocentio X. anathematizatas et damnatas quinque opiniones, destituros tandem ab omni motu ; atque cùm suo illo decreto *imperasset ventis, futuram* in Ecclesia *tranquillitatem magnam.* Sed contra planè, quàm exspectatum à nobis fuerit, accidit ; mirarique satis non possumus post æquissimam sanctissimamque Constitutionem illam, quâ beatissimus Pater Innocentius X. prædictas quinque propositiones damnavit, et iis quidem verbis, quibus nihil dici potest expressius, nihil clarius, homines illos affirmare, imò et persuadere aliis velle, res duas, vanas omninò et inanes : alteram, quinque illas propositiones non esse Jansenii ; alteram damnatas esse eo in sensu, qui ad Jansenium nihil pertineat. Potest enim quicquam esse absurdius, quàm tueri id velle, cui refellendo revincendoque nihil opus sit multis rationibus, nihil disquisitione, etiam mediocri aut levi, sed solà Pontificiæ Constitutionis, quæ per se ipsam rem totam apertè dirimit, lectione ? Et quidem cùm ejusmodi sint duæ res illæ, ut multis videri possint ipsæ, per se sponte suâ ruituræ ; atque adeò spernendæ prorsùs et negligendæ : nobis tamen, quibus compertum est eas *ignorantibus infirmisque* non paucis *esse offendiculo*, quibusque pro muneris nostri ratione id præsertim incumbit, *ut tollamus omnia scandala de regno Dei*, visum fuit occurrendum esse huic malo, comprimendumque maturè hoc virus, quod jam aliquos occupavit. Quod ut fieret accuratiùs et pro ea, quâ par erat, gravitate dignitateque, quotquot in hac urbe Regni primaria, negotiorum Ecclesiasticorum causâ, fuimus, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, collecti in unum censuimus, hoc, quidquid est rei, committendum esse curæ ac diligentiæ Illustrissimorum Reverendissimorumque Fratrum nostrorum Archiepiscoporum Turonensis, Ebrodunensis, Rothomagensis, Tolosani, et Episcoporum Eduensis, Montalbanensis, Redonensis, Carnotensis : sic tamen, ut quicquid inter se ipsi legissent, observassent, sensissent, referrent ad nos. Iis verò ex ipsa Constitutionis lectione, atque insuper ex opere Jansenianо, quod etiam quantùm ad quinque illas propositiones attinet, studiosè legerunt

Alexander VII. Innocentii X. Successor, editâ alterâ Constitutione 17. calendas Novembris ann. 1656. confirmat, approbat et innovat Innocentii X. prædecessoris sui Constitutionem : illasque propositiones ex libro Cornelii Jansenii, Episcopi Iprensis, cui titulus est, *Augustinus*, excerptas, ac in sensu ab eodem Jansenio intento damnatas fuisse declarat et definit : ac eumdem librum omnesque alios tàm manuscriptos, quàm typis editos, et si quos forsan edi contigerit, in quibus doctrina supradicta Jansenii defenditur vel astruitur, aut defendetur vel astruetur, damnat idem atque prohibet. (C)

Tertiam Constitutionem edidit Alexander VII. ann. 1664.

expenderuntque, (quanquam sola per se ad id sufficiat Constitutio) manifestum et perspectum fuit illas quinque propositiones verè esse Jansenii, et damnatas esse in vero ac proprio verborum sensu, et eo planè quo à Jansenio traduntur et explicantur. Atque cùm id ipsi ad nos, scilicet in unum rursùs congregatos, retulissent, et à nobis quoque idem cognitum et exploratum fuisset, declaravimus et hoc nostro judicio declaremus rem planè ita se habere, et nullum dubitandi esse locum. Quare et eos, qui quinque illas propositiones tuentur aut probant, verè esse ex eorum numero, quos Innocentius X. sua illa in Constitutione vocat *Contradictores et rebelles*; et quos vult *à Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis per censuras et pœnas contra hæreticos et eorum fautores in jure expressas, cæteraque juris et facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, omninò coërceri et compesci.* Id verò nos omnes, quantum in nobis quidem erit effecturi sumus: rogamusque quotquot hinc absunt Gallicani Cleri dilectissimos et religiosissimos Fratres nostros, ut idem quoque pro virili præstent.

(C) ALEXANDER *Episcopus servus servorum Dei. Universis Christi fidelibus salutem, et Apostolicam benedictionem....* Cùm autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propositiones, vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed fictè et pro arbitrio compositas esse; vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere magno cum Christi fidelium scandalo non formident. Nos qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter, et attentè perspeximus, utpote qui ejusdem Innocentii prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti Cardinalatûs munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolicâ auctoritate eadem causa discussa est eâ profectò diligentiâ, quâ major desiderari non posset, quamcunque dubitationem super præmissis in posterum auferre volentes, ut omnes Christi fideles in ejusdem fidei unitate sese contineant, ex debito nostri pastoralis officii, ac maturâ deliberatione præinsertam Innocentii Prædecessoris nostri Constitutionem, declarationem et definitionem harum serie confirmamus, approbamus, et innovamus: et quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est, *Augustinus*, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse declaramus, et definimus; et uti tales, inustà scilicet eâdem singulis notâ, quæ in prædicta declaratione et definitione, unicuique illarum sigillatim inuritur, iterùm damnamus.

Ac eumdem librum sæpèdicti Cornelii Jansenii, cui titulus, *Augustinus*, omnesque alios tam manuscriptos quàm typis editos; et si quos forsan in posterum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Jansenii doctrina, ut suprà damnata defenditur, vel astruitur, aut defendetur, vel adstruetur, damnamus itidem atque prohibemus. Mandantes omnibus Christi fidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, vel scripto exponant, vel interpretentur publicè vel privatim, palàm vel occultè imprimant, sub pœnis et censuris contra hæreticos in jure expressis ipso facto, absque aliâ declaratione incurrendis.

15. calendas Martii, in qua tradit formulam fidei ab omnibus subscribendam. (D) Hæc autem est formula;

Ego N. *Constitutioni Apostolicæ Innocentii* X. *datæ die* 31 *Maii* 1653. *et Constitutioni Alexandri* VII. *datæ die* 16 *Octobris* 1656. *Summorum Pontificum me subjicio, et quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen*, Augustinus, *excerptas, et in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno; et ita juro: sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.*

Post hanc fidei formulam novæ turbæ. Nonnullis visum est sedatas illas fuisse ac compositas, et pacem Ecclesiæ redditam, anno 1669. per Clementem IX. summum Pontificem: verùm recruduêre primùm in Belgio, deindè in Galliis.

Ad compescendas Belgii turbas Innocentius XII. scriptis in forma Brevis ad Episcopos Belgii Epistolis duabus 6. Februarii 1694. et 24. Novembris 1696. declaravit prædictas propositiones quinque ex libro Jansenii excerptas, damnatas esse in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba exhibent ac præ se ferunt: Constitutiones prædecessorum suorum confirmavit, eas in suo robore esse, seque illis firmiter inhærere asseruit; vetuitque ne quis *vagâ istâ accusatione et invidioso nomine Jansenismi traducatur aut nuncupetur*, nisi qui *suspectus* fuerit aliquas è quinque propositionibus propugnâre et astruere.

Ad componendas turbas et contentiones excitatas in Galliis, Clemens XII. novam edidit Constitutionem ann. 1705. 17. Calendas Augusti, in qua singulas Prædecessorum suorum Constitutiones laudat, inserit, confirmat et approbat: ac prætereà sic edicit:

Hac nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione, obedientiæ, quæ præinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso

(D) Alexander, etc..... Cùm autem præfatus Rex Christianissimus eodem religionis zelo ductus, per suum in urbe Oratorem nobis significari exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium pestiferæ hujus contagionis reliquiis exstirpandis adhiberi posse, quàm si omnes certam formulam subscriberent nostrâ auctoritate firmatam, in qua quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui titulus, *Augustinus*, excerptas sincerè damnarent, ac proindè illam à nobis quantocitiùs expediri, ad quælibet effugia præcludenda, omnesque removendos obtentus flagitaverit; Nos tam piis dicti Regis Christianissimi votis benignè annuendum esse ducentes, formulam infrà scriptam ab omnibus Ecclesiasticis, etiam venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis et Episcopis: nec non aliis quibuscunque Ecclesiastici ordinis, tàm regularibus quàm secularibus etiam Monialibus, Doctoribus et Licentiatis, aliisque collegiorum Rectoribus atque Magistris subscribi districtè mandamus, idque intra tres menses à die publicationis seu notificationis præsentium: aliàs contra eos, qui intra terminum præfatum non paruerint irremissibiliter procedi volumus juxta canonicas Constitutiones, et Conciliorum decreta.

Formula à supradictis subscribenda.

Ego N. *Constitutionem*, etc. ut in Textu.

illo silentio minimè satisfieri ; sed damnatum in quinque præfatis propositionibus Jansenïani libri sensum , quem illorum verba præ se ferunt , ut præfertur , ab omnibus Christi fidelibus ut hæreticum , non ore solùm , sed et corde rejici ac damnari debere ; nec aliâ mente , animo aut credulitate supradictæ formulæ subscribi licitè posse ; ita ut qui secùs aut contra quoad hæc omnia et singula senserint , tenuerint , prædicaverint , verbo vel scripto docuerint aut assuerint , tanquam Apostolicarum Constitutionum transgressores , omnibus et singulis illarum censuris et pœnis omninò subjaceant , eâdem auctoritate Apostolicâ decernimus , declaramus , statuimus et ordinamus.

Has sedis Apostolicæ Constitutiones solemniter recepit in generalibus Comitiis Clerus Gallicanus : nec ullus nunc est in Gallia cæterisque orbis Catholici Regnis et Provinciis Episcopus , qui se his sanctionibus non subjecerit subjiciatque : his ergo quilibet Christianus debet veram corde et ore subjectionem.

§. 11. De Prælïis Ecclesiæ adversùs malos in ejus sinu degentes.

I. Præter dæmones , Ethnicos , Judæos , Hæreticos , Schismaticos , Excommunicatos , suntne hostes alii cum quibus Ecclesia dimicet ?

R. Jam diximus (*hocce Capite* §. 8.) prælïandum ipsi et contra malos qui in ejus sinu vivunt. (A)

I. Quomodo mali adversùs Ecclesiam matrem insurgunt ?

R. 1. Dùm eam pravis moribus affligunt et dedecore afficiunt ; et in causâ sunt cur nomen Dei blasphemetur inter gentes et impios. (B)

2. Dùm bonos avocant à veri rectique tramite , terrendo eos injuriis , contumeliis , dicteriis , minis , persecutionibus , et corrumpendo malis exemplis , erroribus , consi-

(A) S. Aug. *Lib. de fide rerum quæ non videntur , cap.* 8. *n.* 11. In ipsa Catholica (*Ecclesia*) mali Christiani , tantò nocentiores , quantò interiores inimici. Quia et hinc ne pertubarentur infirmi, Prophetia divina non tacuit, ubi loquens in Cantico Canticorum sponsus ad sponsam , id est , Christus Dominus ad Ecclesiam : * *sicut lilium* , inquit , (II. 2.) *in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum.* Non dixit , in medio extrancarum ; sed , *in medio filiarum.*

(B) Isai. lii. 5. Et nunquid mihi est hic , dicit Dominus , quoniam ablatus est populus meus gratis ? Dominatores ejus iniquè agunt , dicit Dominus , et jugiter totâ die nomen meum blasphematur.

Rom. ii. 24. Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes.

S. Aug. *In Psal.* xxv. *n.* 14. *Enarrat.* 2. Hoc est enim benedicere Deum in Ecclesiis , Fratres , sic vivere , ut per mores cujusque benedicatur Deus. Nam qui benedicit Dominum linguâ , et factis maledicit , non in Ecclesiis benedicit Dominum. Linguâ propè omnes benedicunt , sed non omnes factis. Quidam voce benedicunt , quidam moribus. In quorum autem moribus non invenitur quod aiunt , faciunt blasphemari Deum , ut illi , qui nondùm intrant Ecclesiam , quamvis ament peccata sua , et ideò nolint esse Christiani, tamen excusent se per malos, ut blandiantur sibi , seducentes se ipsos , et dicant : Quid mihi persuades ut Christianus sim ? Ego fraudem à Christiano passus sum , et nunquam feci : falsum mihi juravit Christianus , et ego nunquam. Et cùm ista dicunt , impediuntur à salute : ut nihil eis prosit , non quidem quòd jam boni sunt , sed quòd mediocriter mali.

liis pravis, laudibus, promissis, assentationibus, blanditiis, etc. (C)

(C) S. Aug. *in Psal.* XC. *Serm.* 1. *n.* 4. Multos per verbum asperum misit in muscipulam diabolus : verbi gratiâ,.... inter Christianos, qui voluerint esse diligentiores et meliores, ab ipsis Christianis audituri sunt insultationes.... Sunt multi malè viventes Christiani ; inter quos qui voluerit benè vivere, et inter ebriosos sobrius esse, et inter fornicarios castus esse, et inter consultatores Mathematicorum Deum sinceriter colere, et nihil tale requirere, et inter spectatores nugacium theatrorum noluerit ire nisi ad Ecclesiam, patitur insultatores ipsos Christianos, et patitur verba aspera, et dicunt : Magnus tu, justus, tu es Elias, tu es Petrus, de cœlo venisti : Insultant ; quocunque se verterit, audit hinc atque inde verbum asperum. Quòd si timet, et recedit à via Christi, cadit in laqueos venantium.... Dicat, Qualia verba audio, servus, peccator ? Dominus meus audivit, *Dæmonium habes.* (*Joan.* VIII. 48.)

In Psal. CXIX. *n.* 7.... Quicunque hîc etiam in Ecclesia terrenam felicitatem quærunt à Deo, adhuc ad Ismaël pertinent.. Ipsi sunt, qui contradicunt spiritualibus proficientibus, et detrahunt illis, et habent labia iniqua et liguas subdolas... Ergo Isaac cum Ismael : id est, qui pertinent ad Isaac, inter illos vivunt, qui pertinent ad Ismaël. Isti sursùm volunt ascendere, illi deorsùm volunt premere... Spiritales ergo persecutionem patiuntur à carnalibus.

In Psal. CXLIII. *v.* 7. *n.* 14. *Erue me de aquis multis.* Quid est, *de aquis multis ?* De populis multis. Quibus populis ? alienigenis, infidelibus, sive foris oppugnantibus, sive intùs insidiantibus. *Eximе me de aquis multis*, in quibus me exercebas, in quibus me ad exuendum à sordibus volvebas, hæc est illa aqua contradictionis.

N. 18. Attendite obsecro ; quia inter ipsos periclitamini, inter horum linguas adversùs carnis vestræ desideria dimicatis : inter horum linguas positas in manu diaboli, de quibus pugnat, (*Ephes.* VI. 12.) colluctationem habetis, non adversùs carnem et sanguinem, sed adversùs principes et potestates, et rectores mundi tenebrarum harum, hoc est, iniquorum. Attendite ut discernatis vos ; attendite, ne putetis veram felicitatem esse, quam sibi optant homines aut infirmi aut maligni... Videte vanitatem, quam loquuntur, et cavete ne talia loquamini, cavete ne talia loquentes imitemini.

Serm. 81. *de Verb. Evang. Matth.* XVIII. *aliàs ex Sirmond.* 33. *n.* 2. Sedebat sub magna pressura Job in stercore, inops, sine ope, sine substantia, sine filiis ; plenus, sed vermibus, quod quidem ad hominem pertinet exteriorem. Sed quia et intùs Deo plenus erat, laudabat Deum, et pressura illa non illi erat scandalum. Ubi ergo scandalum ? Quando accessit ei uxor, et ait, Dic aliquid in Deum, et morere : omnibus quippe ablatis à diabolo, exercitato Eva servata est, non ad consolationem, sed ad tentationem viri. Ecce ubi scandalum. Exaggeravit miserias ejus, miserias etiam suas cum illius, et cœpit persuadere blasphemiam. Illi autem, qui erat mitis, quia Deus ex lege sua docuerat eum, et mitigaverat à diebus malignis, pax multa erat in corde ejus diligentis legem Dei, et non erat illi scandalum. Illa scandalum erat, sed illi non erat.

N. 4. Quisquis tibi carus est, quisquis pro magno habetur à te, tandiù magnus sit, tandiù dilectum membrum tuum sit, quandiù non cœperit scandalizare, id est, mali aliquid suadere. Audite quia hoc est scandalum. Constituimus exemplum de Job et uxore ejus : sed ibi non est nominatum scandalum. Audi Evangelium : Dominus cùm de passione sua prædicaret, Petrus cœpit illi suadere ne pateretur : Redi retrò Satanas, scandalum mihi es. Prorsus docuit te Dominus, qui tibi vivendi exemplum præbuit, et quomodo caveatur scandalum. Cui dixerat paulò ante, Beatus es Simon Barjona, ostenderat illum membrum suum esse. At ubi cœpit scandalum esse, præcidit membrum. Scandalum ergo tibi ille erit, qui tibi mali aliquid suadere cœperit. Et intendat caritas vestra : fit hoc plerumque, non malevolentiâ, sed perversâ benevolentiâ. Videt enim te amicus tuus, qui te diligit, vicissimque à te diligitur, pater tuus, frater tuus, filius tuus, conjux tua, videt te in malo, et vult te facere

I. Quomodo id agunt malè vivendo Christiani, ut nomen Dei blasphemetur inter gentes et impios?

R. Quia infideles et impii Ecclesiæ corpori per calumniam tribuunt quod malè fit à privatis, et ex privatorum hominum corruptelâ et depravatione perperàm concludunt, vel neminem esse qui piè et sanctè vivat, et perfectiorem esse Christianæ legis disciplinam, quàm ut eam quis moribus assequi possit; vel Ecclesiam fuisse à Domino derelictam; vel figmentum esse et fabulam quidquid de Religione prædicatur. Hæc autem omnia injuriosa Deo sunt. Horrendæ malum. Quid est, videt te in malo? Videt te in aliqua pressura. Pressuram ipsam propter justitiam forsitan pateris: ideò pateris pressuram, quia non vis dicere falsum testimonium. Verbi gratiâ dixerim: abundant exempla, quia *væ mundo ab scandalis.* Ecce, verbi gratiâ, potens aliquis quærit à te propter prædam suam, propter rapinam suam, ministerium falsi testimonii. Negas tu: negas falsum, ne neges verum. Ne mullis immorer, ille irascitur, potens est, premit: accedit amicus, qui non vult te esse in pressura, non vult te esse in malo: Rogo te, fac quod tibi dicitur, quid magnum est? Jam fortè, quomodo et Satanas Domino, *Scriptum est quia Angelis suis mandavit de te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.* Fortè et iste amicus tuus, quia videt te Christianum, de lege tibi vult persuadere, quod putat te debere facere. Fac quod dicit. Quid? Hoc quod vult ille. Sed mendacium est, falsum est. Non legisti (*Psam.* CXV. 2.), *Omnis homo mendax*? Jam iste scandalum est. Amicus est, quid facturus es? Oculus est, manus est; *Amputa, et projice abs te.* (*Matth.* V. 29. 30.) Quid est, *amputa, et projice abs te*? Noli consentire. Hoc significat, amputa et projice abs te, noli consentire.

N. 7. Quæ sunt scandala? Locutiones illæ, verba illa, quibus nobis dicitur: Ecce quid faciunt tempora Christiana, ecce quæ sunt scandala. Ad hoc enim tibi dicitur, ut tu, si amas mundum, blasphemes Christum: et dicit tibi hoc amicus tuus, consiliarius tuus: ergo oculus tuus. Dicit tibi hoc minister tuus, cooperarius tuus: ergo manus tua. Dicit tibi hoc fortè qui te sustentat, qui te ab humilitate terrena sublevat: ergo pes tuus. Abjice, amputa; projice abs te, noli consentire. Responde talibus, quomodo respondebat ille, cui suadebatur falsum testimonium. Responde, et tu: dic homini dicenti tibi: Ecce temporibus Christianis tantæ pressuræ sunt, vastatur mundus: responde tu, Hoc mihi antequàm evenisset, prædixit Christus.

Serm. 335. *aliàs* 50. *de Sanctis*, *c.* 1. *n.* 1. Quomodo potest superare mundum sævientem, qui non potest superare blandientem? Blanditur hic mundus pollicendo honores, divitias, voluptates; minatur hic mundus intentando dolores, egestates, humilitates. Qui non contemnit quod pollicetur, quomodo superare potest quod minatur?

Epist. 78. *aliàs* 137. *Clero et Plebi Ecclesiæ Hipponensis*, *n.* 7. Periclitamur omni horâ, habentes foris pugnas, intùs timores; periculum in civitate, periculum in deserto, periculum ex gentibus, periculum ex falsis fratribus. Scio quia doletis, sed nunquid acriùs quàm ego? Scio quia conturbati estis, et timeo ne inter linguas maledicorum deficiat et pereat infirmus, propter quem Christus mortuus est.

Epist. 145. *aliàs* 144. *ad Anastasium*, *n.* 2.... Mundus iste periculosior est blandus quàm molestus, et magis cavendus cùm se illicit diligi, quàm cùm admonet cogitque contemni. Nam cùm omnia quæ in illo sunt, (1. *Joan.* II. 16.) concupiscentia sint carnis et concupiscentia oculorum et ambitio seculi; sæpè etiam iis, qui talibus spiritalia, invisibilia, æterna præponunt, inserit se terrenæ suavitatis affectus, et delectationibus suis nostra comitatur officia. Quantò enim sunt caritati futura meliora, tantò sunt, infirmitati violentiora præsentia: et utinam ii, qui ea videre et gemere noverunt, vincere et evadere mereantur: Quod sine Dei gratia nullo modo voluntas implet humana; quæ nec libera dicenda est, quandiu est vincientibus et vincientibus cupiditatibus subdita.

blasphemiæ, quibus infiniti propemodùm infideles et Hæretici in falsa Religione, et impii in sua impietate detinentur. (D)

I. Quomodo pugnat Ecclesia adversùs malos et impios ?

R. Gemitibus, orationibus, exemplis, doctrinâ, prædicationibus, adhortationibus, minis, excommunicatione, aliisque censuris et pœnis. (E)

(D) S. Aug. *Enarrat.* 2. *in Psal.* xxv. *n.* 14. *Vide suprà litt.* (B) *hocce* 2. *et alias* S. August. *auctoritates allatas suprà littera* (C) *hocce etiam paragrapho.*

Serm. 4. *in Psal.* xxx. *n.* 12. Qui divites esse vultis, tales divitias concupiscite, quas nec in naufragio potestis amittere. Ergo tales, quando humiliantur, nolite eos putare miseros. Erratis, non scitis quid intùs habeant. Ex vobis conjicitis qui mundum diligitis, quia vos cùm talia perditis, miseri remanetis. Prorsùs nolite hoc putare, habent intùs quò gaudeant. Interior est dominator eorum, interior est pastor, et consolator ipsorum. Ipsi sunt qui malè cadunt, et spem suam in hoc sæculo ponunt. Aufertur quod nitebat foris, nihil remanet intùs nisi fumus malæ conscientiæ. Undè se consolentur non habent, non habent quò foras exeant, non habent quò intrò redeant, deserti pompâ seculari, inanes gratiâ spiritali verè humiliantur.... Nam in te tribulatio fornax aurificis est. Si tamen aurum sis et non palea, ut sordibus careas, non in cinerem convertaris.

In Psal. xl. *n.* 4. Inimicus ipse est qui suggerit, ut propter res terrenas colatur ; quia non potest evertere nomen Christianum inimicus iste : vidit enim se victum famâ et laudibus Christi, vidit in eo quòd occidit Martyres Christi, illos coronatos, et se triumphatum.. Vituperando Christum, jam difficilè decipit, laudando Christum conatur decipere.... et cœpit à fide alio modo deterrere. Magna lex est Christiana, potens illa lex, divina, ineffabilis ; sed quis illam implet ? In nomine Salvatoris nostri conculcate leonem et draconem. Apertè reprehendendo fremebat leo, astutè laudando insidiatur draco.... Noli mihi dicere : Quis illud implet ? Ille in me implet, qui venit dives ad pauperem, pauper quidem ad pauperem, sed plenus ad inanem.

In Psal. cxxxviii. *n.* 27. Nunc autem dicit corpus Christi quòd est Ecclesia. Quid est quod mihi calumniantur superbi, quasi me maculent aliena peccata.... Ut quid à me pejores exigunt etiam corporalem à nobis separationem, ut ante tempus messis simul cum zizaniis eradicetur et triticum : ut ante tempus ventilationis perdam sustinentiam tolerandi paleam, ut antequam genera piscium ad finem seculi, tanquam ad littus separanda perveniant, retia pacis unitatisque disrumpam ? Nunquid malorum sunt sacramenta, quæ accipio ? Nunquid eorum vitæ, factisque consentiendo communico ?

(E) S. Aug. *in Psal.* cxxxviii. *n.* 29. Cùm ergo corpus Christi ab impiis et iniquis etiam corporaliter in fine separandum, nunc inter eos interiùs gemat : et cùm illi occisi peccatores tanquam de malorum communione bonis calumniando, et se quasi per occasionem malorum magis à bonis et innocentibus separando. Quid inter hæc agit corpus Christi, sive centenum, sive sexagenum, sive tricenum fructum afferens cum patientia ? Quid agit proxima Christi in medio filiarum, sicut lilium in medio spinarum ?.... Tu Deus, tu proba, tu scito : non homo, non hæreticus.... gemo, cum iis qui oderant pacem sum pacificus, donec perveniam ad illam visionem pacis, quod interpretatur Jerusalem, quæ est mater omnium nostrùm civitas æterna in cœlis.

Epist. 78. *aliàs* 137. *Clero et Plebi Ecclesiæ Hipponensis*, *n.* 7. *Vide suprà litt.* (C) *hocce* §.

Epist. 243. *aliàs* 38. *ad Latum*, *n.* 8. Mater Ecclesia, mater est etiam matris tuæ. Hæc vos de Christo concepit, hæc Martyrum sanguine parturivit, hæc in sempiternam lucem peperit, hæc fidei lacte nutrivit et nutrit, cibosque majores præparans, quod adhuc parvuli et sine dentibus vagire vultis, horrescit. Hæc mater toto orbe diffusa, tam variis et

I. Estne magnus inter Christianos malorum et impiorum numerus ?

R. Bonorum numerum proh dolor ! longè superat. (*Matth.* VII. 13. 14.) *Lata et spatiosa vita est, quæ ducit ad corruptionem, et quàm multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et quàm pauci sunt qui inveniunt eam !* Verba sunt Christi, quorum veritatem et manifestavit et manifestabit semper experientia. (F)

I. Quid indè ad vitæ nostræ rectè instituendæ rationem colligere expedit ?

R. Extra viam salutis esse, ex Evangelicis oraculis, omnes quotquot majorem hominum numerum vivendo imitantur. Viæ salutis paucos insistere. Et certè quicunque secundùm carnem ambulant, quicunque sequuntur concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ, ii viam tenent, quæ ducit ad perditionem : nihil est in Evangelica doctrina certius ; nihil est quod sæpiùs et apertiùs in novo Testamento doceatur. (G) Atqui pars longè maxima Christiano-

multiplicibus errorum infestationibus agitatur, ut abortivi jam filii ejus adversùs eam infrenis armis belligerare non dubitent. Ignaviâ etiam atque torpore quorumdam, quos gremio continet, membra sua frigescere plurimis locis, et fovendis parvulis minùs idonea fieri dolet. Undè nisi per alios filios, undè nisi per alia membra, quorum è numero es, justum ac debitum poscit auxilium ? Hujusne tu necessitates deserens, ad carnalia verba converteris ? Nonne hæc gravioribus querelis insonat auribus ? Nonne hæc cariora viscera, et cœlestia ubera ostentat ?

In. Psal. LII. *n.* 1.... Gemit autem et parturit et dolet iste homo.... Undè esset magnum perseverare, nisi inter molestias et tentationes, et turbationes et scandala esset perseverandum. Nemo enim jubetur bona tolerare.

Lib. 3. contra litteras Petiliani, c. 38. *n.* 44. Vix enim alicubi decst hoc genus hominum, quo appareat iniquos præpositos ac ministros et in Catholicâ Ecclesiâ solere damnari.... Quamobrem commixti corporaliter, separati spiritualiter in Ecclesiâ Catholicâ mali, et quando humanâ conditione ignorantur, et quando disciplinæ consideratione damnantur, suas sarcinas portant, ac per hoc illi securi sunt, si eorum peccatis imitatione et consensione non communicant, quicunque per eos Christi baptismo baptizantur. Quia et si per optimos baptizarentur, non nisi ab illo, qui justificat impium, justificarentur.

(F) ISAI. IX. 3. Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.

S. AUG. *Epist. ad Catholicos contra Donatistas, vulgò de Unitate Ecclesiæ, tom.* 9. *c.* 13. *n.* 34.... Non obesse justis in medio impiorum constitutis, quidquid in ipsos populos propter impiorum multitudinem dicitur.... Plerumquè enim sermo divinus impias turbas Ecclesiæ, quæ nec in Ecclesia deputantur, tamen propter sacramenta quæ cum Sanctis communiter habent, quia inest in eis quædam forma pietatis, cujus virtutem negant, sicut ait Apostolus (2. *Tim.* III. 5.) : Habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes : sic redarguit tanquam omnes tales sint, et nullus bonus omninò remanserit.... Neque enim nos ita dicimus per totum orbem diffundi Ecclesiam, ut in sacramentis ejus solos bonos esse dicamus, ac non etiam malos, et eos etiam multò plures, ut in eorum comparatione pauci sint, cùm per se ipsos ingentem numerum faciant.

Cap. XIV. *n.* 36.... Apocalypsis millia millium dicit esse sanctorum Ecclesiæ filiorum ? Ecce ipsi dicuntur multi, qui dicuntur et pauci. Quare nisi multi per se ipsos considerati ; pauci autem in comparatione iniquorum.

(G) JOAN. XV. 19. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret : quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

rum secundùm carnem ambulat, et sequitur triplicem concupiscentiam, ut experientia docet. (H) Itaque longè maxima pars Christianorum extra viam salutis est. Circa eam rem aciem sibi mentis obtundant quantumlibet, et claudant oculos Christiani; manet tamen æternumque manebit inconcussa rei veritas. (I)

1. JOAN. II. 15. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo. 16. Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ; quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. 17. Et mundus transit et concupiscentia ejus.

ROM. XII. 2. Et nolite conformari huic seculo, sed reformamini in novitate sensûs vestri: ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et bene placens, et perfecta.

S. AUG. *Lib.* 4. *de Baptismo, contra Donatistas, c.* 19. *n.* 26. Nec si aliquid unum habeat ex iis (vitiis) debemus ei societatem supernæ patriæ polliceri. Ad Corinthios enim singula enumerat in quibus singulis subauditur, quòd regnum Dei non possidebunt. Nolite, inquit (1. *Cor.* VI. 9.), errare, neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Non ait, qui hæc omnia simul habuerint regnum Dei possidebunt, sed neque illi, neque illi; ut in singulis hoc subaudias, quòd nulli eorum regnum Dei possidebunt.

(H) S. AUG. *Lib.* 3. *contra Faustum, c.* 16. Sciret cum paucis hæreditatem Dei :.... eosque paucos in comparatione multitudinis malorum paucos dici, esse autem per se ipsos consideratos in magno numero diffusos toto orbe terrarum. Crescentes inter zizania et cum palea usque in diem messis et ventilationis.... Antè enim prædictum est: (*Cant.* II. 2.) Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. (*Ps.* CXIX. 5. 6.) Inhabitavi in tabernaculis Cedar: cum his qui oderant pacem, eram pacificus. (*Ezech.* IX. 4.) Signa in fronte eos, qui gemunt et mœrent ob iniquitates populi mei, quæ fiunt in medio eorum.

(I) S. AUG. *Epist.* 127. *aliàs* 45. *ad Armentarium et Paulinam, n.* 1.... Fiat quod Apostolus ait (2. *Cor.* V. 15.) propterea mortuum esse Christum, *Ut qui vivunt non sibi jam vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* Nisi fortè adhuc mundus amandus est, tantâ rerum labe contritus, ut etiam speciem seductionis amiserit. Nam quantùm illi laudandi atque prædicandi, qui dignati non sunt etiam cum mundo florente florere: tantùm increpandi et accusandi sunt, quos perire cum pereunte delectat.

N. 2. Labores et pericula et exitia hujus transitoriæ vitæ, si pro eâdem vitâ quandoque finiendâ subeuntur, ut mors ejus non omninò auferatur, sed paululùm differatur, quantò magis pro æterna subeunda sunt, ubi mortem nec natura sollicitè cavet, nec ignavia turpiter timet, nec sapientia fortiter sustinet? Nulli quippè erit, quæ non erit. Habeat igitur te vita æterna in dilectoribus suis. Nonnè cernis, hæc vita miserabilis et egena quàm vehementes habeat, quantùmque sibi obliget amatores suos? Qui tamen periculo ejus sæpè turbati, citiùs eam finiunt, eo ipso quo finire formidant, et mortem dum declinant, accelerant, veluti si quispiam fluvio rapiendus irruat, latronem bestiamve fugiendo? Jactant in mare tempestate sæviente aliquando et alimenta; ut et vivant, projiciunt undè vivunt, ne citò finiatur, quod vel in labore vivitur. Quantis laboribus agitur, ut longiore tempore laboretur; et mors cùm impendere cœperit, ideò cavetur, ut diutiùs timeatur. Nam inter tot casus fragilitatis humanæ, quàm multæ mortes timentur, quarum certè una cùm venerit, restat cæteras non timeri, et tamen fugitur una, ut omnes timeantur. Quibus excruciantur doloribus qui curantur à medicis et secantur? Nunquid ut non moriantur, sed ut aliquantò seriùs moriantur? Multi cruciatus suscipiuntur certi, ut pauci dies adjiciantur incerti: et nonnunquam ipsis doloribus victi

I. Quis Ecclesiam tot in prœliis et bellis tuetur, ne corruat?

R. Jesus Christus Dominus noster, qui eam regit, qui in medio ejus est, qui eam, ut jam pluribus in locis diximus, Spiritu suo vivificat, ipsique promeruit prærogativas, quas vel jam possidet vel exspectat, et quæ sunt victoriarum Ecclesiæ, vel causa, vel præmium.

continuò moriuntur, quos mortis timore suscipiunt: et cùm omninò non eligant vitam finire ne doleant, sed dolere ne finiant, accidit eis, ut doleant et finiant; non solùm quia et sanati utiquè vitam finiunt post dolores, quæ tantis pœnis comparata nec sempiterna esse potest, quia mortalis est; diuturna, quia tota brevis est; nec de ipso brevi spatio sui secura, quia semper incerta est: verùm etiam quòd aliquandò eam dolore finierunt, quam ne finirent, dolere voluerunt.

N. 3. Habet etiam hoc magnum malum, ac vehementer exsecrandum et horrendum nimius amor vitæ istius, quòd multi dùm volunt paulò diutiùs vivere, graviter offendunt Deum, apud quem est fons vitæ. Atque ita dùm ab eis frustrà, qui necessariò futurus est vitæ finis metuitur, illinc prohibentur, ubi sine fine vivitur. Huc accedit quia vita misera etiam si posset esse perpetua, nullo modo beatæ vitæ etiam brevissimæ comparanda est: et tamen isti amando miserrimam atque brevissimam perdunt beatissimam ac sempiternam; cùm in hac ipsa, quam malè diligunt, hoc velint quod in altera perdunt: quia utiquè in ista nec miseriam diligunt, nam beati esse volunt; nec brevitatem, nam eam finiri nolunt; tantùm quia vita est, sic amatur, ut sæpè propter eam (licèt miseram et brevem) beata et sempiterna amittatur.

N. 4. His consideratis, quid magnum vita æterna jubet amatoribus suis, cùm se jubet sic amari, quemadmodum hæc amatur à suis? An verò dignum est vel ferendum, cùm contemnuntur omnia, quæ amantur in mundo, ut vita post paululùm finienda, saltem ipsum paululùm teneatur in mundo; et non contemnitur mundus, ut obtineatur vita, quæ sine fine apud illum est, per quem factus est mundus? Modò cùm ipsa Roma.... Barbarico vastaretur incursu, quàm multi hujus vitæ temporalis amatores, ut eam vel infeliciter producendam nudamque redimerent, dederunt omnia, quæ illi non solùm oblectandæ et ornandæ, verùm etiam sustentandæ, tuendæque servabant.... Hinc admonendi sumus, quales æternæ vitæ dilectores esse debeamus, ut propter eam contemnamus cuncta superflua, cùm pro hâc transitoriâ vitâ contempta sint, quæ illi fuerant necessaria.

N. 5. Neque enim amatam nostram, sicut illi suam, ut teneamus, exspoliamus, sed illi æternæ adispiscendæ istam temporalem velut famulam expeditiorem servire facimus, si eam nec ornamentorum vanorum vinculis alligemus, nec curarum noxiarum sarcinis oneremus, audiamusque Dominum, qui nobis illam vitam summo ardore desiderandam fidelissimè pollicetur.... Hæc disciplina piæ humilitatis, ventosam et turbidam cupiditatem, avidam rerum extra nostram potestatem constitutarum, pellit ex animo et quodammodò exspirat. Ibi labor, ubi multa quæruntur, et diliguntur, quibus adipiscendis atque retinendis voluntas non satis est, quia consequentem non habet facultatem. Justa verò vita, cùm volumus, adest; quia eam ipsam planè velle, justitia est; nec plus aliquid perficienda justitia, quàm perfectam voluntatem requirit. Vide si labor est, ubi velle satis est.... Ubi pax, ibi requies, ibi finis appetendi et nulla causa laborandi. Sed hæc voluntas ut plena sit, oportet ut sana sit. Erit autem sana, si medicum non refugiat, cujus solius gratiâ sanari potest à morbo desideriorum noxiorum.... Divitiæ ibi diligantur, ibi serventur, ubi perire non possunt. Honor si diligitur, illic habeatur, ubi nemo indignus honoratur. Salus si diligitur, ibi adispiscenda desideretur, ubi adeptæ nihil timetur. Vita si diligitur, ibi acquiratur ubi nullâ morte finitur.

§. 12. De Prærogativis Ecclesiæ in genere.

I. Quænam sunt Ecclesiæ prærogativæ ?

R. Aliæ ad corpus, aliæ ad singula membra Ecclesiæ pertinent.

Quæ ad corpus Ecclesiæ pertinent sunt Unitas, Sanctitas, et, si fas ita loqui, Catholicitas et Apostolicitas.

Quæ ad singula membra pertinent, vel spectant ad hanc vitam, vel ad futuram.

Quæ spectant ad hanc vitam, omnes possunt ad Sanctorum communionem et peccatorum remissionem revocari.

Quæ spectant ad vitam futuram sunt resurrectio corporum gloriosa et vita æterna.

Jam egimus de dotibus et prærogativis quæ pertinent ad corpus Ecclesiæ ; egimus quoque de communione Sanctorum. Nunc cæteræ explicandæ sunt.

Ac primò quidem agendum de peccatorum remissione, quæ spectat ad vitam præsentem. Et antequam tractemus ea, quæ pertinent ad corporum resurrectionem et vitam æternam, dicendum nonnihil de iis, quæ novimus eventura et toti Ecclesiæ et singulis ejus membris ante futuram consummationem seculi, quam sequetur generalis resurrectio corporum.

I. Nonne singulis Ecclesiæ membris competunt eæ dotes et prærogativæ, quas dixisti ad totum corpus Ecclesiæ pertinere ?

R. Competunt aliquatenùs, non omnimodè. Rem explico.

Singula Ecclesiæ membra pertinent ad unitatem Ecclesiæ, ut jam diximus, sed soli corpori competit non posse ab unitate deficere : possunt deficere membra, possunt rescindi.

Singula Ecclesiæ membra vocata sunt ad sanctitatem, non singula sancta sunt ; et possunt corrumpi et vitiari quæ sancta sunt. Soli Ecclesiæ corpori competit non posse in errorem et corruptionem generalem prolabi.

Ideo esto judicium de Catholicitate et Apostolicitate Ecclesiæ. Hæ dotes singulis membris competunt aliquatenùs, in quantùm quodlibet membrum pars est totius corporis Catholici et Apostolici. Sed soli corpori competunt illæ secundùm omnem modum et sine ulla mutatione ; ut jam probavimus paragraphis 2. 3. 4. 5 et 6. hujusce Capitis.

§. 13. De Remissione peccatorum, quæ prima est Ecclesiæ prærogativa, quâ patet aditus ad cæteras Ecclesiæ dotes.

I. Quâ patet nobis aditus ad Ecclesiæ bona et prærogativas?

R. Per remissionem peccatorum, quæ et ipsa magna est Ecclesiæ prærogativa. Rem explico.

Nascimur omnes naturâ filii iræ, servi diaboli, alienati à vitâ Dei. (A) Dum vocat nos ad se Christus, nihil aliud in

(A) Rom. v. 10. Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.

nobis videt quàm corruptionem et peccatum. Neque enim possumus fieri justi, membra Ecclesiæ, filii Dei, fratres Christi, nisi priùs acceperimus remissionem peccatorum. Debent priùs *remissionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes, qui credunt in eum*, inquit Petrus Apostolus. (*Actor.* x. 43.)

Hæc prima peccatorum remissio tribuitur vulgò per solum Baptismi sacramentum, juxta illud Apostoli (*Ephes.* v. 25. 26. 27.), *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.... ut sit sancta et immaculata.*

Sed quoniam Deus donorum suorum supremus est arbiter, fieri potest, ut primam hanc peccatorum remissionem per seipsum Deus sine exteriori Ecclesiæ ministerio largiatur : ut reipsà largiatur iis, qui nondum baptizati, vel pro Christo Martyres occumbunt, vel cum voto Baptismi moriuntur. Sed remissio peccatorum, quacunque tandem ratione obtineatur, prorsùs necessaria est. *Christus* enim, ut ait Apostolus (*Tit.* II. 14.), *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.*

Itaque remissio peccatorum unica via est, quâ pateat nobis aditus ad Ecclesiæ bona. Per hanc enim efficimur membra Ecclesiæ, et sola membra Ecclesiæ participant bonis ejus.

I. Cur ais ipsam peccatorum remissionem magnam prærogativam Ecclesiæ ?

R. Ob triplicem rationem.

1. Quia soli Ecclesiæ dedit Christus potestatem remittendi peccata.

2. Quia, quibus Deus tribuit per semetipsum, ut jam diximus, sine exteriori Ecclesiæ ministerio peccatorum remissionem, non largitur hanc nisi urgente extremâ necessitate, nec alium ob finem quàm ut ipse hâc peccatorum remissione fiant membra Ecclesiæ. Si verò ipsi sint adultæ ætatis, non tribuit eis omninò Deus hanc remissionem, nisi adsit votum recipiendi sacramenta Ecclesiæ, atque ita nisi per anticipatam, ut ita dicam, virtutem sacramentorum.

3. Non tribuitur remissio peccatorum nisi in Ecclesiâ. Nam extra Ecclesiam nullas salus, ut jam probavimus. Itaque qui ab Ecclesiâ recesserunt, non possunt pervenire ad peccatorum remissionem, nisi ad eam redeant. Et qui nondùm in Ecclesiâ sunt, hoc ipso esse membra Ecclesiæ incipiunt, quo peccatorum accipiunt remissionem.

I. Qua ratione novimus Christum dedisse Ecclesiæ potestatem remittendi peccata ?

R. Id patet ipsi Christi verbis (*Matth.* XVI. 18. 19.) *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et*

tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram erit solutum et in cœlis. Quibus verbis in persona Petri Pastorum Principis dedit Christus omnibus Apostolis eorumque successoribus cæterisque missis legitimâ eorum auctoritate ministris potestatem administrandi Baptismum cæteraque Ecclesiæ sacramenta, quibus vel Christus vel Apostoli docuerunt annexam esse virtutem remissionis peccatorum, ut de singulis suo loco dicemus. Interpretatio nostra probatur Christi ad Apostolos verbis. (*Joan.* XX. 22. 23.) Cùm enim post resurrectionem suam *insufflasset* in eos, *dixit eis : Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt.* (B)

I. Qua ratione novimus potestatem remittendi peccata soli Ecclesiæ convenire ?

R. Id novimus ex ipsis Christi verbis, qui tribuit hanc potestatem Ecclesiæ soli : ideòque ait, dare se Ecclesiæ claves regni cœlorum, ut intelligatur non introducendos esse in regnum cœlorum eos, quibus ejus januam per remissionem peccatorum Ecclesia non aperuerit : solâ enim peccatorum remissione cœlum reseratur. At remissionem peccatorum tribuere facultas est quæ nemini, nisi ex speciali Dei dono, tribui potest. Non legimus concessum fuisse alicui donum illud, præterquàm Ecclesiæ. Hinc rectè colligimus potestatem remittendi peccata soli Ecclesiæ convenire. (C)

EPHES. II. 3. Eramus naturâ filii iræ, sicut et cæteri.

IV. 18. Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei.

HEBR. II. 14. Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem ; ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum ; 15. et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.

(B) MATTH. XVIII. 18. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.

(C) S. AUG. *Enchiridio ad Laurentium*, *c.* 64. *n.* 17. Post commemorationem sanctæ Ecclesiæ in ordine confessionis ponitur remissio peccatorum. Per hanc enim stat Ecclesia, quæ in terris est : per hanc non perit quod perierat, et inventum est. Excepto quidem baptismalis munere, quod contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione adtractum est, regeneratione detrahatur ; et tamen activa quoque peccata, quæcunque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit. Hâc ergo exceptâ magnâ indulgentiâ, undè incipit hominis renovatio, in quâ solvitur omnis reatus, et ingeneratus et additus ; ipsa etiam vita cætera jam ratione utentis ætatis, quantâlibet præpolleat fœcunditate justitiæ, sine peccatorum remissione non agitur. Quoniam filii Dei quandiù mortaliter vivunt, cum morte confligunt, et quamvis de illis sit veraciter dictum (*Rom.* VIII. 14.), *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei :* sic tamen Spiritu Dei excitantur, et tanquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam Spiritu suo, maximè aggravante corruptibili corpore, tanquam filii hominum quibusdam humanis motibus deficiant ad se ipsos, et ideò peccent. Interest quidem quantùm : neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo crimen est etiam omne peccatum. Itaque Sanctorum hominum vitam quandiù in hâc mortali

I. Nonnè scriptum est non posse quemquam remittere peccata nisi solum Deum ? Ergo peccata remittere non potest Ecclesia ?

R. Hæc inter se non pugnant, et Deus solus peccata remittit, et Ecclesia remittit tamen, non quidem auctoritate propriâ nec suo nomine, sed nomine et auctoritate Dei, cujus ministerio fungitur. *Ministri Christi sumus* (D) inquit Apostolus (2. *Cor.* VI. 4. *Ibid.* V. 20. *et Ephes.* VI. 20.), *pro Christo legatione fungimur.* (E)

I. Acceperuntne singula membra Ecclesiæ potestatem remittendi peccata ?

R. Hanc soli Apostoli acceperunt, cum facultate eam communicandi cum Episcopis, et per eos cum iis, qui legitimâ missione ad finem usque seculi sacramenta essent ritè ministraturi. Responsionem enucleatiùs explico.

Ecclesia à Christo ipso edocta per Apostolos eorumque successores, nomine Christi dat, ob instantem necessitatem, unicuique homini sine ullo sexûs aut ordinis aut religionis discrimine facultatem remittendi peccata per Baptismi collationem. Possunt ergo baptizare Infideles, Hæreticivitur, inveniri non posse dicimus sine crimine : *Peccatum autem si dixerimus, quia non habemus* ut ait tantus Apostolus (*Joan.* 1. *Epist.* I. 8.), *nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Sed neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia, Dei misericordia desperanda est agentibus pœnitentiam secundùm modum sui cujusque peccati.... Rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiis præsunt tempora pœnitentiæ, ut fiat satis etiam Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata : extra eam quippe non remittuntur. Ipsa namque propriè Spiritum sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata. *Lib.* 1. *De Baptismo contra Donatistas, c.* 10. *n.* 14. Quasi verò ex hoc generet (Pars Donati) undè separata est, et non ex hoc undè conjuncta. Separata est enim à vinculis caritatis et pacis, sed juncta est in uno Baptismate. Itaque est una Ecclesia, quæ sola Catholica nominatur ; et quidquid suum habet in communionibus diversorum à suâ unitate separatis, per hoc quod suum in eis habet, ipsa utique generat, non illæ. Neque enim separatio earum generat, sed quod secum de istâ tenuerunt : quod si et hoc dimittant, omninò non generant. Hæc itaque in omnibus generat, cujus Sacramenta retinentur, undè possit tale aliquid ubicunque generari : quamvis non omnes quos generat ad ejus pertineant unitatem, quæ usque in finem perseverantes salvabit.

Cap. 15. *n.* 20. Ecclesia Catholica et temporibus Beati Cypriani, et ante ipsum præterito tempore, aut rebaptizatos aut baptismum non habentes unitatis gremio continebat : aut illi salutem non nisi unitatis ipsius merito consecuti sunt. Si enim non habebant Baptismum qui ab Hæreticis veniebant, sicut asserit Cyprianus, non rectè admittebantur : et tamen eisdem ipse indulgentiam de Domini misericordia propter unitatem Ecclesiæ desperavit... Quid itaque illos nisi eadem unitatis caritas adjuvabat.... Venite ad Catholicam concordantem, quam Cyprianus non deseruit fluctuantem.... Si verò ei, propter abundantiam caritatis et amorem fraternitatis et vinculum pacis, nec sua peccata, nec aliena obesse potuerunt ; hùc redite, ubi et nobis et vobis multò minùs oberunt quæ vestri finxerunt.

(D) 2. CORINTH. VI. 4. In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros.

XI. 23. Ministri Christi sunt (ut minùs sapiens dico) plus ego.

(E) EPHES. VI. 20. Pro quo (*Evangelio Christi*) legatione fungor in catenâ, ita ut in ipso audeam, prout oportet me loqui.

tìcì, Laïci, feminæ ipsæ, alioqui inhabiles ad ministerium. Id summâ Dei optimi maximi benignitate factum est, ut faciliùs obtineri posset sacramentum, sine quo perveniri nequit ad salutem. Eà tamen indulgentiâ non uti licet nisi in casu extremæ necessitatis; alioqui non invalidè quidem sed illicitè baptizabitur, ut fusiùs explicabimus ubi de sacramento Baptismi.

Hâc exceptione præmissâ, dico, ad remissionem peccatorum conditiones duas requiri in ministro. 1. Ordinationem canonicam. 2. Missionem legitimam.

Defectu primæ conditionis Pastores Lutherani et Calvinistæ sicut et Laïci omnes etiam Catholici, quandiù permanent in statu Laïcali, nullum jus habent ad ministerium Ecclesiæ; quia ab Apostolorum successoribus nec ordinati, nec missi sunt, nec proindè possunt remittere peccata.

Defectu alterius conditionis Episcopi aut Presbyteri Hæretici, aut Schismatici, aut excommunicati, aut depositi, aut suspensi et interdicti, aut non approbati non possunt remittere peccata, licèt fuerint canonicè ordinati: quia Ecclesia cujus est mittere et dare ordinis exercendi facultatem, vel non dedit missionem, vel abstulit, vel ad tempus suspendit.

In mortis articulo omnis Episcopus aut Presbyter validè ordinatus, quantumvis interdictus, exauctoratus, excommunicatus, Schismaticus, Hæreticus, potest remittere peccata; si tamen is, qui à tali ministro sacramenta suscipit, non particeps sit schismatis, aut hæreseos, aut excommunicationis, aut iniquitatis ministri: nec aliundè suppetat alterius ministri copia. In hoc enim speciali casu, deficiente alio ministro, dat Ecclesia missionem Episcopis et Presbyteris aliàs interdictis. (F)

I. Ministri Ecclesiæ, qui nullâ quidem excommunicationis, suspensionis, aut interdicti censurâ, sed tamen peccati mortiferi labe tenentur, possuntne remittere peccata, cùm ipsi sint peccatores?

R. Possunt. Jam à quarto seculo damnavit Ecclesia Donatistas ut Hæreticos, eò quòd contrarium assererent. (G)

(F) *Lege quæ dicemus infrà in tractatu* de Sacramento pœnitentiæ *Parte tertiâ, Sectione primâ, Capite quinto, §. vigesimo tertio.*

(G) S. Aug. *Lib.* 2. *Contra Epistolam Parmeniani, c.* 11. *n.* 23. Evangelium autem fur quoque Judas sine detrimento credentium prædicavit: et fictos eorum, id est, occultos malos,.... cùm fugiat Spiritus sanctus, per eorum tamen ministerium gigni spiritales filios asserunt. Nam quis ferat tantam dementiam, ut cùm fortè carnalem vocet hominem de conjuge filios procreantem, spiritalem appellet adulterum? Absit, inquit, ut hoc sentiam. Quomodo ergo adulter latens, cùm apud eos præpositus essel, spiritales possit filios procreare, si carnales hoc facere non possunt? An fortè tunc per manus ejus vel Christus, vel Spiritus sanctus, vel fortè Angelus baptizavit? Si ergo tunc homo baptizat, cùm baptizator manifestus est bonus; cùm verò baptizator latet malus, tunc Deus baptizat aut Angelus, et unusquisque talis spiritaliter nascitur, qualis fuerit à quo baptizatur; optent qui desiderant baptizari,

I. Quomodo Ecclesiæ Ministri conferunt remissionem peccatorum ?

R. Administrando Baptismum cæteraque Sacramenta, quibus remissio peccatorum annexa est.

I. Si Baptismus confertur vel ab iis, qui extra Ecclesiam sunt, falsum ergo est quod dixisti ad solam Ecclesiam pertinere facultatem remittendi peccata ?

R. Non suo nomine baptizant quicunque extra Ecclesiam positi ritè baptizant, sed nomine Christi et Ecclesiæ, cujus exercent hâc in parte ministerium. Itaque non alius quàm Christus horum ore et manu baptizat et peccata remittit. Et hæc quidem causa est cur infantes ab iis baptizati et adulti, qui Sacramentum ab iis suscipientes non communicant eorum iniquitati, ad Ecclesiam pertinent, suntque ejus filii et membra. Eo in casu ancilla genuit liberos non sibi, sed sponsæ matri. (H)

ut homines per quos baptizantur, non sint manifesti boni, sed latentes mali, ut sic Deo vel Angelo baptizante sanctiores renasci mereantur. Hanc absurditatem si cogitant evitare, per quemlibet hominem, cùm quis Christi baptismo baptizatur, Christum baptizare fateantur, de quo solo dictum est : *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* (*Joan.* I. 33.)

N. 24. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ; hoc cùm dixisset, insufflavit, et dixit : Accipite Spiritum sanctum, si cui dimiseritis peccata, dimittentur ; et si cui retinueritis, retinebuntur* (*Joan.* XX. 21.).... Satis ostenditur, non ipsos id agere, sed per eos utique Spiritum sanctum.... Spiritus autem sanctus in Ecclesiæ Præposito vel Ministro sic inest, ut si fictus non est, operetur per eum Spiritus, et ejus mercedem in salutem sempiternam, et eorum regenerationem vel ædificationem, qui per eum sive consecrantur, sive evangelizantur. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, deest quidem saluti ejus, ut auferat se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu : ministerium tamen ejus non deserit, quo per eum salutem operatur aliorum.... Illos verò qui Evangelium annuntiabant non castè, qui non quidem aliud nisi veritatem, id est, Christum, tamen non veritate cordis boni, sed per occasionem commodorum suorum annuntiabant, sinite, inquit, hos annuntiare : et gaudet non utique illis, sed eis, qui per eos salvi fiebant.... Nunquid de talium prædicatione gauderet, nisi sciret quòd illis quidem perniciosum esset, rem castam non castè annuntiare ; illis autem salubre, qui bona et vera per eos audientes proficerent ad salutem ? Nam ubi non Christus, qui veritas est, sed falsitas et mendacium prædicatur, apertissimè prohibet ad Galatas (I. 9.) dicens : Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit. Itemque 1. ad Timoth. (I. 3.) : Sicut rogavi te, inquit..... ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent. Illos autem invidiosos, contentiosos, contumaces, non castos, occasionem quærentes faciendæ suæ malæ voluntatis ; quia sic eorum fictionem fugiebat Spiritus sanctus, ut eorum non desereret ministerium, quo per eos Christus prædicabatur, non solùm permittit ut faciant, sed et gaudet quia faciunt.

Cap. 13. *n.* 30. Undè consequenter intelligitur perversitatem hominum esse corrigendam, sanctitatem autem Sacramentorum in nullo perverso violandam. Constat enim eam in perversis et sceleratis hominibus, sive in eis qui intùs sunt, sive in eis qui foris sunt, impollutam atque inviolabilem permanere : Et quia dicuntur ea mali polluere, quantùm in ipsis est dicuntur, cùm illa impolluta permaneant ; sed in bonis permanent ad præmium, in malis permanent ad judicium.

(H) S. Aug. *Lib.* 1. *de Baptismo, contra Donatistas, c.* 14. *n.* 22.... Non baptismum vestrum acceptamus : quia non est baptismus ille Schismaticorum vel Hæreticorum, sed Dei et Ecclesiæ, ubicunque fuerit in-

I. Quotiescunque Ministri Ecclesiæ ritè conferunt Sacramenta, quibus remissio peccatorum adjuncta est, remittuntne totiès peccata?

R. Totiès remittunt, nisi adsit impedimentum ex parte suscipientis. Adeoque infantes ritè baptizati recipiunt semper remissionem peccatorum, quia nullum ipsi possunt impedimentum ponere, utpotè rationis incapaces. In adultis autem requiruntur ad remissionem peccatorum dispositiones quædam, quæ si desint, peccata non remittuntur. Has explicabimus infrà ubi de Sacramentis dicemus.

I. Ad cujuscunque peccati remissionem obtinendam, recurrendumne est semper ad exterius Ecclesiæ ministerium?

R. Recurrendum est, nisi adsit impedimentum ineluctabile, ubi quæstio est de peccato originali et de peccatis quibuslibet mortiferis. Sed de peccatis venialibus non item. Horum enim remissio potest obtineri per orationem, sacrificium, jejunium, solam cordis contritionem, bona opera, etc. De his fusiùs et enucleatiùs agemus ubi de Sacramentis, maximè cùm de Sacramento pœnitentiæ verba faciemus.

I. Quid intelligis dum ais peccata remitti?

R. Intelligo peccata ita condonari et deleri, ut ampliùs non supersit eorum macula.

Docuit Calvinus peccatorum remissionem nihil aliud esse quàm eorum non imputationem, ita ut etiamsi nunquam deleantur et permaneant semper, Deus tamen ea nec imputet nec puniat.

Ecclesia contrà docuit semper cum Apostolo, ideò peccata non imputari, dùm condonantur à Deo, quia reipsâ delentur, ita ut ampliùs coram Deo non permaneant; ideò non puniri, quia non superest ulla ampliùs horum macula. *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate*, inquit Apostolus (2. *Cor.* VI. 14. 15.), *aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial?* Templum Dei sumus per Baptismum, et Spiritus Dei habitat in nobis. (1) At quo-

ventus et quocunque translatus. Vestrum autem non est, nisi quod pravè sentitis, et sacrilegè agitis, et impiè separamini.

Cap. 15. *n.* 23. Ecclesia quippè omnes per baptismum parit, sive apud se, id est, in utero suo; sive extra se de semine viri sui: (sive de se, sive de ancillà.) Sed et Esaü de uxore natus, propter fraternam discordiam separatus est à populo Dei.... Sicut apud istos (Hæreticos) Ecclesiæ jure quod est in Baptismo, nascuntur quicunque nascuntur: sed si concordent cum fratribus, per unitatem pacis ad terram veniunt promissionis, non de materno utero rursùs ejiciendi, sed in paterno semine agnoscendi: Si autem in discordià perseverent, ad Ismaelis funiculum pertinebunt.

Consule libros tres S. Aug. contra litteras Petiliani, *et Libros septem* de Baptismo, *nec non auctoritates ex ejus libris suprà allatas litt.* (C) *et* (G) *hujusce Paragraphi.*

(1) 1. Cor. III. 16. Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? 17. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

modo Spiritus Christi et Dei habitaret in corde, in quo peccatum permaneret. Id itaque certissimum est, non ideò non imputari peccata condonata, quia absconduntur et teguntur, sed quia delentur nec ampliùs permanent. (K)

I. Nostrisne meritis consequimur peccatorum remissionem?

R. Peccatorum remissionem Christus nobis morte suâ promeruit. Non aliam ob rem venit in mundum, et passus est, et resurrexit, nisi ut nobis mereretur remissionem peccatorum. *Traditus est propter delicta nostra*, inquit Apostolus (*Rom.* IV. 25.), *et resurrexit propter justificationem nostram.* Propriis ipsi viribus nihil possumus mereri. Merita nostra Christi dona sunt. Totum debemus Deo per Christum.

I. Quisnam est effectus remissionis peccatorum in nobis?

R. Per hanc remissionem Spiritus sanctus habitat in nobis, ut maneat nobiscum et efficiat nos amicos, immò *filios et hæredes Dei, cohæredes autem Christi.* (*Rom.* VIII. 17.) (L)

I. Cùm semel accepimus remissionem peccatorum, indigemusne iterùm eadem gratiâ?

R. Eàdem quotidiè indigemus, quandiù vitam mortalem vivimus.

Tùm quia infirmitate nostrâ fit ut quotidiè prolabamur in peccata venialia plurima, pro quibus indigemus indulgentiâ divinâ, ideòque Christi ipsius præcepto dicendum nobis est quotidiè, *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* (*Matth.* VI. 12.)

VI. 19. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, et non estis vestri.

2. Cor. VI. 16. Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. 17. Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis; 18. Et ego recipiam vos: et ero vobis in Patrem, et vos eritis mihi in filios, et filias, dicit Dominus omnipotens.

(K) S. Aug. *Exposit.* 2. *in Psal.* XXXI. *n.* 9. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in ore ejus dolus....* Non in quibus non sunt inventa peccata, sed quorum tecta sunt peccata. Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire; si noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere.... Nec sic intelligatis quod dixit, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant. Tecta ergo peccata quare dixit? Ut non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata, nisi punire peccata.

(L) Rom. VIII. 9. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.

Conc. Trident. *Sess.* VI. *c.* 7. *de Justificatione*, 13. *Jan.* 1547. Nos justos facit.... renovamur spiritu mentis nostræ; et non modò reputamur, sed verè justi nominamur, et sumus, justitiam in nobis recipientes.... Quanquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur: id tamen in hac impii justificatione fit, dùm ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret.

Tùm quia quandòque accidit, ut acceptâ remissione peccatorum, in peccata graviora relabamur, pro quorum remissione omnino recurrendum est ad Sacramentum pœnitentiæ. Hoc enim Sacramentum altera est post naufragium tabula, nec aliâ ratione remitti possunt peccata mortifera post Baptismum commissa, juxta præscriptas à Christo leges.

Quidquid pertinet ad peccatorum remissionem fusiùs explicabimus, ubi agemus de Sacramentis Baptismi, Pœnitentiæ et Extremæ unctionis.

§. 14. De iis quæ eventura sunt singulis Ecclesiæ membris, antequàm gaudeant æternæ vitæ dotibus : ac primùm de morte quæ subeunda est omnibus omninò hominibus.

I. Quid est mors ?

R. Mors est separatio animæ à corpore, in pœnam peccati singulis hominibus constituta. (A)

In pœnam, inquam, peccati : neque enim, ut superiùs (*Parte* 1. *Sect.* 1. *Cap.* 2. §. 4.) diximus, homo conditus fuerat mortis legibus obnoxius : nonnisi post corruptam peccato naturam mors ineluctabilis homini facta est. Est ergo mors effectus et pœna peccati. (B)

(A) S. Ambros. *De Bono mortis*, *c.* 3. *n.* 8. Scripturâ docente, cognovimus quia mors absolutio est animæ et corporis, et quædam hominis separatio.

S. Aug. *Enarr.* 2. *in Psal.* xlviii. *n.* 2.... Mors nempè aut separatio est animæ à corpore. Et ea quidem, quam timent homines, separatio est animæ à corpore : mors autem vera, quam non timent homines, separatio est animæ à Deo : et plerumquè cùm timent homines istam, quæ separat animam à corpore, incidunt in illam ubi anima separatur à Deo.

Enarrat. in Ps. lxx. *Serm.* 2. *n.* 3. *circa finem.* Duæ vitæ sunt, una corporis, altera animæ : sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus : quomodo si anima deserat, moritur corpus; sic anima moritur, si deserat Deus.

(B) Eccli. xxv. 33. A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur.

Rom. v. 12. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

vi. 23. Stipendia enim peccati mors.

S. Aug. *Serm.* 165. *aliàs* 7. *de verbis Apost. Ephes.* 3. *cap.* 6. *n.* 7. Aliqui (sicut audivimus) ipsorum (*Pelagianorum*) ita disputant : Prorsùs, inquiunt, pro meritis suis omnes homines moriuntur, quia peccaverunt; non enim esset mors, nisi veniens de peccato. Optimè quidem et verè dictum est, non esset mors, nisi veniens de peccato. Sed ego, cùm hoc audio, ideò laudo, quia illam primam mortem intueor et illius primi hominis peccatum. Audio enim Apostolum (1. *Cor.* xv. 22.) : Sicut in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur. (*Rom.* v. 12.) Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Omnes enim unus fuerunt. Sic te audio dicentem mortem hominis de peccato esse ? Non, inquit. Et quid dicis ? Omnem hominem Deus immortalem creat modò. Mirabilis novitas. Quid dicis ? Prorsùs, inquit, omnem hominem Deus immortalem creat. Quare ergo moriuntur parvuli infantes ? Nam si dicam, quare moriuntur grandes homines : dicturus es mihi, Peccaverunt. Ergo de majorum ætate

non disputabo ? parvulorum infantiam contra te testem citabo. Non loquuntur, et convincunt : tacent, et quod dico probant. Ecce infantes in suis utique operibus innocentes sunt, nihil secum nisi quod de primo homine traxerunt habentes : quibus propterea est gratia Christi necessaria, ut in Christo vivificentur, qui in Adam mortui sunt ; ut quia inquinati sunt generatione, purgentur regeneratione. Ipsos ergo testes citabo. Responde mihi, quare moriuntur, si omnes homines immortales nascuntur, et quoniam peccant, ideò moriuntur ? Quid putatis dici potuisse ? Quæ aures ferant ? Peccaverunt et ipsi. Ubi peccaverunt ? Rogo te, quando peccaverunt ? Quomodo peccaverunt ? Bonum et malum, quid sit, nesciunt. Peccatum accipiunt qui præceptum non capiunt ? Proba mihi peccatores infantes : quod dixisti, verè quia oblitus es quod fuisti, proba mihi peccata infantium. An quia plorant, peccant ? Quia motibus quasi mutorum animalium, molestias repellunt, voluptates accipiunt, ideò peccant ? Si motus isti peccata sunt, ampliores peccatores in baptismo fiunt : quia cùm baptizantur, vehementissimè reluctantur. Quare illis in tanta reluctatione non imputatur peccatum, nisi quia nullum est adhuc voluntatis arbitrium ?

N. 8. Sed aliud dico : Isti quia nati sunt, ut arbitraris, peccarunt. Nam si non peccarent, inquis, non morerentur. Quid de illis dicis, qui in utero moriuntur ? O angustia ! Et ipsi, inquit, peccarunt, ideò moriuntur ? Mentiris, an falleris ? Contradicit Apostolus (*Rom.* IX. 11.), Nondùm natis, nec aliquid agentibus boni aut mali. Si autem hoc testimonium refellis, vade tibi potiùs ad illas vagationes, et dic : Quia in cœlo peccarunt, et indè in corpora præcipitantur. Non dico, inquit. Quare non dicis ? Quia dicit Apostolus : Nondùm natis, nec aliquid agentibus boni aut mali. Si ergo non eos accusas in cœlo, quare accusas in utero ? Ad utrumque respondet Apostolus, et eis respondet qui dicunt : In cœlo peccaverunt ; et eis respondet qui dicunt : In utero peccaverunt ; quia ad utrumque valent illa verba quæ dicunt, antequam nascerentur, nihil egisse vel boni vel mali.

Serm. 173. *aliàs* 33. *de Verbis Apost.* 1. *Thessal.* 4. *cap.* 2. *n.* 2. *versùs finem.* Si peccatum non præcessisset, sine dubio mors secuta non fuisset. Secuta est ergo mors etiam corporis, quam præcessit mors animæ. Mors præcessit deserendo Deum, et mors corporis secuta est deserente animâ. Hàc deseruit volens, hàc coacta est deserere nolens. Tanquam illi diceretur, Recessisti ab eo quem diligere debuisti, recede ab eo quod dilexisti.

Serm. 231. *in diebus Paschal.* 2. *aliàs de temp.* 141. *cap.* 2. *n.* 2. Undè venerit mors, originem ipsius quæramus. Pater mortis peccatum est. Si enim nunquam peccaretur, nemo moreretur. Legem Dei, hoc est, præceptum Dei cum conditione homo primus accepit ; ut si servaret, viveret ; si corrumperet, moreretur. Non se se credendo moriturum, fecit undè moreretur : et invenit verum fuisse quod dixerat, qui legem dederat. Indè mors, indè mortalis, indè labor, indè miseria, indè etiam post mortem primam mors secunda, id est, post mortem temporalem mors sempiterna.

Serm. 299. *in Natali Apost.* 5. *n.* 8. *post med.* Mors ergo nostra de pœna est propinata nobis. A radice hanc accepimus, diffusione ramorum generis humani. Adam primus hanc peccando meruit. *A muliere initium factum est peccati*, sicut Scriptura loquitur (*Eccli.* XXV. 33.), *et per illam omnes morimur.* Et (*Rom.* V. 12.), *per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ergo in nostra natura et culpa et pœna. Deus naturam sine culpa fecit, et si sine culpa persisteret (*fortè* perstitisset) nec pœna utique sequebatur. Indè venimus, indè utrumque traximus, et hinc multa contraximus.

N. 10. Peccatum aculeus mortis, quo aculeo facta est mors, non quem aculeum fecit mors : quomodo venenum poculum mortis, quia facit mortem, non quia sit à morte.... Ad agonem tibi mors dimissa est. Nam poterat Deus justificato tibi auferre mortem, sed dimisit ad certamen, ut esset quod pro fide contemneres. Nam de quibus voluit, fecit. Enoch translatus est, et Elias translatus est, et vivunt. Justitia ipsorum meruit hoc ? An Dei gratia et Dei beneficium et speciale concessum ? Ut creator ostendat in omnibus potestatem, commendavit nobis quid possit.

I. Quid reputare animo maximè et meditari debemus circa mortem ?

R. Hæc pauca quidem, sed gravissima.

1. Certissimè moriemur. Ab eâ lege nullus eximitur. (C)

2. Quandonam et quo mortis genere, incertum. Incautos fortè subita mors occupabit. (D)

N. 11. Frustrà ergo isti, qui dicunt non de peccato nos mori, quantum pertinet ad corporis mortem, sed, naturæ esse quod morimur, et moriturum fuisse Adam etiam si non peccasset, frustrà nobis istos opponunt Enoch et Eliam. Valdè inconsideratè loquuntur : et si attendant, contra se loquuntur. Quid enim dicunt ? Si peccati est mors, quare non mortui sunt Enoch et Elias ? Non vides, qui hoc loqueris, quia naturæ dicis esse mortem, qui negas esse peccati... Et interrogas me, Si peccati est, quare Enoch et Elias non sunt mortui ? Et ego respondeo, Immò si naturæ est, quare Enoch et Elias non sunt mortui ? Vivunt Enoch et Elias ; translati sunt, ubicunque sint, vivunt. Et si non fallitur quædam ex Scriptura Dei conjectura fidei, morituri sunt. Commemorat enim Apocalypsis quosdam duos mirabiles Prophetas, eosdemque morituros, et in conspectu hominum resurrecturos, et ascensuros ad Dominum ; et intelliguntur ipsi Enoch et Elias : quamvis illic nomina eorum taceantur.... Adhuc dic mihi, Si peccati est mors, quare non sunt mortui ? Repono tibi : Si naturæ est mors, quare non sunt mortui ? Ego dico, ut vivant, finitam esse culpam : tu dic, si potes, finitam esse naturam.

Serm. 361. *alias* 120. *de diversis*, *c.* 17. *n.* 16. Mors ergo in Domino nostro signum fuit alienorum peccatorum, non pœna propriorum. In omnibus mortalitas pœna peccati : trahitur enim ab origine peccati, undè omnes venimus ; de illius hominis lapsu.... *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur* (1. *Cor.* xv. 22.).... meritum enim mortis peccatum est.

N. 17. Mortalitas de peccato venit in omnes homines.

(C) Eccli. viii. 8. Noli de mortuo inimico tuo gaudere : sciens quoniam omnes morimur.

2. Cor. xv. 22. In Adam omnes moriuntur.

S. Aug. *in Psal.* xxxviii. *v.* 7. n. 19. *Verumtamen vanè conturbatur omnis homo vivens.*. Quid enim in hâc terrâ certum est, nisi mors ?... Profecisti, quid sis hodiè scis, quid futurus sis crastino nescis. Peccator es, quid sis hodie scis, quid futurus sis crastino nescis... Quocunque te verteris, incerta omnia : solâ mors certa.... natus es, certum est quia morieris : et in hoc ipso quia mors ipsa certa est, dies mortis incertus est. Inter hæc incerta, ubi sola mors certa, cujus etiam hora incerta, et sola multùm cavetur, quæ nullo modo devitatur, *Omnis homo vivens vanè conturbatur.*

(D) S. Aug. *in Psal.* xxxviii. *n.* 21. Hic autem ubi dicturus est Dominus domûs, Migra, et quando dicturus est nescis, paratus esto. Desiderando autem domum æternam paratùs eris. Nec succenseas ei, quia cùm vult dicit, Migra. Non enim cautionem tecum fecit, et placito quodam se obstrinxit, et conductor domûs accessisti certâ pensione ad certum tempus : quando vult Dominus ejus, migraturus es.

Serm. 154. *alias* 5. *de verbis Apostoli*, *cap.* 10. *n.* 15.... Quis me liberabit de corpore mortis hujus (*Rom.* vii. 24.)... Quasi carere vult corpore ? Quid festinas ?... Mors quandoque ventura est, et te ab isto corpore mortis dies adveniens ultimus procul dubio liberabit.... Quid est quod dicis, Quis me liberabit ? Mortalis loqueris, moriturus loqueris. Separatio mentis à carne quandoque ventura est : propter brevitatem vitæ nunquam longè est, propter quotidianos casus quandò sit, nescis. Ergo sive festines, sive tardes, omnis vita humana brevis est.

Serm. 361. *alias* 120. *de diversis*, *cap.* 5. *n.* 5. Utinam verè cogitarent, se cras esse morituros. Quis enim tam demens atque perversus est, quis tam hostis animæ suæ, qui crastino die moriturus non cogitet finita esse omnia propter quæ laborat ?... Et si homines propter eos, quos hic relinquunt, testamenti curam gerunt imminente die mortis suæ, quantò magis debent de animâ suâ aliquid cogitare. Cogitat homo quos reliquat,

5. Omnibus ferè pallida mors de improviso intervenit. (E)

4. Moriendum omnibus, sed semel. Itaque mors parum Christiana, malum irreparabile. (F)

5. Ex morte pendet vel æterna felicitas vel æterna mise-

et se, qui hæc omnia relinquit, non cogitat? Ecce habebunt filii tui quod dimittis, tu nihil habebis, et tota cogitatio tua in eo consumitur, quà peregrini post te transeant, non quà transeuntes perveniant.

Cap. 20. *n.* 19. Attendite vobis: transit hic mundus, recordamini Evangelium ubi prædicit Dominus sic futurum novissimum diem, quomodò in diebus Noë, manducabant et bibebant, emebant et vendebant, uxores ducebant, nubebant, donec intravit Noë in arcam, venit diluvium et perdidit omnes (*Luc.* XXI. 34.)... *Non graventur corda vestra in crapulâ et ebrietate* (*Luc.* XII. 35.). *Sint lumbi vestri accincti, lucernæ ardentes, et similes estote pueris exspectantibus Dominum suum, quandò veniat à nuptiis.* Exspectemus eum venturum, non nos torpentes inveniat. Turpe est mulieri conjugatæ non desiderare virum suum: quantò turpius Ecclesiæ non desiderare Christum?... Venturus est sponsus Ecclesiæ ad tradendos æternos amplexus, ad faciendos nos sibi sempiternos cohæredes; et nos ita vivimus, ut ejus adventum non solùm non desideremus, sed etiam timeamus. Quàm verum est quòd sic venturus est dies ille, quomodò in diebus Noë? Quàm multos sic inventurus est, et eos qui Christiani appellantur? Ideò per tot annos ædificatur arca, ut exigilent qui non credunt.

Serm. 30. *aliàs* 13. *ex homil.* 59. *cap.* 1. *n.* 1. Promisit tibi, quoniam quo die conversus fueris, obliviscitur mala tua præterita: sed nunquid vitam crastini diei promisit tibi?... Diem mortis incertum salubriter constituit Deus: diem ultimum suum quisque salubriter cogitet. Misericordia Dei est, quia nescit homo quandò moriatur. Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies.

Enarrat. in Psal. XXXIV. *Serm.* 1. *n.* 14. *ad calcem.* Cras fortè moriturus sum, qua fronte te videbo? Magna misericordia ipsius, et monuit ut benè vivamus, et diem nobis novissimum mortis nostræ abscondit, ne nobis de futuro aliquid promittamus. Facio hodiè, et vivo: cras non facio. Quid si te non invenit cras?

(E) S. AUG. *Serm.* 40. *aliàs* 11. *inter homil.* 50. *cap.* 3. *n.* 5. Crastino die te victorum nemo tibi promisit.

(F) HEBR. X. 27. Statutum est hominibus semel mori.

S. AUG. *Serm.* 77. *de verbis Evang. Matth. aliàs de temp.* 74. *cap.* 10. *n.* 14. Ex quo nascimur necesse est ut moriamur. Morbus hic necesse est, ut ad mortem perducat.... Necesse est ut quisquis natus fuerit, indè moriatur. Moritur indè, non potest aliter. Hoc et medicus et imperitus pronuntiat.

Serm. 97. *de verbis Evang. Marc.* 13. *aliàs* 21. *de verbis Dom. cap.* 2. *n.* 2. Audivit homo (*Gen.* II. 17.): Morte morieris. Utatur bene pœnâ suâ..... benè utatur malo suo, ut proficiat bono suo. Quis nescit, quia pœna est, necesse esse ut moriamur; et quod est gravius, quando nescimus? Pœna certa est, hora incerta: et de ista pœna sola certi sumus in rebus humanis.

Cap. 3. *n.* 3. Cætera nostra et bona et mala incerta sunt: sola mors certa est... Ex quo nascitur homo dicendum est: Non evadit. Quando natus est, ægrotare cœpit. Quando mortuus fuit, finit quidem ægritudinem: sed nescit utrùm pergat in pejorem.

Serm. 343. *aliàs* 2. *inter edilos ex* MSS. *Carthus. n.* 2. Morituri sumus omnes: nec agit quisquam qui cupit evadere, ut mortem auferat; sed ut differat debitum. Hoc omnes tenet, hoc omnes reddituri sumus, quod te Adam traximus: et quòd mori nolumus, ab exactore hujus debiti non securitas datur, sed dilatio postulatur.

Serm. 361. *aliàs* 120. *de diversis*, *cap.* 22. *n.* 21. Jejunemus et oremus, cras enim moriemur... non deficiamus, nec corda nostra oneremus crapulâ et ebrietatibus; sed solliciti exspectantes, accincti lumbis, et lucernis ardentibus adventum Domini nostri, jejunemus et oremus, non ideò quia cras moriemur, sed ut securi moriamur.

ria ; nihil est ergo cui majori curâ et sollicitudine prospiciendum sit, quàm ut sanctè et piè moriamur. (G)

(G) S. PAULINUS *Epist.* 43. *ad Desid. aliàs* 35. *n.* 6. Verùm, quia (*Joan.* II. 18.) *novissima hora est*, et (*Luc.* III. 9.) *securis jam ad radices arborum posita*, aridis et infelicibus liguis justum minatur excidium, quæso te, ut indulgentiam mihi et laxamentum temporis deferas ; ut morte dilatâ forsitan succum feracitatis accipiam de caritatis tuæ diligentia et sollicitudinis meæ cultu ; ut cor meum divinus timor fodiat, et stirpem meam necessaria pœnitudo stercore humilitatis impinguet : deindè ego ad vigilantiam sollicitudinis excitatus, omni horâ paratus assistam, et Domino absente sim trepidus, ut adveniente securus sim ; omni tempore, omni die me fertilem sibi Christus inveniat, id est, ut nunquam cuiquam operi voluntatis illius immaturus appaream : sed si fortè in tempore iracundiæ desideraverit à me pacem suam, non sit mens mea per iracundiæ acerbitatem cruda concordiæ ; nec exspectem ut sol occidat super iram meam, ne occidat vita mea, si ante clauserit vesper diem, quàm exstinxerit pax furorem.

N. 7. Quod autem de iracundia posui, de omni viliorum genere dictum puta. Hoc enim arbitror esse illud, quod Dominus in arbore illa ante tempus suum poma quæsivit. Neque enim ille qui *novit occulta cordis* (*Ps.* XLIII. 22. *juxta* LXX.), et qui cogitationes hominum perspiciebat, id quod in hominum oculis erat positum, non videbat ; aut etiam humano sensu minor erat, ut etiam in parvulorum scientia positum anni tempus ignoraret, et autumni fructum vere deposceret ? Sed artifex salutis nostræ, Creator, cujus vita et actus omnis in terris forma nobis conversationis et morum fuit ; ideò visibiliter invisibilia sua consilia disposuit, et in creaturis irrationabilibus animæ rationali speciem suæ conformationis expressit, ut nos ad omnia nobis salutaria scriptis operum suorum atque verborum insignibus erudiret. Et hoc est quod voluit intelligi per Evangelistum nobis indicando, non suo tempore, fructum ab arbore se petisse, ut omni tempore homo se fructum Deo debere cognoscat, quia bonus Dominus, qui hominem mortalem immortalitati præparat, jam et in hoc seculo vult eum speciem perpetuitatis induere ; ut fructum non accipiat de tempore, sed omni tempore sit maturus illi, cum quo vel in quo mansurus est sine tempore.

S. AUG. *Serm.* 102. *de verbis Evang. Lucæ* 10. *cap.* 1. *n.* 1. *in fine.* Vivite benè, ne moriamini malè.

Cap. 3. *n.* 4. Non probat malam mortem, nisi tempus post mortem.

Serm. 40. *aliàs* 11. *inter homil.* 50. *cap.* 4. *n.* 6. Noli dormire, ne in æternum dormias : evigila, ut mecum vivas.

Serm. 154. *in append. olim. de temp.* 120. *et post in append.* 45. *n.* 10. Quotidie expavescenda transitûs nostri et commigrationis incerta hora : quæ et modò vel insperata vel subita sunt, et in æternum remediis caritura sunt. Præveniendus est dies, qui prævenire consuevit... periculosissima est in ultimum diem promissa securitas : deindè stultissimum est, ut causa quæ de necessitatibus agitur æternis, inutilitatibus vitæ deficientis committatur extremis. Odibile est apud Deum, quando homo sub fiducia pœnitentiæ in senectutem reservatæ liberiùs peccat... Ille (*latro bonus*) nec salutis tempora sciens distulit, nec remedia statûs sui in momenta ultima infelici fraude posuit... Opus est ergo, ut sibi homo quotidiano actu provideat et procuret bonam consummationem : opus est, ut tota vita nostra talis sit in conversatione, ut liberi mereamur esse in fine. Incessabiliter diem transitûs nostri et tempus judicii cogitantes, nos quoque cum latrone jugiter proclamemus : Memento mei, Domine, cùm veneris in regnum tuum.

Serm. 279. *de Paulo Apost. in solemn. Convers. ejusd.* 2. *aliàs* 24. *ex Sirmond. n.* 9. Quid enim, si nolis mori, non es moriturus ? Quid times, quod vitare non potes ? Times, quod etsi nolis, erit ; non times, quod etsi nolis, non erit. Quid est quod dixi ? Omnibus hominibus natis constituit Deus mortem, per quam de isto seculo emigrent. Exceptus eris à morte, si exceptus fueris à genere humano. Quid facis ? Nunquid tibi modo dicitur : Elige utrùm velis esse homo. Jam homo es, venisti. Quo-

6. Nec procrastinanda ejus modi cura et sollicitudo est. Nam etiam si certum esset non esse te morte subitâ præripiendum, tamen experientia docet, parum aptum esse, nec sufficere ad rem tam gravem, ut par est, procurandam, tempus ingravescentis morbi, si tunc solùm de morte cogitare incipias. Quòd si exspectes ætatem provectiorem, spes hæc nimiùm incerta est. Interea fortè capiet te Deus et derelinquet. (H)

modò hinc exeas, cogita : natus es, moriturus es. Fuge, cave, repelle, redime ; mortem potes differre, non auferre. Veniet, etsi nolis : veniet, quando nescis. Quid ergo times, quod etsi nolueris, erit ? Time potiùs, quod si nolueris, non erit. Quid est hoc ? impiis, infidelibus, blasphemis, perjuris, iniquis, et omnibus malis gehennæ ignes ardentis et æternas flammas minatus est Deus. Primò compara hæc duo, mortem ad momentum, et pœnas in æternum. Times mortem ad momentum, veniet, etsi nolis : time pœnas in æternum, quæ non venient, si nolueris. Multò majus est quod timere debes, et in potestate habes ne veniat tibi, et majus est, et longè majus, incomparabiliter majus quo timere debes, et in potestate habes ne veniat tibi. Etenim si benè vixeris, si malè vixeris, moriturus es : non effugies, ut non moriaris, seu vivendo benè, seu vivendo malè. At verò si elegeris hic benè vivere, in æternas pœnas non mitteris. Quia verò eligere non potes hic, ne moriaris : elige cùm vivis, ne in æternum moriaris. Hæc est fides, hoc Christus ostendit, moriendo et resurgendo. Moriendo ostendit, quòd velis nolis passurus es : resurgendo ostendit, quòd si benè vixeris, accepturus es.

Serm. 306. *in Natali Martyrum Massæ candidæ, aliàs de diversis* 112. *cap.* 2. *n.* 2. Non est in hominis potestate quo exitu hanc vitam finiat : sed est in hominis potestate quomodò vivat, et vitam securus finiat.

Serm. 344. *aliàs* 31. *ex Sirmond. n.* 3. Undè ergo et Martyres vicerunt ? Quia voluntati carnis voluntatem spiritûs præposuerunt. Amabant hanc vitam et deponderabant. Indè considerabant quantùm amanda esset æterna, si sic amatur ista peritura. Moriturus mori non vult : et tamen erit necessariò moriens, quamvis continuè mori nolens. Nil agis quòd mori non vis, nil efficis, nil extorques : nullam habes potestatem tollendi mortis necessitatem. Veniet, te nolente, quod times ; aderit, te recusante, quod differs. Mortem quippe satagis ut differas ; nunquid ut auferas ? Si ergo in amatoribus hujus vitæ tantùm de differenda morte satagitur, quantùm de auferenda laborandum est ? Mori certè non vis. Muta amorem, et ostenditur tibi mors, non quæ, te nolente, aderit, sed quæ, si volueris, non erit.

N. 4. Vide duas mortes, unam temporalem, eamdemque primam, alteram sempiternam, et eamdem secundam. Prima mors omnibus præparata est : secunda solis malis, impiis, infidelibus, blasphemis, et quidquid aliud sanæ doctrinæ adversatur. Intende, propone tibi istas mortes duas. Si fieri potest, ambas non vis pati. Scio, vivere amas, mori non vis ; et de hac vita in aliam vitam sic transire velles, ut non mortuus resurgeres, sed vivus in melius mutareris.... Non vis spoliari, sed spoliandus es. Hoc tamen agas oportet, ut spoliatus per mortem carneâ tunicâ, inveniaris indutus loricâ fidei.... Nam prima mors spoliatura est te carne, interim seponendâ, et suo tempore recipiendâ. Hoc velis, nolis. Non enim quia vis, resurges ; aut si nolis, non resurges ; aut si resurrectionem non credis, non propterea non resurges. Opus est ut potiùs agas, ut qui resurrecturus es, velis, nolis, sic resurgas ut habeas quod velis.

(H) S. Aug. *Enar. in Psal.* cxlviii. *n.* 11. Quare aliquando percutiunt montem fulmina, et non percutiunt latronem ?... Quia fortè adhuc latronis conversionem quærit ; et ideò percutitur mons, qui non timet, ut multetur homo, qui timet. Aliquando et tu cùm das disciplinam, terram feris, ut infans expavescat. Et aliquando ferit et quem vult hominem. Sed dicis mihi : Ecce ferit innocentiorem, et dimittit sceleratiorem. Noli mirari : undecunque mors pio bona est. Unde autem scis, illi scele-

ratiori, si se mutare noluerit, quid pœnarum in occulto servetur? Nonne mallent fulmine incendi, quibus in fine dicetur: Ite in ignem æternum? Opus est, ut innocens sis. Quid enim? Malum est mori naufragio, et bonum est mori febre? Sive indè, sive indè moriatur, quære qualis sit qui moritur; quò post mortem iturus est, non undè de vita exiturus. Quacunque occasione hinc exituri sumus.... Novit igitur Deus quid agat. Tu time, et bonus esto. Undecunque voluerit ut exeas hinc, paratum te inveniat. Inquilinus enim es, non possessor domûs. Locata est enim tibi domus; domus ista tibi locata est, non donata, et si nolis, migrabis: et non eam tali conditione accepisti, ut quasi tempora certa tibi sint. Quid dixit Dominus tuus? Quando voluero, cùm dixero, Migra, paratus esto. Expello te de hospitio, sed dabo domum: inquilinus es in terra, eris possessor in cœlo.

Serm. 20. *aliàs* 3. *ex Sirmondianis*, *n.* 4.... (*Eccli.* v. 8. 9.) Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem: subitò enim veniet ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te.... Si desperes, peris. Si speres, peris. Ubi tibi tutus locus erit, ut ab utraque fovea te eripias, et constituas te in via recta, serviens Deo, miseraus animam tuam, placens Deo? Malè desperabas; audisti: In quacunque die conversus fuerit iniquus, omnes iniquitates ejus oblviscar. Malè sperare cœperas; audisti: Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem. Undique te circumdedit providentia Dei misericorditer. Quid dicis? Promisit mihi Deus indulgentiam: quando me convertero, dabit eam. Prorsùs quando te converteris, dabit: sed ipsum quando, quando est? Quare non hodie est? Quare non cùm tu me audis?.... Quare non hodie? quare non modò?.... Cras tu tibi promittis?.... Ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira ejus.

Serm. 40. *aliàs* 11. *inter homil.* 50. *n.* 2. Quisquis non vis corrigi, quid tibi promittis? Desperando peris, an sperando? Quisquis desperando peris, hoc dicis in animo tuo: Iniquitas mea super me est, in peccatis meis contabesco; quæ mihi spes est vivendi? Audi Prophetam (*Ezech.* XXXIII. 2.) dicentem: *Nolo mortem impii, tantùm revertatur impius à vita sua pessima, et vivat.* Qui sperando peris, hoc dicis in animo tuo: Bonus est Deus, misericors est Deus, agnoscit omnia, non reddit mala pro malis. Audi Apostolum dicentem (*Rom.* II. 4.) *Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit.*

Tract. 33. *in Joan. n.* 7. Intendant ergo qui amant in Domino mansuetudinem, et timeant veritatem. Etenim *dulcis et rectus Dominus.* (*Ps.* XXIV. 8.) Amas quòd dulcis est, time quòd rectus est. Tanquam mansuetus dixit (*Is.* XLII. 14.), *Tacui*: sed tanquam justus, Nunquid semper tacebo? *Misericors et miserator Dominus.* (*Ps.* LXXXV. 15.) Ita planè. Adhuc adde, longanimis; adhuc adde, et multùm misericors: sed time quod est in novissimo, et verax. Quos enim modò sustinet peccantes, judicaturus est contemnentes. * *An divitias longanimitatis et mansuetudinis ejus contemnis, ignoraus quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit* (*Rom.* II. 4.)? Tu autem secundùm duritiam cordis tui et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi Judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera sua. Mansuetus Dominus, longanimis Dominus, misericors Dominus: sed et justus Dominus et verax Dominus. Largitur tibi spatium correctionis: sed tu plus amas dilationem, quàm emendationem. Malus fuisti heri? hodie bonus esto. Et hodiernum diem in malitia peregisti? vel eras mutare. Semper exspectas, et de misericordia Dei ubi plurimùm polliceris: quasi ille, qui tibi per pœnitentiam promisit indulgentiam, promiserit tibi etiam prolixiorem vitam. Unde scis quid pariat crastinus dies? Rectè dicis in corde tuo: Quando me convertero, Deus mihi omnia peccata dimittet. Negare non possumus, quòd correctis atque conversis indulgentiam Deus promisit. Nam in quo Prophela mihi legis, quia promisit correcto indulgentiam, non mihi legis, quia promisit tibi Deus longam vitam.

N. 8. Ex utroque igitur homines periclitantur, et sperando et desperando, contrariis rebus, contrariis affectionibus. Sperando decipitur. Qui decipitur? Qui dicit, Bonus est Deus, misericors est Deus, faciam quod mihi placet, quod libet, laxem habenas cupiditatibus meis, im-

I. Quomodo cavenda mors est ?

R. 1. Emundanda est seriò conscientia à præteritis peccatis.

2. Prospiciendum sibi et suis in his, quæ tum ad præsentem vitam, tum ad futuram pertinent.

3. Instituenda vitæ ratio planè Christiana ad legis Evangelicæ normam.

Hæc omnia fusiùs explicabimus in serie hujus Operis.

I. Debetne videri mors terribilis homini Christiano ?

R. Imò verò est quòd desideret eam Christianus. *Si* enim *in hâc vitâ tantùm in Christo sperantes sumus*, inquit Apostolus (1. *Cor.* XV. 19.) *miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Est ergo undè gaudio exsultent, dùm sentiunt appropinquare horam, in qua finis imponetur miseriis, et patebit aditus ad vitam æternam beatam, cujus unâ spe reficiuntur hîc et recreantur verè Christiani.

I. Quod ait Apostolus, *Si in hâc vitâ tantùm sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, nonne id de Apostolis solùm eorumque successoribus intelligendum est, propter labores et ærumnas et difficultates ministerii Evangelici ? Cur ergo sententiam hanc ad omnes omninò Christianos extendis ?

R. Hanc et ad omnes Christianos extendi nihil vetat. Ut enim Christianè vivatur, abstrahendus planè animus est ab omni cupiditate, soli Deo vivendum. Adeòque indesinenter pugnandum est contra propriam concupiscentiam, continuò vigilandum, ne quando abripiat vis cupiditatum, consuetudinis, exemplorum, præjudiciorum, quæ nobis velut innata et educatione firmata sunt. Vincendæ difficultates undiquè erumpentes. Subeunda sæpiùs hominum contradictio, invidiæ, odia, ludibria, dicteria, calumniæ, violentiæ, vexationes. Eligendum magis affligi cum populo

pleam desideria animæ meæ. Quare hoc ? Quia misericors est Deus, bonus est Deus, mansuetus est Deus. Spe isti periclitantur. Desperatione autem, qui cùm inciderunt in gravia peccata, putantes sibi non posse jam ignosci pœnitentibus, et statuentes se ad damnationem sine dubio destinatos, dicunt apud seipsos : Jam damnandi sumus ; quare non quod volumus facimus ? animo gladiatorum ferro destinatorum. Ideò molesti sunt desperati : jam enim quod timeant, non habent, et vehementer timendi sunt. Istos desperatio necat, spes illos. Inter spem et desperationem fluctuat animus. Metuendum est, ne te occidat spes, et cùm multum speras de misericordia, incidas in judicium : metuendum est rursùs, ne te occidat desperatio ; et cùm putas jam tibi non ignosci quæ gravia commisisti, non agas pœnitentiam, et incurras in judicem sapientiam, quæ dicit (*Prov.* 1. 26.), Et ego vestræ perditioni superridebo. Quid ergo agit Dominus cum periclitantibus utroque morbo ? Illis, qui spe periclitantur, hoc dicit : *Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.* (*Eccles. v.* 8. *et* 9.) Illis, qui desperatione periclitantur, quid dicit ? In quacunque die iniquus conversus fuerit, omnes iniquitates ejus oblivisear. Propter illos ergo, qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portum : propter illos, qui spe periclitantur et dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Quando veniat ultimus dies, nescis. Ingratus es, quia hodiernum habes, in quo corrigaris.

Vide etiam auctoritates infrà allatas litt. (P) *hocce* §.

Dei, et deprimi, et privari bonis omnibus, quàm temporalis peccati habere jucunditatem. Hæc omnia dura naturæ. Ideòque spes vitæ melioris una est verè Christianorum hic peregrinantium consolatio. *Si in hâc vitâ tantùm sperantes essent, miserabiles essent et miserabiliores omnibus hominibus.*

Jam apud se cogitet coram Deo unusquisque, qui hæc Apostoli verba legerit, num reverà existimet miserum se fore, et miserabiliorem omnibus hominibus, nisi spes adesset vitæ melioris?

S. Augustinus non dubitat asserere, ad damnationem æternam sufficere si quis nullo patriæ cœlestis desiderio teneatur, et suam omnem felicitatem et spem ponat in vitæ præsentis commodis. Hanc S. Augustinus doctrinam hausit ex Evangelicis oraculis. Legantur verba Abrahæ ad divitem epulonem apud Lucam (XVI. 25.): *Fili, recordare quia accepisti bona tua in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* (1)

(1) S. AUG. *Enarrat. in Psal.* XLIX. *n.* 22. *circa med.* Est quædam tribulatio, quam nos debemus quærere, et invenire. Quæ est ista? Ea ipsa in hoc mundo felicitas, affluentia rerum temporalium; non quidem ipsa tribulatio est, solatia sunt nostræ tribulationis. Cujus tribulationis? Nostræ peregrinationis. Hoc enim ipsum quòd cum Deo nondum sumus, hoc ipsum quòd inter tentationes molestiasque versamur, quòd sine timore esse non possumus, tribulatio est: non enim est illa securitas, quæ nobis promissa est. Hanc tribulationem peregrinationis suæ qui non invenerit, ad patriam redire non cogitat.

In Psal. LXXXV. *n.* 11. Quandiù in corpore sumus peregrinamur à Domino (2. *Cor. v.* 6.) Quodlibet hic abundet, nondum sumus in illa patria, quò redire festinamus. Cui peregrinatio dulcis est, non amat patriam: si dulcis est patria, amara est peregrinatio; si amara peregrinatio, totà die tribulatio. Quando non est tribulatio? Quando in patria delectatio... Nemo carnem consulat, spiritum consulite. Ergone si acciperemus securitatem nos in affluentia bonorum secularium semper futuros, et diceret nobis Deus: Faciem meam non videbitis, gauderemus in illis bonis? Eligeret fortè aliquis gaudere, et dicere: Abundant mihi ista, bene mihi est, nihil ampliùs quæro. Nondum cœpit esse amator Dei, nondum cœpit suspirare tanquam peregrinus. Absit, absit. Recedant omnia seductoria, recedant blandimenta falsa, recedant ea, quæ nobis quotidie dicunt: Ubi est Deus tuus? Effundamus super nos animam nostram, confiteamur in lacrymis, gemamus in confessionibus, in miseriis suspiremus. Quidquid nobis adest, præter Deum nostrum, non est dulce. Nolumus omnia, quæ dedit, si non dat se ipsum, qui omnia dedit.

Enarrat. in Psal. CXXXVII. *v.* 7. *n.* 12. In medio tribulationis es, et nescis? Vita ista parva tribulatio est? Si non est tribulatio, non est peregrinatio: si autem peregrinatio est, aut parum patriam diligis, aut sine dubio tribularis. Quis enim non tribuletur, non se esse cum eo quod desiderat? Sed undè tibi non videtur ista tribulatio? Quia non amas. Ama alteram vitam, et videbis quia ista vita tribulatio est: quacunque prosperitate fulgeat, quibuslibet deliciis abundet, atque circumfluat: quando nondum est illud gaudium sine ulla tentatione certissimum, quod nobis in fine servat Deus, sine dubio tribulatio est.

In Psal. CXLVIII. *n.* 4. Qui non gemit peregrinus, non gaudebit civis: quia desiderium non est in illo..(2. *Cor.* v. 6.) Quandiù sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Nondum sumus in patria: quando erimus in patria? Quando triumphabimus devicto inimico?.... Quando ergo nulla erit mortis contentio, quæ modò est, et facit nos gemere ex defectu et mutabilitate rerum, ex fragilitate carnis humanæ?.... Securi estote, tantummodò in ista peregrinatione vitæ quomodò agatis, videte.... Non

I. Malum ergo est mortem timere ; et metus ille ab homine Christiano procul excutiendus ?

R. Metus ille vel procedit à principio legitimo, tuncque nihil habet in se mali : vel à malo principio procedit, tuncque malus est. Rem explico.

Si quis mortem ideò timet, quia dolet se invitum avelli à suis cupiditatibus, quibus adeò illaqueatus est, ut vellet iis, si fas esset, æternùm frui ; is corde corruptus est. Caritas enim exulat ab eo corde, in quo cupiditas dominatur. In statu damnationis est, qui ad mortem timendam ex tali principio movetur. (K)

Sed nihil est vitii, si quis mortem timeat ex innatâ cuilibet propensione, quâ fugit unusquisque mortem, ut dissolutionem sui. Hunc metum experiri voluit Christus ad consolationem suorum, qui et illum essent experturi. (L)

vobis placeat amor Babyloniæ, ne obliviscamini civitatem Jerusalem. Et si corpus vestrum adhuc in Babylonia tenetur, cor vestrum ad Jerusalem præmittatur.

(K) S. Aug. *in Psal.* lxxxv. *n.* 11. *Vide suprà litt.* (I) *hocce* §.

(L) S. Aug. *Serm.* 305. *in solemn. Mart. Laurentii* iv. *aliàs* 26. *ex Sirmond. n.* 4. *Anima mea turbata est.* Nos in se transfiguravit, nos vidit, nos inspexit, nos fatigatos suscepit et fovit ; ne fortè, quando veniret alicui membro ejus ultimus dies, quo ista esset vita finienda, turbaretur per infirmitatem, et desperaret salutem, et diceret se ad Christum non pertinere, quoniam non sic præparatus esset ad mortem, ut nulla in illo perturbatio exoriretur, nulla tristitia mentem devotissimam nubilaret... *Nunc anima mea turbata est.* Agnoscite vos in me, ut quando fortè turbati fueritis, non desperetis, sed ad caput vestrum revocetis aspectum, et dicatis vobis : Quando Dominus dicebat, *anima mea turbata est*, nos in illo eramus, nos significabamur : turbamur, sed non perimus. *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me ?* Non vis finiri miseram vitam ? Tantò est miserior, quantò et misera amata est, et non vis finiri : minus esset misera, si non amaretur. Qualis est beata vita, quando sic amatur misera vita, tantùm quia vocatur vita.

Serm. 306. *alias de divers.* 112. *n.* 4. Si dicam, Vis vivere ? Puto nemo est qui dicat, Nolo. Omnes enim naturâ habent insitum vivere velle, mori nolle.

Serm. 297. *aliàs* 107. *de diversis, cap.* 2. *n.* 3. Consolatur Dominus, transfigurans in se infirmitatem nostram, et dicens (*Matth.* xxix 38.), *Tristis est anima mea usque ad mortem....* Utique natura refugit mortem. Intuere omne animalium genus, nullum invenies, quod nolit vivere, quod non timeat interire. Habet istum sensum genus humanum. Dura est mors : sed non, inquam, quia mors est dura, ideò neganda est vita. Petrus etiam senex nolebat mori. Mori quidem nolebat, sed Christum sequi malebat.

Cap. 3. *n.* 4. Non reprehendimus, non accusamus, etiam si vita ista ametur. Sic tamen vita ista ametur, ne in ejus amore peccetur. Ametur vita, sed eligatur vita.

Tract. 43. *in Joan. n.* 11. *et* 12. *Mortem non videbit in æternum, qui sermonem meum servaverit.* Non expavescamus istam mortem, sed illam timeamus. Quod est autem gravius multi perversè timendo istam, incidunt in illam.... Timendo mortem, quæ non evaditur, inciderunt in mortem, quam evadere feliciter possent, si istam, quæ non evaditur, infeliciter non timerent. Natus es homo, moriturus es. Quà ibis, ut non moriaris ? Quid facies, ut non moriaris ? Ut Dominus tuus necessitate morituram consolaretur, voluntate mori dignatus est. Quando vides Christum mortuum, dedignaris mori ? Ergo moriturus es : Quà evadas hoc, non habes. Hodie sit, cras sit, futurum est, debitum est reddendum.... Quantumlibet diù differatur, veniet quod differtur.

Licet quoque mortem timere ex consideratione peccatorum, quibus fit, ut moriamur incerti quid futuri simus post supremum diem. Sed metus ille temperari debet Christianâ fide et spe divinæ misericordiæ per Christum recipiendæ. Nec fas est ex metu mortis quidquam agere contra legem Dei.

Tandem tenentur omnes saltem patienter et cum intima cordis subjectione ferre mortem, ut pœnam peccatis nostris debitam, si nondum eò perfectionis devenerint, ut eam libenter et cum delectatione subeant, ut finem miseriarum et initium æternæ beatitudinis. Peccaret certè graviter, adeòque reprobus moreretur, qui moriens non offerret vitam suam sacrificium Deo, in spiritu humilitatis et pœnitentiæ. (M)

Tract. 60. *in Joan. n.* 2. Turbatus est ergo potestatem habens ponendi animam suam, et potestatem habens iterùm sumendi eam. Turbatur tam ingens potestas, turbatur petræ firmitas: an potiùs in eo nostra turbatur infirmitas? Ita verò: nihil indignum credant servi de Domino suo, sed agnoscant se membra in capite suo. Qui mortuus est pro nobis, turbatus est idem ipse pro nobis.... Transfiguravit etiam in se affectum infirmitatis nostræ, compatiens nobis affectu animæ suæ.... Nos ipsos in illius perturbatione videamus, ut quando turbamur, non desperatione pereamus.

N. 5. Firmissimi quidem sunt Christiani, si qui sunt, qui nequaquam morte imminente turbantur: sed nunquid Christo firmiores? Quis hoc insanissimus dixerit? Quid est ergo quòd ille turbatus est, nisi quia infirmos in suo corpore, hoc est in sua Ecclesia, suæ infirmitatis voluntariâ similitudine consolatus est: ut si qui suorum adhuc morte imminente turbantur in spiritu, ipsum intueantur, ne hoc ipso se putantes reprobos, pejore desperationis morte sorbeantur?.... Ne nobis desperatio salutis oriatur, quandò non potestate, sed infirmitate turbamur.

(M) S. AUG. *Tract.* 9. *in Epist.* 1. *Joan. c.* 4. *n.* 2.... Quisquis fiduciam habet in die judicii, perfecta est in illo caritas. Quid est habere fiduciam in die judicii? Non timere, ne veniat dies judicii... Cœpit aliquis credere diem judicii: si cœpit credere, cœpit et timere. Sed quia timet adhuc, nondum habet fiduciam in die judicii, nondum est in illo perfecta caritas. Nunquid tamen desperandum est? In quo vides initium, cur desperas finem?.... Cœpit ergo timere diem judicii, timendo corrigat se, vigilet adversùs hostes suos, id est, adversùs peccata sua; incipiat reviviscere interiùs, et mortificare membra sua, quæ sunt super terram.... Surgentibus cœlestibus membris, incipit desiderare quod timebat. Timebat enim, ne veniret Christus, et inveniret impium, quem damnaret: desiderat ut veniat, quia inventurus est pium, quem coronet. Jam cùm cœperit desiderare venientem Christum casta anima, quæ desiderat amplexus sponsi, renuntiat adultero; fit virgo interiùs ipsâ fide, spe, et caritate. Habet jam fiduciam in die judicii; non contra se pugnat, quando orat, et dicit: Adveniat regnum tuum. Qui enim timet ne veniat regnum Dei, timet ne exaudiatur. Qui autem orat cum fiducia caritatis, optat jam ut veniat. De ipso desiderio dicebat quidam in Psalmo: (VI. 4.) Et tu Domine usquequò? Convertere Domine, et eruc animam meam; gemebat se differri. Sunt enim homines, qui cum patientiâ moriuntur. Sunt autem quidem perfecti, qui cum patientiâ vivunt. Quid dixi? Qui adhuc desiderat istam vitam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem: luctatur adversùm se, ut sequatur voluntatem Dei.... et adhibet patientiam et fortitudinem, ut æquo animo moriatur: iste patienter moritur. Qui autem desiderat.... dissolvi et esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit, delectabiliter moritur.... Aliter non probatur perfecta caritas.

Quæst. in Jud. lib. 7. *n.* 14. Mors enim sicut nec sibi à quoquam sponte,

nec cuiquam sponte inferenda est, ita Deo jubente recusanda non est, cujus constitutione quocunque temporis obeunda est : nec quisquam qui eam perpeti detrectat, ut omninò eviletur, sed tantummodò, ut differatur, laborat.

Quæst. septemdecim in Matthæum, *q.* 17. *n.* 5.... Frustrà itaque quidam dicunt, qui jam sanam fidem tenent, ideò se nolle mori ut proficiant, cùm ipse profectus eorum in eo profectu sit, ut mori velint. Si ergo verum loqui volunt, non dicant : Ideò mori nolo, ut proficiam ; sed, Ideò mori nolo, quia parùm profeci. Itaque mori nolle fidelibus non consilium est ut proficiant, sed indicium quòd parùm profecerint.

Enarrat. in Ps. CXLI. *n.* 18. Quid ergo magnum petitur, *Educ de carcere animam meam :* cùm sive serò, sive citò, necesse sit exire ? Fortè justus dicit, Jam moriar, educ de carcere isto corporis animam meam ? Si nimis festinat, non habet caritatem. Desiderare quidem hoc debet et concupiscere, sicut Apostolus (*Philip.* I. 23.) ait, Concupiscentiam habens dissolvi et esse cum Christo, multò enim magis optimum. Sed ubi est caritas ? Ergo sequitur (*Ibid.* 24.) Manere in carne, necessarium propter vos. De corpore ergo educat Deus, quando voluerit.

S. CYPRIAN. *de Mortalit. edit. Oxoniens. an.* 168. *p.* 158. *edit. anni* 1700. *Boudot*, *p.* 110. Quis hic anxietatis et sollicitudinis locus est ? Quis inter hæc trepidus et mœstus est, nisi cui spes et fides deest ? Ejus est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire ; qui se non credat cum Christo incipere regnare. Scriptum est enim justum fide vivere. Si justus es, et fide vivis, si verè in Deum credis ; cur non cum Christo futurus ; et de Domini pollicitatione securus, quòd ad Christum voceris, amplecteris ; et quòd diabolo careas, gratularis ?

Pag. 111. Hoc autem fit, fratres dilectissimi, quia fides deest ; quia nemo credit vera esse, quæ promittit Deus, qui verax est, cujus sermo credentibus æternus et firmus est. Si tibi vir gravis et laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem, nec te falli aut decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque in actibus suis scires : nunc Deus tecum loquitur ; et tu mente incredulâ perfidus fluctuas ? Deus de hoc mundo recedenti tibi immortalitatem atque æternitatem pollicetur, et tu dubitas ? Hoc est Deum omninò non esse : hoc est Christum credentium Dominum et magistrum peccato incredulitatis offendere ; hoc est, in Ecclesia constitutum fidem in domo fidei non habere.

Pap. 161. *vel* 113. Mori planè timeat, sed qui ex aquâ et Spiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur : mori timeat, qui non Christi cruce et passione censetur : mori timeat, qui ad secundam mortem de hac morte transibit : mori timeat, quem de seculo recedentem perennibus pœnis flamma torquebit : mori timeat, cui hoc morâ longiore confertur, ut cruciatus ejus et gemitus interim differantur.... Mortalitas ista ut Judæis et gentilibus et Christi hostibus pestis est, ita Dei servis salutaris excessus est.... Ad refrigerium justi vocantur, ad supplicium rapiuntur injusti.

Pag. 163. *vel.* 114. Meminisse debemus voluntatem nos, non nostram, sed Dei facere debere ; secundùm quod nos Dominus quotidiè jussit orare. Quàm præposterùm et quàm perversum, ut cùm Dei voluntatem fieri postulemus, quando evocat nos et accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis ejus imperio pareamus. Obnitimur et reluctamur, et pervicacium more servorum, ad conspectum Domini cum tristitia et mœrore perducimur, exeuntes isthinc necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis : volumus ab eo præmiis cœlestibus honorari, ad quem venimus inviti ? Quid ergo oramus et petimus ut adveniat regnum cœlorum, si captivitas terrena delectat ?....

Pag. 164. *Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me non morietur in æternum* (*Joan.* XI. 25.) Si in Christum credimus, fidem verbis et promissis ejus habeamus ; et non morituri in æternum, ad Christum, cum quo et victuri et regnaturi semper sumus, lætâ securitate veniamus. Quòd interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur : nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire : non est exitus iste, sed transitus : et temporali itinere decurso, ad æterna transgres-

I. Quibusnam terribilior videri debet mors imminens ?

R. Iis, qui vixerunt hactenùs in peccatis suis, nullâ peractâ pœnitentiâ ; qui diligunt mundum, et ea quæ in mundo sunt ; qui terrenis inhiant, nec nisi terrena sapiunt. Ægrè enim dimittitur quod amatur : et tamen dimittendum prorsùs illud est eo in temporis momento, quo nihil illis solatii, nec ferè spei quidquam affulget. (N)

sus. Quis non ad meliora festinet ? Quis non mutari et reformari ad Christi speciem, et ad cœlestis gratiæ dignitatem venire citiùs exoptet ?.... Venturus ad Christi sedem, ad regnorum cœlestem claritatem, lugere non debet et plangere ; sed potiùs secundùm pollicitationem Domini, secundùm fidem veritatis, in profectione hac sua et translatione gaudere.

Pag. 165.... Per Salomonem docet Spiritus sanctus eos, qui Deo placeant, maturiùs isthinc eximi, et citiùs liberari, ne dùm in isto mundo diutiùs immorantur, mundi contactibus polluantur.... Raptus est, inquit (*Sap.* IV. 11.), ne malitia mutaret intellectum illius : placita enim erat Deo anima ejus : propter hoc properavit educere eum de medio iniquitatis.... Ejus est in mundo diù velle remanere, quem mundus oblectat, quem seculum blandiens atque decipiens, illecebris terrenæ voluptatis invitat.

S. AMBROS. *Libro de bono mortis*, *cap.* 2. *n.* 7. Sapiens lucrum mortis amplectitur. Lucrum est enim evasisse incrementa peccati, lucrum fugisse deteriora, et ad meliora transisse.

Cap. 4. *n.* 15. Igitur mors est bonum ; et quia compugnantia dividit, ne se invicem impugnent ; et quia portus quidam est eorum, qui magno vitæ istius jactati solo, fidæ quietis stationem requirunt..... Frustrà homines mortem timent, quasi finem naturæ. Nam si recolamus quòd Deus mortem non fecerit : sed postquam homo lapsus in flagitium est prævaricationis et fraudis, sententia eum comprehenderit, ut in terram suam terra remearet, inveniemus mortem finem esse peccati ; ne quò esset vita diuturnior, eò fieret culpa numerosior. Passus est igitur Dominus subintrare mortem, ut culpa cessaret.... Mors hæc transitus universorum est. Opus est ut constanter transeas. Transitus autem à corruptione ad incorruptionem, à mortalitate ad immortalitatem, à perturbatione ad tranquillitatem. Non igitur nomen te mortis offendat, sed boni transitùs beneficia delectent. Quid est enim mors, nisi sepultura vitiorum, virtutum suscitatio ?

Cap. 7. *n.* 28. *Inveni ego eam* (lætitiam impiorum) *amariorem quàm mortem :* non quia amara sit mors, sed quia impio amara ; et tamen amarior vita, quàm mors. Gravius est enim ad peccatum vivere, quàm in peccato mori ; quia impius quandiù vivit, peccatum auget : si moriatur, peccare desinit.

N. 30. Non igitur mors malum.

Cap. 8. *n.* 31. Quòd si terribilis apud viventes æstimatur, non mors ipsa terribilis est, sed opinio de morte.... Suæ igitur unusquisque conscientiæ vulnus accuset, non mortis acerbitatem. Denique justis mors quietis est portus, nocentibus naufragium putatur. Certè iis, quibus gravis est timor mortis, non est grave mori, sed grave est vivere sub metu mortis. Non est ergo mors gravis, sed metus mortis.... Metus mortis non ad mortem referendus est, sed ad vitam. Non enim habemus quod in morte metuamus, si nihil quod timendum sit, vita nostra commisit.

Lege librum R. P. LALLEMANT. *Canonici Regularis, quem inscripsit :* Les saints désirs de la mort, *troisième Edition*, *in*-12. *Paris.* 1677.

(N) ECCLI. XLI. 1. O mors, quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis ! 2. Viro quieto, et cujus viæ directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum ! 3. O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus ! 4. Defecto ætate, et cui de omnibus cura est, et incredibili qui perdit patientiam ! 5. Noli metuere judicium mortis.

I. Quid agere debent Christiani, ut excutiant à se metum illum impiis ineluctabilem ?

R. Maturè confugiendum est ad misericordiam Dei, dum tempus suppetit ; agenda seriò pœnitentia ; intrandum per angustam portam, per arctam viam, quæ ducit ad vitam : præoccupanda Dei judicia, nequando nobis eveniat tandem, quod communicatus est Deus in libro Proverbiorum (I. 24. *et seq.*) his verbis : *Quia vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret ; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis : Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cùm vobis id quod timebatis advenerit. Cùm irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit ; quando venerit super vos tribulatio et angustia ; tunc invocabunt me, et non exaudiam : manè consurgent, et non invenient me : eò quòd exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, et detraxerint universæ correctioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.*

Minacem et terribilem hanc Prophetiam impleri quotidiè cernimus in infinitis propemodum Christianis. Væ insipientibus corde, qui rem seriò non cogitant, nec convertuntur ad Dominum (O)

S. Aug. *Serm.* 1. *in Ps.* xxxvi. *n.* 1. Novissimus dies terribiliter venturus auditur eis, qui securi esse benè vivendo nolunt, et malè vivere diù volunt. Utiliter autem Deus latere voluit illum diem, ut semper sit paratum cor ad exspectandum quod esse venturum scit, et quandò venturum sit, nescit.... Quoniam diem novissimum utiliter scimus venturum, et utiliter ignoramus quandò venturus sit, paratum cor habeamus benè vivendo : et non solùm non timeamus venturum illum diem, sed et amemus. Dies quippe ille sicut infidelibus laborem auget, sic fidelibus finit. Quid autem horum duorum esse velis, antequam veniat, nunc est in potestate : cùm venerit, non erit. Elige ergo cùm tempus est : Quia Deus quod misericorditer occultat, misericorditer differt.

(O) S. Aug. *Serm.* 19. *aliàs* 4. *ex Sirmondianis*, *n.* 6. Benè ergo vivamus, et ut hoc possimus, eum, qui hoc præcepit, invocemus.... Cor nostrum ibi ponamus, ubi putrescere non potest secularibus curis. Transeunt ista, quæ occupant homines, volant ista ; vapor est vita humana super terram. Accedunt etiam ipsius fragilis vitæ tanta et tam quotidiana pericula.... Undiquè Deus terret, quia non vult invenire quos damnet :.... convertatur quisque ad Deum, et mutet vitam ;.... de transverso una febricula aufert hominem. Et si talem invenit ille judex, qualem non novit, qualibus dicturus est : Nescio vos, recedite à me ; quid fiet posteà ? Quo itur ?.... vita reparando redimitur. Quis iterum vivere, et quod malè fecit, emendare permittitur ?

Serm. 20. *aliàs.* 3. *ex Sirmondianis*, *n.* 4. *Vide suprà litt.* (H) *hocce* 2.

Serm. 109. *aliàs* 1. *de verbis Domini*, *c.* 1. *n.* 1. Regnum cœlorum intra vos est. Prudenter accipiat unusquisque monita Præceptoris, ut non perdat tempus misericordiæ Salvatoris, quæ modò impenditur, quandiù generi humano parcitur. Ad hoc enim parcitur homini, ut convertatur, et non sit qui damnetur.... Tempus cuique nostrùm proximum est ; quia mortales sumus, inter casus ambulamus.... Nos ergo fragiliores et infirmiores sumus (*vitro*) : quia et casus omnes, qui non cessant in rebus humanis, fragilitate utique nostrâ quotidiè formidamus ; et si ipsi casus non accedant, tempus ambulat. Vitat homo ictum, nunquid vitat exitum ? Vitat quæ extrinsecùs eveniunt, nunquid quod intus

I. Cur voluit Deus incertum esse unicuique suæ mortis diem ?

R. Id magnâ Dei misericordiâ factum est, inquit S. Augustinus, ut vigilemus quotidiè, quibus certum est nullum esse diem, qui non possit esse ultimus. (P)

nascitur, pellitur ?.... Nunc morbus quilibet subitò occupat : postremò quantumvis homini parcatur, novissimè senectus cùm venerit, non est quod differatur.

Cap. 4. *n.* 4. Unusquisque habet horam, quando finiat viam. Via, vita ista dicta est : finisti istam vitam, finisti viam. Ambulamus ; et ipsum vivere, accedere est. Non anni nobis, accedunt, sed magis decedunt :... Anni cùm transeunt per nos, terunt nos, et minùs minùsque valere nos faciunt.

(P) S. Aug. *Enarr.* 1. *in Ps.* xxxiv. *n.* 14. Cràs fortè moriturus sum, quâ fronte te videbo ? Magna misericordia ipsius, et monuit ut benè vivamus, et diem nobis novissimum mortis nostræ abscondit, ne nobis de futuro aliquid promittamus. Facio hodiè, et vivo : cras non facio. Quid si te non invenit cras ?

Enarr. 1. *in Ps.* ci. *n.* 10. Discute conscientiam tuam, ascende tribunal mentis tuæ, noli tibi parcere, examina te, loquatur tibi medulla cordis. Vide utrum audeas innocentiam profiteri. Hic planè si se respexerit, conturbabitur : si se non palpaverit, confitebitur. Et quid agis miser, si non erit portus impunitatis ? Si sola fuit peccandi licentia, et nulla peccatorum est indulgentia, ubi eris ? quo ibis ?.... Ne desperatione homines pejùs viverent, promisit indulgentiæ portum : rursùs, ne spe veniæ pejùs viverent, fecit diem mortis incertum : providentissimè utrumque constituens, et revertentes quò recipiantur, et differentes undè terreantur.... Noli desperare, promissa est indulgentia tibi... Ergo jam benè vive. Cràs, inquit, benè vivam. Indulgentiam tibi Deus promisit, crastinum diem tibi nemo promisit. Si malè vixisti, benè vive jam hodiè. Stulte, hac nocte auferetur à te anima tua : non dico : Quæ præparasti, cujus erunt ? Sed, Secundùm quod vixisti, ubi eris ? Corrige ergo te.

Serm. 39. *aliàs* 13. *ex homiliis* 50. *c.* 1. *n.* 1. *Vide suprà litt.* (D) *hocce* §.

Serm. 23. *in dieb. Paschal.* xii. *aliàs de tempore* 143. *c.* 2. *n.* 2. Mutabile corpus per ætates, per corruptiones, per alimenta, per refectiones, per defectiones, per vitam, per mortem.

Enarrat. in Ps. cxliv. *v.* 8. *n.* 11. *Longanimis :* Quantos enim sustinet peccatores ? *Misericors et miserator Dominus*, in his quibus veniam dedit : in his quibus adhuc non dedit, *longanimis*, non damnans, sed exspectans, ipsa exspectatione clamans (*Zachar.* i. 3.), *Convertimini ad me et convertar ad vos.* Et nimiâ longanimitate, *Nolo*, inquit (*Ezech.* xxiii. 11.) *mortem impii, quantum ut revertatur et vivat.* Ille quidem longanimis : tu autem (*Rom.* ii. 5. 6.) *secundùm duritiam cordis tui et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera sua.* Non enim modò sic longanimis in sustinendo, ut nunquam justus in vindicando. Distribuit tempora : vocat te nunc, exhortatur te nunc ; exspectat donec resipiscas, et tu tardas ? Magna ejus misericordia, et in hoc quòd diem vitæ tibi incertum fecit, ut nescias quando hinc emigrabis ; et cùm quotidiè speras te migrare, aliquando convertaris : et in hoc magna ejus misericordia. Cæterum si statuisset diem omnibus, faceret abundare peccata de securitate. Dedit ergo spem veniæ, ne desperando amplius pecces. Et spes, et desperatio timenda est in peccatis. Videte vocem desperantis ad augenda peccata, et quomodo utrique voci occurrit providentia et misericordia Dei. Audi vocem desperantis : Jam, inquit, damnandus sum, quare non facio quidquid volo ? Audi et vocem sperantis : Misericordia Domini magna est, quando me convertero, dimittet mihi omnia ; quare non facio quidquid volo ? Desperat, ut peccet ; sperat ut peccet. Utrumque metuendum est, utrumque periculosum : væ à desperatione, væ à perversa spe. Utrique huic periculo et utrique

§. 15. De Judicio Particulari.

I. Quonam abit anima nostra statim atque separatur à corpore ?

R. Statim rapitur ante tribunal Christi, rationem reddituræ de omnibus, quæ fecit, sive bona illa sint, sive mala. (A) Est autem accuratissima ea ratio. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*, inquit Christus ipse. (*Matth.* XII. 36.) (B)

I. Quænam sunt, quæ subjiciuntur Christi Judicis examini ?

R. 1. Peccata omnia et singula cogitatione, verbo, opere, omissione admissa.

2. Prava exempla aliis objecta.

malo quomodo occurrit misericordia Dei ? Quid dicis tu, qui desperando volebas peccare ? Jam damnandus sum, quare non facio quidquid volo. Audi Scripturam (*Ezech.* XXXIII. 11.), *Nolo mortem impii, quantum ut revertatur et vivat.* Hac voce Dei reducitur in spem : sed timendus est alius laqueus, ne ipsà spe ampliùs peccet. Quid ergo et tu dicebas qui spe magis peccas ? Quando me convertero, omnia mihi Deus dimittet, faciam quidquid volo. Audi et tu Scripturam : Ne tardas converti ad Dominum, neque differas de die in diem : subitò enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. Noli ergo dicere, Cras me convertam, cras Deo placebo ; et omnia hodierna et hesterna dimittuntur mihi. Verum quidem dicis, quia Deus conversioni tuæ indulgentiam promisit : sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit.

Tract. 44. *in Joan. n.* 7. *et* 8. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (H)

Serm. 20. *aliàs* 1. *ex Sirmond. n.* 3. Si desperes, peris ; si speres, peris. Ubi tibi tutus locus erit, ut ab utraque fovea te eripias, et constituas te in via recta, serviens Deo, miserans animam tuam, placens Deo ? Malè desperabas ; audisti : In quacunque die conversus fuerit iniquus, omnes iniquitates ejus obliviscar. Malè sperare cœperas ; audisti : Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem. Undique te circumdedit providentia Dei misericorditer. Quid dicis ? Promisit mihi Deus indulgentiam, quando me convertero, dabit eam. Planè dabit, quando te converteris : sed quare te non convertis ? Quoniam quando me convertero, dabit. Prorsùs, quando te converteris, dabit : sed ipsum quando, quando est ? Quare non hodie est ? Quare non cùm tu me audis ?.... Cras, inquit, indulgentiam mihi Deus promisit. Cras tu tibi promittis ?.... Si erit crastinus dies, sit et hodiernus.... Si enim non erit crastinus dies, hodiernus te securum inveniet.

(A) ROM. XIV. 10.... Omnes stabimus ante tribunal Christi.

2. COR. V. 10. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

HEBR. IX. 27.... Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.

(B) SOPHON. I. 12. Et erit in tempore illo, scrutabor Jerusalem in lucernis : et visitabo super viros defixos in fæcibus suis : qui dicunt in cordibus suis, Non faciet benè Dominus, et non faciet malè. 13. Et erit fortitudo eorum in direptionem, et domus eorum in desertum.... 14. Juxtà est dies Domini magnus, juxtà est et velox nimis : vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. 15. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, 16. dies tubæ et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos. 17. Et tribulabo homines, et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt : et effundetur sanguis eorum sicut humus, et corpora eorum sicut stercora. 18. Sed et argentum eorum, et aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini : in igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.

3. Aliena peccata, quorum participes fuerimus.

4. Virtutes ipsæ, quas vitiavit vel perversa intentio vel aliud quidpiam imperfectionis iis adjunctum.

Uno verbo, quidquid agendum nobis fuit ex obligatione vel generali, vel particulari, vel personali, quod quidem fusiùs alibi explicabimus, totum id ad amussim et æquâ lance expendetur à Judice integerrimo juxtà et perspicacissimo, qui cordium secreta planè intuetur, et ante cujus oculos omnia nuda et aperta sunt. (C)

I. Ad quam lancem expendentur facta hominum?

R. Non ad leges pravo usu, malà consuetudine, exemplo, opinione, præjudiciis hominum receptas, sed ad normam et trutinam veritatis æternæ, verbi divini, Evangelii Christi. Perpendat unusquisque coram Deo, nùm vita sua cum hàc regulà conveniat. (D)

(C) ECCLE. XII. 14. Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.

MATTH. XXV. 30. Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus et stridor dentium. 21. Cùm autem venerit Filius hominis in majestate sua,.... 32. congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis. 33. Et statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. 34. Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. 35. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me: 36. nudus, et cooperuistis me: infirmus, et visitastis me: in carcere eram, et venistis ad me.... 41.... Dicet et his, qui à sinistris erunt: discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus. 42. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi, et non dedistis mihi potum: 43. Hospes eram, et non collegistis me: nudus, et non cooperuistis me: infirmus, et in carcere, et non visitastis me.

ROM. II. 5. Secundùm autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei; 6. qui reddet unicuique secundùm opera ejus.

Ibid. 16. In die, cùm judicabit Deus occulta hominum, secundùm Evangelium meum per Jesum Christum.

2. COR. V. 10. *Vide suprà litt.* (A) *hocce* §.

GALAT. VI. 5. Unusquisque enim onus suum portabit.

JACOB. II. 13. Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam; superexaltat autem misericordia judicium.

1. PETR. IV. 5. Reddent rationem ei, qui paratus est judicare vivos et mortuos.

JUDÆ. 14... Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, 15. facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, et de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii.

APOCALYPS. XX. 12. Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt: et alius liber apertus est, qui est vitæ; et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum. 13. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant: et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant: et judicatum est de singulis secundùm opera ipsorum. 14. Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda. 15. Et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

(D) JOAN. XII. 48. Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui judicet eum: sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.

I. Quis Judex sedet ?

R. Christus Jesus Dominus noster, cui dedit Pater omne judicium ; qui merito mortis et resurrectionis suæ constitutus est Judex vivorum et mortuorum. (E)

I. Quænam sunt in hoc judicio, quæ peccatorem maximè terrere debeant ?

R. 1. Ratio omnium et singulorum ad amussim reddenda, ut jam diximus.

2. Integritas et perspicacia Judicis, quem nihil latere potest.

3. Judicis ira tunc omninò implacabilis.

4. Pudor et confusio peccatoris, qui stat ibi omni excusatione, omni perfugio, omni solatio destitutus ; solo peccatorum suorum pondere pressus, revocans frustrà in memoriam tot à se neglectas et despectas salutis occasiones, tot Christi auxilia rejecta, et sentiens seriùs, quàm vana fuerit peccati delectatio.

5. Tandem incertum esse quâ die standum sit ante tribunal hujus Judicis. (F)

(E) MATTH. XIX. 28... Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.

XXV. 31. *Vide suprà litt.* (C) *hocce* 2.

JOAN. V. 22. Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.

ACTOR. X. 42. Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo Judex vivorum et mortuorum.

ROM. II. 16. *Vide suprà litt.* (C) *hocce* 2.

(F) EZECHIEL. VII. 2..... Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ. 3. Nunc finis super te, et immittam furorem meum in te : et judicabo te juxta vias tuas : et ponam contra te omnes abominationes tuas. 4. Et non parcet oculus meus super te ; et non miserebor : sed vias tuas ponam super te, et abominationes tuæ in medio tui erunt : et scietis quia ego Dominus. 5.... Afflictio una, afflictio ecce venit. 6. Finis venit, venit finis, evigilavit adversùm te : Ecce venit. 7. Venit contritio super te, qui habitas in terrâ : venit tempus, propè est dies occisionis.... 8. Nunc de propinquo effundam iram meam super te, et complebo furorem meum in te : et judicabo te juxta vias tuas, et imponam tibi omnia scelera tua : 9. et non parcet oculus meus, nec miserebor, sed vias tuas imponam tibi, et abominationes tuæ in medio tui erunt : et scietis, quia ego sum Dominus percutiens. 10. Ecce dies, ecce venit : egressa est contritio..... 12. Venit tempus, appropinquavit dies : ..... quia ira super omnem populum ejus.

S. AUG. *Serm.* 9. *aliàs* 96. *de Tempore, c.* 1. *n.* 1. Dominus et Deus noster misericors et miserator et verax, quàm largiter prærogat misericordiam in præsenti seculo, tam severè minatur judicium in futuro..... Gaudeamus ad misericordiam Domini : sed timeamus ad judicium Domini. Parcit, dùm tacet. Tacet, sed non semper tacebit. Audi, dùm non tacet in verbo, ne non tibi vacet audire, dùm non tacebit in judicio.

Serm. 17. *aliàs* 28. *ex homil.* 50. *c.* 1. *n.* 1. *Deus manifestus veniet, Deus noster, et non silebit.* Deum Christum Scriptura prædixit venturum ad judicium vivorum et mortuorum. Quando enim priùs venit judicari, occultus fuit : quando veniet judicare, manifestus erit.

Cap. 5. *n.* 5... Arguam te : Quomodo non pulas, et quando non pulas. *Arguam te :* Sileo cùm facis : sed non sileo cùm judico. *Arguam te :* Quid tibi faciam, quandò arguam te ? *Statuam te ante faciem tuam..* Videbis te, et planges te : et non erit jam tunc quomodo corrigas te. Contemnis ergo

I. Quid agendum, ut his omnibus occurratur?

R. 1. Implendæ nunc sunt à nobismetipsis partes Judicis accurati et integri. Si enim nosmetipsos judicemus, non judicabimur utique à Domino judicio ultionis, sed judicio misericordiæ. (G)

2. Flectenda nunc lacrymis nostris et pœnitentiâ, nostri Judicis ira. (H)

tempus misericordiæ, veniet tempus judicii... Tempus est misericordiæ, ut corrigamur: Nondum venit tempus judicii. Locus est, spatium est: peccavimus, corrigamur.

Cap. 7. *n.* 7.... Quis tibi dixit, quia longè est dies judicii? Numquid si longè est dies judicii, longè est dies tuus?... Nonne cas s nostros nobiscum in hac carne portamus? Nonne fragiliores sumus, quàm si vitrei essemus?.... Vita humana tota brevis est, ab infanti usque ad decrepitam senectutem tota brevis est... Quotidiè moriuntur homines.

Enarrat. in Psal. XLVIII. *n.* 6... Si ergo vitet iniquitatem calcanei sui, et ambulet per vias Dei; non perveniet ad diem malam: Dies mala, dies novissima, non erit illi mala... modò cùm vivunt, provideant sibi, tollant iniquitatem à calcaneo suo.

In Psal. XLIX. *n.* 6... Venit occultus judicandus, veniet manifestus judicaturus: venit occultus, ut ante judicem staret; veniet manifestus, ut etiam de judicibus judicet...

N. 7... Supplicia terreant, quem præmia non invitant. Vile tibi est quod Deus pollicetur, contremisce quod minatur.... Excutiat ergo unusquisque cor suum, et videat quid ibi fides teneat. Si credimus futurum judicium, benè vivamus. Tempus misericordiæ nunc est, tempus judicii tunc erit. Nemo dicet: Revoca me ad priores annos. Pœnitebit et tunc, sed frustrà pœnitebit: modò pœniteat, cùm fructus est pœnitendi; modò adhibeatur ad radices arboris cophinus stercoris, cordis luctus et lacrymarum, ne veniat et eradicet. Cùm enim eradicaverit, jam ignis exspectatur.

N. 8... Erit illa ventilatio, quà separabitur à sanctis omne immundum, à fidelibus omnis simulatio, à piis et trementibus verbum Dei omnis contemptor et superbus.

(G) 1. Cor. XI. 28. Probet autem seipsum homo:.... 31. Quòd si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. 32. Dum judicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

S. Aug. *in Psal.* XLIX. *n.* 28.... A vindicta supersedi, severitatem meam distuli, patientiam tibi prolongavi, pœnitentiam tuam diù exspectavi... modo... fac,.... quidquid minatur facere Deus. Tolle te à tergo tuo, ubi te videre non vis, dissimulans à factis tuis, et constitue te ante te. Ascende tribunal mentis tuæ, esto tibi Judex, torqueat te timor, erumpat à te confessio.

In Psal. LXXIV. *n.* 2..... Qui se conterit, irascitur sibi. Se habeat iratum, ut illum habeat propitium: se habeat judicem, ut illum habeat defensorem.

(H) S. Aug. *Serm.* 18. *aliàs* 220. *de Tempore, c.* 1. *n.* 1. Ipse enim Dominus Christus, Deus noster, Filius Dei, primo adventu venit occultus, secundo adventu veniet manifestus, innotescet bonis et malis. Quandò venit occultus, venit judicandus; quandò veniet manifestus, veniet judicaturus.

Cap. 2. *n.* 2. Si nunquam in præsenti judicaret, non esse Deus crederetur: si omnia in præsenti judicaret, nihil judicio reservaret. Ad hoc enim multa servantur judicio, et quædam in præsentia judicantur, ut illi, qui differuntur, timeant et convertantur. Non enim amat Deus damnare, sed salvare: et ideò patiens est in malos, ut de malis faciat bonos.

Serm. 19 *aliàs* 4. *ex Sirmondianis, n.* 2.. Peccatum impunitum esse non potest: si peccatum impunitum remanet, injustum est. Ergo sine dubitatione puniendum.... Punitur ergo peccatum, aut ab homine pœnitente, aut à Deo judicante.

3. Nullis parcendum laboribus, ut pax bonæ conscientiæ teneatur. (I)

4. Vigilandum et orandum omni tempore, ne incautos et imparatos hora judicii aliquando præoccupet. (K)

I. Timendusne est vel ipsis justis Judicii dies ?

R. Est quoque undè justi timeant eum diem. Tum quia nemo scit utrùm amore an odio dignus sit. (L) Tum quia si iniquitates hominum Deus seclusâ misericordiâ discuteret, nemo posset Judicis præsentiam sustinere. (M)

(I) S. Aug. *in Psal.* xxxvii. *v.* 16. *n.* 21. Apud Deum causa tua dicenda est ? Quando Deus judex erit, alius testis, quàm conscientia tua, non erit. Inter judicem justum et conscientiam tuam noli timere nisi causam tuam.

Serm. 47. *c.* 7. *n.* 8. Danda ergo opera est puræ conscientiæ : et si forlè aliquis inest scrupulus, præveniamus faciem ejus in confessione. Præveniamus eum, ne nos ipse præveniat. Post confessionem non afferet ultionem, si et tu post confessionem non repetas iniquitatem. Præveni, antequam præveniaris... Noli differre medicinam tuam.

(K) Luc. xxi. 34. Attendite autem vobis, ne forè graventur corda vestra in crapulâ, et ebrietate, et curis hujus vitæ : et superveniat in vos repentina dies illa : 35. Tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. 36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.

S. Aug. *Serm.* 255. *alias* 6. *inter additos à Parisiensibus, c.* 3. *n.* 4. *in fine*... Curiositas abscedat, pietas succedat. Quid ad te quando veniet ? Sic vive, quasi hodiè venturum sit (*tempus judicii*,) et non timebis, cùm venerit.

Epist. 199. *alias* 80. *c.* 1. *n.* 3. *ad Hesychium. Vigilate ergo, quia nescitis quandò Dominus domûs veniat, serò, an mediâ nocte, an galli cantu, an manè, ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.* (*Marc.* xiii. 35.) Quibus enim *omnibus* dicit, nisi electis et dilectis suis ad corpus ejus pertinentibus, quod est Ecclesia ? Non solùm ergo illis dixit, quibus tunc audientibus loquebatur ; sed etiam illis, qui fuerunt post illos, ante nos, et ad nos ipsos, et qui erunt post nos usque ad ejus novissimum adventum... Tunc enim unicuique veniet dies ille, cùm venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis judicandus est illo die. Ac per hoc vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum inveniat eum Domini adventus. Imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit suæ vitæ hujus ultimus dies.

In Psal. cxlvii. *n.* 3... Territi sumus de die novissimo. Terror ille securitatem parturit : territi enim præcavemus, præcaventes securi erimus. Quomodò enim præpostera securitas in terrores impellit, ita ordinata sollicitudo securitatem parit. Territi autem sumus, ne præsentem vitam deficientem, volaticam, transitoriam, sic amemus, quasi alia nulla sit.

(L) Eccle. ix. 1... Nescit homo utrùm amore, an odio dignus sit.

1. Petr. iv. 18. Et si justus vix salvabitur, impius, et peccator ubi parebunt ?

(M) Psal. cxxix. 3. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit ?

Vide suprà litt. (L) 1. Petri. iv. 18. *hocce* §.

S. Aug. *in Psal.* cxxix. *n.* 2.... Clamat sub molibus et fluctibus iniquitatum suarum. Circumspexit se, circumspexit vitam suam, vidit illam undiquè flagitiis et facinoribus coopertam : quàcunque respexit, nihil in se bonum invenit, nihil illi justitiæ serenum potuit occurrere. Et cùm tanta et tam multa peccata undiquè et catervas scelerum suorum videret, tanquam expavescens exclamavit : *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit*..... Vidit enim propè totam vitam humanam circumlatrari peccatis suis, accusari omnes conscientias cogitationibus suis, non inveniri cor castum præsumens de sua justitiâ. Si ergo cor cas-

Sed timor justorum fide, spe, et caritate temperatus, non est sine consolatione. Imò in multis eò usque prævalet caritas, ut judicii diem et exspectent et cum voluptate meditentur et postulent. (N)

tum non potest inveniri, quod præsumat de suâ justitiâ, præsumat omnium cor de misericordia Dei.

N. 3.... Si non esset apud te propitiatio, si Judex solùm esse velles et misericors esse nolles, observares omnes iniquitates nostras, et quæreres eas, quis substineret? Quis ante te staret, et diceret, Innocens sum? Quis staret in judicio tuo? Spes ergo una est, *quoniam est apud te propitiatio.*

N. 5.... Venturus est Dominus, et inventurus peccata tua.... Ille (*David*) considerans quàm multa minuta peccata quotidiana committat homo, si nihil aliud, vel per cogitationes et linguam attendit quàm multa sint; et si attendit quàm minuta sint, videt per multa minuta fieri acervum magnum; et non quasi peccata sua pristina cogitans, sed ipsam fragilitatem humanam, jam ascendens clamat, *De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* Vitare possum homicidia, adulteria, rapinas, perjuria, maleficia, idololatriam: nunquid et peccata linguæ? nunquid et peccata cordis?... Si nobiscum severus Judex agere volueris, non misericors Pater, quis stabit ante oculos tuos?

PSAL. CXLII. 2. Et non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificatur in conspectu tuo omnis vivens.

S. AUG. *in Psal.* CXLII. *v.* 2. *n.* 6... Noli ergo mecum intrare in judicium, Domine, Deus meus. Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de thesauro tuo regulam, coaptas me ad eam, et pravus invenior. *Ne intres in judicium cum servo tuo.*. Misericordiâ indigeo, fugitivus redeo, pacem quæro, non sum dignus vocari filius tuus.

(N) S. AUG. *Libr. de Sententia Jacobi, seu Epist.* 167. *alàs* 29. *ad Hieron. c.* 6. *n.* 19. *Quoniam in multis offendimus omnes.* Suggerit Dominicam tanquam quotidianam quotidianis, et si levioribus, tamen vulneribus medicinam. *Judicium enim sine misericordiâ illi, qui non facit misericordiam.* Hinc enim et Dominus, (*Luc.* VI. 37.) *Dimittite, et dimittetur vobis; date, et dabitur vobis.* (*Jac.* II. 13.) Superexaltat autem misericordia judicio.

N. 20. Et hoc utique justum est, ut dimittatur eis, quia dimiserunt, et detur eis, quia dederunt. Inest quippè Deo et misericordia judicanti, et judicium miseranti.... Quæ igitur spes nisi superexallet misericordia judicio?.... Denique sanctus Jacobus.... quos vehementer terruerat, consolatur; cùm admonet, quomodò etiam quotidiana peccata, sine quibus hic non vivitur, quotidianis remediis expientur: ne homo, qui cùm in uno offenderit, fit omnium reus, in multis offendendo, (quia in multis offendimus omnes) propter magnum aggerem reatûs sui minutatim collectum, ad tribunal tanti judicis perveniat, et eam, quam non fecit, misericordiam non inveniat: sed potiùs dimittendo atque dando mereatur sibi dimitti peccata, reddique promissa.

In Psal. C. *n.* 2.... Judicium.... formidandum malis propter pœnam, amandum bonis propter coronam.... Si reddere vellet, quid inveniret quod redderet peccatori, nisi pœnam et supplicium. Noluit reddere pœnam, sed donavit gratiam. Audi quia ille cui donavit, tenet Dominum etiam debitorem. Invenit cum donatorem tempore misericordiæ, tenet debitorem tempore judicii.... De cætero superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. Non dixit, donat; sed, reddet. Quando donabat, misericors erat: quando reddet, judex erit: quia, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.* Sed donando delicta, fecit se coronæ debitorem: ibi misericordiam consecutus sum. Misericors ergo Dominus primò, hic autem reddet mihi coronam justitiæ. Undè reddet? Quia justus judex est. Quare justus judex? Quia bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Ideò justus non potest nisi coronare ista. Invenit enim ista, quæ coronaret: anteà verò quid invenerat? qui priùs fui blasphemus et persecutor. Ista donavit,

I. Quo fundamento nititur consolatio justorum quâ temperatur judicii metus ?

R. Meritis Christi, ejus promissis, Dei optimi maximi misericordiâ, propriæ conscientiæ testimonio minimè fallaci. (O)

I. Cur justi quidam judicii diem expetunt, et cum voluptate meditantur ?

R. Quia caritas diffusa in cordibus eorum per Spiritum sanctum facit, ut cupiant liberari à corpore mortis hujus, et judicium contemplentur, tanquam triumphum veritatis, sanctitatis, majestatis Christi, deniquè tanquam felicem illum diem, quo ipsi soluti vinculis carnis asserentur planè in libertatem Filiorum Dei, et cum Christo regnabunt in æternum. (P)

illa coronabit : donavit hæc tempore misericordiæ, coronabit illa tempore judicii.

(O) *Psal.* CXXIX. 4. Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te Domine. Sustinuit anima mea in verbo ejus.

LUC. XXI. 28. His autem fieri incipientibus respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.

1. COR. IV. 4. Nihil mihi conscius sum : sed non in hoc justificatus sum : qui autem judicat me, Dominus est. 5. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus ; qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique à Deo.

S. AUG. *in Psal. c. n.* 2. *Vide suprà litt.* (N) *hocce* 2.

(P) LUC. XXI. 28. *Vide suprà litt.* (O) *hocce* 5.

ROM. VI. 23. Stipendia peccati mors. Gratia autem Dei vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro.

2. COR. V. 1. Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. 2. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes : 3. Si tamen vestiti, non nudi inveniamur. 4. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus, gravati : eò quòd nolumus exspoliari, sed supervestiri ; ut absorbeatur quod mortale est, à vita.... 6. Audentes igitur semper, scientes quoniam dùm sumus in corpore, peregrinamur à Domino : .... 8.... et bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, et præsentes esse ad Dominum. 9. Et ideò contendimus, sive absentes, sive præsentes, placere illi. 10. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.

APOCALYPS. XXII. 20.... Etiam venio citò : amen. Veni Domine Jesu.

S. AUG. *Epist.* 199. *alias* 80. *ad Hesychium*, *c.* 1. *n.* 1. Valdè salubriter exhortaris, ut Salvatoris nostri diligatur et desideretur adventus. Facis hoc ut servus bonus ejusdem patris familias, avidus lucrorum Domini tui, et volens habere plurimos socios dilectionis, quâ ipse præcipuè et perseveranter accenderis. Intuentes igitur quod commemorasti de Apostolo, quia Dominum dixit redditurum coronam justitiæ non tantùm sibi, sed omnibus, qui diligunt manifestationem ejus, ita rectè vivimus, et in hoc seculo tanquam peregrini agimus, cùm se in hac dilectione cor nostrum proficientes extendit, sive citiùs sive tardiùs veniat quàm putatur, cujus manifestatio fideli caritate diligitur, et pio desideratur affectu.. quo ardebat ille qui dicebat (*Ps.* XLI. 2.) *Sitivit anima mea ad Deum vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei* ? Dicendo enim, *quando veniam* ? moras se perpeti molestè ferebat : quia etiam quod tempore acceleratur, desiderio tardum videtur.

Cap. 5. *n.* 14. Diligendus ergo est, et exspectandus, sicut sanctè hortaris, adventus Domini, magnamque dicis esse beatitudinem diligentibus ejus adventum.

Ad exspectationem magnæ illius diei nos hortatur Apostolus (*Tit.* II. 12. 13.) his verbis : *Apparuit gratia Dei et Salvatoris nostri omnibus hominibus , erudiens nos , ut abnegantes impietatem et secularia desideria sobriè et justè et piè vivamus in hoc seculo , exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei , Salvatoris nostri Jesu Christi.*

Et (*Philip.* III. 20. 21.) *Nostra conversatio in cœlis est , undè etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum , qui reformabit corpus humilitatis nostræ , configuratum corpori claritatis suæ , secundùm operationem , quâ etiam possit subjicere sibi omnia.*

§. 16. De statu uniuscujusque animæ post judicium.

I. Quo abeunt animæ post judicium particulare ?

R. Aliæ cum Christo permanent , et æternâ felicitate donantur : aliæ mittuntur in locum earum purgationi destinatum : aliæ detruduntur in infernum æternis plectendæ suppliciis.

Agemus in serie hujus operis de Paradiso §. 20. *hujusce Capitis* , de Purgatorio 3. *Part. Sect.* 1. *Cap.* 5. §. 17. , et de Inferno §. 11. *hujusce Capitis.*

I. Quinam illi sunt , quorum anima post particulare judicium , statim æternâ felicitate donatur ?

N. 15. Hoc planè piissimè et verissimè dicis , commendans eorum beatitudinem , qui diligunt adventum Domini.... Ille diligit adventum Domini.... qui sive propè , sive longè sit , sinceritate fidei , firmitate spei , ardore caritatis exspectat.

Serm. 213. *aliàs* 119. *de Tempore , cap.* 5. *n.* 5. Confiteamur Salvatorem , ne timeamus Judicem. Qui enim modò in eum credit , et præcepta ejus facit , et diligit eum , non timebit quandò veniet judicare vivos et mortuos : non solùm non timebit , sed ut veniat , optabit. Quid enim nobis felicius , quàm quandò venit quem desideramus , quandò venit quem amamus ? Sed timeamus , quia judex noster erit. Qui modò est advocatus noster , ipse tunc erit judex noster.... Et modò ipse pro nobis orat , ipse pro nobis interpellat. Advocatum eum habemus , et judicem timeamus. Immò quia advocatum præmisimus , securi judicem venturum speremus.

Serm. 299. *Edit. BB. n.* 4.... Si enim times , ne veniat Dominus , non diligis manifestationem ejus. Dominus Christus modò in occulto est ; manifestabitur tempore suo , judex futurus justè , qui fuit reus sub judice injustè. Venturus est : et quomodò venturus ? Judicaturus. Neque enim iterùm judicandus , sed utique jam judicaturus , sicut novimus , sicut credimus , de vivis et mortuis. Interrogo.... vis ut veniat judex iste ? Volo , inquit. Vide quid dicis : si verum dicis , si vis ut veniat , vide quomodò te inveniat : Judex enim venturus est.... Ne fortè ideò venturum exspectes , quia humilem venturum adhuc putas. Tacuit judicandus ; non tacebit judicaturus.

N. 5. Sed si servas fidem , diligis verè ejus manifestationem , securus coronam debes exspectare justitiæ : non enim donatur talibus , sed debetur. Nam et ipse Apostolus Paulus tanquam debitum flagitat : *Quam reddet* , inquit , *mihi Dominus , in illa die justus judex.* Reddet , quia justus est : fecit se mihi promissione debitorem.

In Psal. CXLVII. *n.* 1. Si enim amamus Christum , utique adventum ejus desiderare debemus. Perversum enim est , et nescio utrum verum , quem diligis , timere ne veniat : orare , Adveniat regnum tuum , et timere ne evandiaris.... Quis ergo venturus est ? Quare non gaudes ? Quis venturus est judicare te , nisi qui venit judicari propter te.

Vide §. *superiori auctoritates PP. litt.* (I)

R. Qui baptismalem innocentiam sic conservaverunt aut recuperaverunt, ut dùm è vivis excedunt, nullâ peccati etiam venialis maculâ teneantur, nihilque supersit ipsis eluendum aut pœnæ solvendum.

I. Quinam illi sunt, quorum anima mittitur in Purgatorium ?

R. Qui, dùm è vivis excedunt, nullâ quidem peccati mortalis maculâ tenentur, sed tamen nondùm ab omni peccati venialis labe purgati sunt, vel nondùm congruentem dedere pro peccatis satisfactionem.

I. Quinam illi sunt, quorum anima detruditur in infernum?

R. Qui moriuntur peccati mortalis labe inquinati.

I. Quid fit intereà de corporibus ?

R. Corrumpuntur in sepulcris, et revertitur pulvis in pulverem usque in diem Resurrectionis. (A)

Hæc est lex omnibus hominibus constituta. Ab eâ tamen eximuntur speciali privilegio Sancti nonnulli, quorum corpora præter naturæ ordinem servat Deus incorrupta ad pleniorem eorum sanctitatis manifestationem, et hostium Ecclesiæ confusionem, ut pluribus exemplis constat.

I. Quomodo novimus animas statim atque à morte solutæ sunt, vel suppliciis vel præmiis affici, non exspectato ultimi judicii die ?

R. Id Scripturâ et Traditione constat, et Ecclesia definivit.

Scriptura quidem : legimus enim in Evangelio Divitem epulonem statim à morte sepultum fuisse in inferno, ibique cruciari. Legimus ibidem Pauperem Lazarum translatum fuisse in sinum Abrahæ, ibique frui æternâ consolatione. (B)

In eodem Evangelio Christus bonum latronem alloquens ait (*Luc.* XXIII. 43.), *Hodiè mecum eris in Paradiso.*

Paulus Apostolus ad Philippenses scribens ait (I. 23.), *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Ergo statim post sui corporis dissolutionem futurum se in cœlis cum Christo confidebat.

Id ipsum capite 5. secundæ Epistolæ ad Corinthios (7. 8. 9. *et* 10.) apertè innuit his verbis : *Per fidem ambulamus et non per speciem : audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, et præsentes esse ad Dominum. Et ideò contendimus, sive absentes, sive præsentes, placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

(A) GENES. III. 19. Donec revertaris in terram, de qua sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris.

ECCLE. XII. 7. Et revertatur pulvis, interram suam undè erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

(B) LUC. XVI. 22. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.

Ex his Apostoli verbis duo manifestè colliguntur. 1° Animam statim atque soluta est à corpore sisti ante tribunal Christi ; 2° Frui statim visione beatificâ, si rectè vixerit. Et ex duobus his capitibus duo concludit Apostolus : 1° Contendit in omnibus placere Deo, ut possit stare cum fiducia ante tribunal Filii hominis statim à morte. 2° Optat corporis sui dissolutionem, ut ruptâ corporis compage, possit anima statim præsens esse ad Dominum.

Nec minùs perspicuum est quod legimus in Apocalypsi capite quarto et quinto. Vidit Joannes Apostolus cœlum apertum, et Deum in throno sedentem, et circa thronum quatuor animalia et viginti quatuor seniores, et in medio *Agnum stantem tanquam occisum*, qui *cùm aperuisset librum* (Mysteriorum Dei), *quatuor animalia, et viginti quatuor seniores.... habentes singuli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum, cantabant canticum novum, dicentes : Dignus es Domine accipere librum et aperire, quoniam occisus es, et redemisti nos in Sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum et Sacerdotes, etc.*

Ex hac sancti Apostoli visione liquidò constat, sanctos Christi Sanguine redemptos cum Christo in cœlis, non exspectato ultimo judicii die, regnare et offerre intereà coram Agno, id est coram Christo, orationes Sanctorum in terris degentium.

Mitto brevitatis causâ cæterà testimonia Scripturarum.

Jam ad Traditionem veniamus. Certa illa est, ut patet ex testimoniis veterum Patrum, S. Ignatii Antiocheni Episcopi viri Apostolici et Martyris, S. Cypriani Episcopi et Martyris, Sancti Martini referente S. Sulpicio Severo in ejus vitâ, S. Basilii magni, S. Gregorii Nazianzeni, S. Gregorii Nysseni, S. Ambrosii, S. Chrysostomi, S. Augustini, S. Bernardi, etc. (C) Ex quibus manifestè constat hanc perpetuam fuisse Ecclesiæ fidem, Sanctos corpore solutos, non exspectato ultimo judicii die, cum Christo in cœlis regnare.

(C) S. Ignatii. *Epist. ad Roman. Edit. Vossianæ, p.* 59. Nunc incipio (*Christi*) discipulus esse ; nihil me zelare visibilium et invisibilium, ut *Jesu Christo* fruar. Ignis et crux, bestiarumque congregationes, dispersiones ossium, concisio membrorum, molitiones totius corporis, malæ punitiones diaboli in me veniant ; solùm ut Jesu Christo fruar... Illum quæro, qui pro nobis mortuus est ; illum volo, qui propter nos resurrexit. Ille lucrum mihi adjacet.... Dimittite me purum lumen aspicere.

S. Cyprian. *De Exhort. Martyrii, n.* 12. Dominus in Evangelio, ultor ipse persecutionis nostræ et remunerator passionis : Beati, inquit (*Matth.* v. 10. *et seq.*), qui persecutionem passi fuerint propter justitiam, quia ipsorum est regnum cœlorum. Et iterùm : Beati eritis cùm odio vos habuerint homines, et separaverint vos, et expulerint, et maledixerint nomini vestro, quasi nequam, propter Filium hominis. Gaudete in illa die, et exsultate ; ecce enim merces vestra multa est in cœlis. Et iterùm (*Matth.* x. 39.) ; Qui perdiderit animam suam propter me, hic salvabit illam. Nec solos animadversos et interfectos divinæ pollicitationis manent

præmia, sed etiamsi ipsa passio fidelibus desit, fides tamen integra atque invicta persteterit, et contemptis ac relictis suis omnibus Christum se sequi Christianus ostenderit, ipse quoque à Christo inter Martyres honoratur, pollicente ipso et dicente (*Marc.* x. 29.) : Nemo est qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, et non recipiat septies tantùm in isto tempore, in seculo autem venturo vitam æternam. Item in Apocalypsi (VI. 9.) hoc idem loquitur : Et vidi, inquit, animas occisorum propter nomen Jesu et sermonem Dei : et cùm primo in loco posuisset occisos, addidit (*Ibid.* XX. 4.) dicens : Et quicunque imaginem Bestiæ non adoraverunt, nec acceperunt inscriptionem in fronte aut in manu sua ; quos universos à se in eodem loco simul visos conjungit et dicit (*ibid.*) : Et vixerunt et regnaverunt cum Christo. Vivere omnes dicit et regnare cum Christo, non tantùm qui occisi fuerint, sed et quicunque in fidei suæ firmitate, et Dei timore perstantes, imaginem Bestiæ non adoraverint, neque ad funesta ejus, et sacrilega edicta consenserint.... Non sunt, inquit (*Rom.* VIII. 18.), condignæ passiones hujus temporis ad superventuram claritatem, quæ revelabitur in nobis. Quis ergo non omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem pervenire, ut amicus Dei fiat, ut cum Christo statim gaudeat ? Ut post tormenta et supplicia terrena, præmia divina percipiat ? Si militibus secularibus gloriosum est, ut, hoste devicto, redeant in patriam triumphantes : quantò potior et major est gloria, victo diabolo, ad paradisum triumphantem redire.... Clauduntur in persecutionibus terræ, sed patet cœlum : minatur Antichristus, sed Christus tuetur : mors infertur, sed immortalitas sequitur : occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur : vita temporalis exstinguitur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas et quanta securitas exire hinc lætum, exire inter pressuras et angustias gloriosum : claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur et Christus ? Tam feliciter migrandi, quanta velocitas ? Terris repentè subtraheris, ut in regnis cœlestibus reponaris.

Epist. ad Antonianum, paulò post medium, loquens de pœnitentibus lapsis et de Martyribus. Aliud est, inquit, ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire : aliud missum in carcerem non exire indè, donec solvat novissimum quadrantem ; aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem : aliud pro peccatis longo dolore cruciatuum emundari, et purgari diù igne ; aliud peccata omnia passione purgasse : aliud deniquè pendere in die judicii ad sententiam Domini, aliud statim à Domino coronari.

Auctoritates ex Lib. S. Cypriani *de Mortalit. Vide suprà hujusce Capitis* §. 14. *litt.* (M)

S. ATHANAS. *in Vita S. Anton. pag.* 469. *tom.* 2. *edit. Commelin. anni* 1600. Alio rursùs in tempore cùm (*B. Antonius*) sederet in monte, et oculos tetendisset in cœlum, vidit, nescio quam animam, lætantibus in ejus occursum Angelis, ad cœlum pergere. Cujus spectaculi novitate stupefactus, beatum dixit sanctorum chorum, oravitque ut sibi præsentis agnitio panderetur.

D. BASIL. *Homil.* 20. *in quadrag. Martyr. p.* 298. Patria igitur horum Martyrum, Dei civitas est, cujus auctor atque conditor ipse Deus. Hæc est superna Hierusalem, quæ libera est, quæ est mater Pauli et omnium ei similium... O communes generis humani custodes, optimi curarum socii, precum ac votorum invicem suffragatores, legati apud Deum potentissimi, astra mundi, flores Ecclesiarum vos non terra contexit, sed cœlum excepit : apertæ sunt vobis paradisi portæ....

S. GREGOR. NAZIANZ. *Oratio undec. in Gorgon. pag.* 189. Equidem non dubito, quin iis, quæ oculis cernuntur, multò præstantiora sint ea, quibus nunc frueris, nempè sonus epulantium, Angelorum chorea, cœlestis ordo, gloriæ contemplatio, cùm alius, tùm supremæ Trinitatis purior et perfectior illuminatio, non jam vinctam mentem ac per sensus diffusam suffugientis, sed totam sese toti menti contemplandam et tenendam præbentis, totoque divinitatis lumine animis nostris affulgentis.

Orat. viges. in laudem S. Basilii, pag. 350. Mors porrò beneficii mihi loco erit : citiùs enim me ad Deum transmittet, cui vivo, et munere meo fungor, maximàque ex parte mortem obii, et ad quem jampridem propero....

Pag. 371. Ipse ad Angelos eos, à quibus abducebatur, postremis his verbis habitis, (*Ps.* XXX. 6.) In manus tuas commendo spiritum meum; animam lætus exhalavit.

Pag. 372. Ac nunc ille quidem in cœlis est, illic etiam, ni fallor, sacrificia pro nobis offerens, et pro populo preces fundens.

Pag. 373. E cœlo nos quæso inspice; nosque, posteaquàm ex hàc vitâ migraverimus, illic quoque tabernaculis tuis excipe: ut simul viventes, et sanctam ac beatam Trinitatem, cujus nunc exiguam speciem et imaginem accepimus, puriùs pleniùsque cernentes, desideriis nostris finem statuamus, ac bellorum eorum, quæ intulimus, vel pertulimus, hoc præmium referamus.

S. GREGOR. NYSS. *Orat. in S. Ephrem.* In cœlestibus tabernaculis animus illius consedit, ubi sunt ordines Angelorum, ubi Patriarcharum populi, ubi chori Prophetarum, ubi sedes Apostolorum, ubi gaudium Martyrum, ubi piorum lætitia, ubi Doctorum splendor, ubi celebres primogenitorum cœtus, ubi puræ lætantium voces. *Et paulò post.* Tu verò divino assistens altari, vitæque principi, et sacrosanctæ unà cum Angelis sacrificans Trinitati, omnium nostrûm recordare, nobisque peccatorum veniam impetra.

S. AMBROS. *De Caïn et Abel, lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 31. Deus justos suos audit etiam mortuos, quoniam Deo vivunt. Et meritò pro viventibus habentur; quia etiamsi corporis gustaverint mortem, vitam tamen incorpoream capiunt, et illuminantur suorum splendore meritorum, luce quoque fruuntur æternâ.

De bono Mort. cap. 2. *n.* 49. Justi hanc remunerationem habent, ut videant faciem Dei, et lumen illud, quod illuminat omnem hominem... Tunc, revelatâ facie, gloriam Domini speculari licebit....

Cap. 12. *n.* 53. Ibimus eò ubi paradisus est jucunditatis, ubi Adam, qui incidit in latrones, nescit jam vulnera sua flere, ubi et latro ipse Regni cœlestis consortio gratulatur, ubi.... sola Dei fulgebit claritas. Dominus enim erit lux omnium; et illud lumen verum, quod illuminat omnem hominem (*Joan.* I. 9.), fulgebit omnibus. Ibimus eò ubi servuîis suis Dominus Jesus mansiones paravit, ut ubi ille est, et nos simus.

S. HIERONYM. *Epist.* 20. *ad Marcellam, de exitu Leæ, tom.* 4. *pag.* 51. Universorum gaudiis prosequenda sit, (*Lea*) quæ, calcato diabolo, coronam jam securitatis accepit.... Nunc igitur pro brevi labore æternâ beatitudine fruitur; excipitur Angelorum choris; Abrahæ sinibus confovetur,.... Christum sequitur, et dicit (*Ps.* XLVII. 9.): * *Quæcunque audivimus, ita et vidimus in civitate Dei nostri.*

Advers. Vigilant. pag. 283. *tom.* 4. Tu Deo leges pones? Tu Apostolis vincula injicies, ut usque ad diem judicii teneantur custodiâ: nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est (*Apoc.* XIV. 5.): *Sequuntur agnum, quocunque vadit....*

Epist. 53. *ad Theodor. de obitu Licinii, ibid. p.* 579. Non ejus vicem doleam, quem scio ad meliora transisse, dicente Moyse (*Exod.* III. 3.): *Transiens videbo visionem hanc magnam...* Gaudeas regnare cum Christo.... Ille jam securus et victor te aspicit de excelso, favet laboranti, et juxta se locum præparat.

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 32. *in Epist. ad Rom.* Paulus homo fuit sicut nos: verùmtamen quia multùm dilectionis erga Christum ostendit, cœlos ipsos transcendit jam cum Angelis constitutus: non solùm ergo admiremur ipsum, sed imitemur, ut mereamur hinc migrantes videre ipsum, et ineffabilis ejus gloriæ participes fieri.

Lib. 6. *de Sacerdot.* Narravit mihi quidam, qui hoc videre meruerat, quòd qui de hac vita emigrant, si Sanctorum mysteriorum cum pura et munda conscientia participes fuerint, ab Angelis hinc rectà in cœlum abducuntur.

In cap. 5. *posterior. ad Cor. hom.* 10. *p.* 759. Confide dùm adversa pateris: non solùm enim te liberat corruptione et molestiâ, sed etiam stasim te ad Dominum transmittit:.... Ne ullus præsentium amore detineatur, sed illis potiùs gravetur, neque moriturus indolescat, sed gaudeat, quasi ad majora profecturus bona.

Comment. in Epist. Pauli ad Philip. cap. 1. *sermo* 3. *p.* 1142. Gaudeamus

propter justos, non solùm viventes sed et mortuos. Nam.... isti mortui quoque vivunt.... in aliam quoque vitam translati beati sunt, eò quòd ad Christum hinc abierunt. Peccatores ubi fuerint, procul à Rege sunt, atque ideò digni qui fleantur. Justi verò sive hic, sive in futuro seculo fuerint, cum Rege sunt, illic tamen magis et propiùs, non per accessum ac fidem, sed facie ad faciem....

Homil. 47. Quid dices Paule, cùm hinc abiens, in ipsum cœlum migraturus sis, atque cum Christo futurus?

S. Aug. *Confess. lib.* 9. *cap.* 3. *n.* 6. Et nunc ille vivit in sinu Abrahæ. Quidquid illud est, quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus, tuus autem, Domine, adoptivus ex liberto filius, ibi vivit. Nam quis alius tali animæ locus? Ibi vivit, undè me multa interrogabat homuncionem inexpertum. Jam non ponit aurem ad os meum, sed spiritale os ad fontem tuum, et bibit quantùm potest sapientiam pro aviditate sua sine fine felix. Nec sic eum arbitror inebriari ex ea, ut obliviscatur mei, cùm tu, Domine, quem potat ille, nostri sis memor.

Lib. 12. *de Genesi ad litter. cap.* 34. *n.* 67. Tertium vero (*cœlum*), quod mente conspicitur ita secretà et remotà, et omninò abreptà à sensibus carnis atque mundatà, ut ea, quæ in illo cœlo sunt, et ipsam Dei substantiam, Verbumque Deum, per quod facta sunt omnia, in caritate Spiritûs sancti ineffabiliter valeat videre et audire: non incongruenter arbitramur, et illud esse Apostolum raptum, et ibi fortassis esse paradisum omnibus meliorem, et si dici oportet, paradisum paradisorum. Si enim animæ bonæ lætitia in rebus bonis est in omni creatura, quid eâ lætitiâ præstantius, quæ in Verbo Dei est, per quod facta sunt omnia?

In Joan. Evang. cap. 6. *tractat.* 26. *n.* 16. Cùm dixisset (*Christus*): *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam:* continuò subjecit, *Et ego resuscitabo eum in novissimo die:* ut habeat interim secundùm spiritum vitam æternam in requie, quæ sanctorum spiritus suscipit: quod autem ad corpus attinet, nec ejus vitâ æternâ fraudetur, sed in resurrectione mortuorum novissimo die.

Enarrat. in Psal. cxix. *n.* 6. *in fine.* Ibi (*in cœlesti Hierusalem*) omnes justi et sancti, qui fruuntur Verbo Dei sine lectione, sine litteris: quod enim nobis per paginam scriptum est, per faciem Dei illi cernunt.

De Civit. Dei, lib. 20. *cap.* 13. Animæ victrices gloriosissimorum Martyrum, omnibus doloribus ac laboribus superatis atque finitis, posteàquam mortalia membra posuerunt, cum Christo utique regnaverunt et regnant, donec finiantur mille anni, ut posteà receptis etiam corporibus jam immortalibus regnent.

Cap. 15. Si enim non absurdè credi videtur antiquos etiam Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse, donec eos indè sanguis Christi et ad ea loca descensus erueret, profectò deinceps boni fideles effuso illo pretio jam redempti, prorsus inferos nesciunt, donec etiam receptis corporibus, bona recipiant, quæ merentur.

Quæst. Evang. lib. 2. *quæst.* 38. *n.* 1. *versùs finem.* Sinus Abrahæ, requies beatorum pauperum, quorum est regnum cœlorum, in quo post hanc vitam recipiuntur.

N. 5. *circa med.* Jam sinus Abrahæ intelligitur secretum Patris, quò post passionem resurgens assumptus est Dominus: quò eum portatum ab Angelis ideò dictum puto, quia ipsam receptionem, quâ in secretum Patris abscessit, Angeli annuntiaverunt Discipulis intuentibus. Dicendo enim (*Act.* i. 11.): *Quid statis aspicientes in cœlum?* quid aliud dixerunt, nisi nullo modo posse oculos hominum usque in illud penetrare secretum, quò ibat Dominus, cùm in conspectu Discipulorum ferretur in cœlum?.... Quia secretum Patris benè intelligitur, ubi etiam ante resurrectionem justorum animæ vivunt cum Deo. Tantò enim veriùs ubiquè est Deus, quantò nullo continetur loco, sicut et latroni dictum est (*Luc.* xxiii. 43.), *Hodie mecum eris in Paradiso:* undè nunquam recessit Dei Filius.

S. Cyrill. *Catech.* 13. *pag.* 315. Nondùm Abraham fidelis ingressus

est, et latro ingreditur : nondùm Moyses et Prophetæ, et jam latro iniquus ingreditur. Admiratus est te etiam Paulus, dicens (*Rom.* v. 20.) : *Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia.* Qui tulerunt æstum, nondùm ingressi sunt : et qui undecima hora venit, ingressus est.

B. SULPICII SEVER. *Epist.* 2. *ad Aurelium Diacon. de obitu S. Martini*, *pag.* 189. In eum luminibus intentis, cùm exsatiari vultu illius conspectuque non possem, subitò mihi in sublime sublatus eripitur : donec emensâ aëris istius vastitate, cùm tamen rapidâ nube subvectum acie sequeremur oculorum, patenti cœlo receptus, videri ultrà non potuit. *Nec multò post.* Presbyterum sanctum Clarum, discipulum illius, qui nuper excesserat, video eamdem, quam magistrum viam scandere.... Congratulari cœperam visioni, cùm ad me puer familiaris ingreditur, solito tristior vultu, loquentis pariter et dolentis : Quid tu tam tristis loqui gestis ? *Duo*, inquit, *Monachi modò à Turonis adfuerunt : Dominum Martinum obiisse nuntiant....* Est enim ille, ut est consertus Apostolis ac Prophetis, et quod, pace Sanctorum omnium, dixerim, in illo justorum grege nulli secundus, ut spero, credo, confido, illis potissimùm, qui stolas suas in sanguine agni laverunt adgregatus : agnum ducem ab omni integer labe comitatur.

Epist. 3. *ad Basulam.* Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur ; Martinus hic pauper et modicus, cœlum dives ingreditur....

S. FULGENT. *Serm.* 3. *de S. Stephan. n.* 1. Hodiè miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migravit ad cœlum.... Depositis corruptibilibus corporis indumentis : ad cœli palatium perenniter regnaturus ascendit.... (*Luc.* II. 14.) *Gloria in excelsis Deo*, heri sancti Angeli exsultantes cantaverunt : hodiè Stephanum lætantes in suum consortium susceperunt.... Hodiè Stephanus stolâ est ab eo immortalitatis indutus... Hodiè immensitas cœli suscepit Stephanum triumphantem.

S. GREGOR. M. *Exposit. in sept. Psal. pœnit. psal. quart. n.* 9. De ipsis enim scriptum est (*Isaï.* LXI. 7.) : *In terra sua duplicia possidebunt.* Sancti etenim viri mundi gloriam mentis despectu calcantes, omnes in se carnales voluptates mortificant, ut in Deo postmodùm perenniter vivant. Qui quoniam mundi miseras pro Deo pati minimè refugiunt, beatitudinis æternæ retributionem acquirunt. Quæ nimirum beatitudo et animabus eorum ante resurrectionem tribuitur, et corporibus nihilominùs post judicium conferetur ; sicut in Apocalypsi Joannes Apostolus scribit, dicens (VI. 9. *et seq.*) : *Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter Verbum Dei, et testimonium quod habebant ; et clamabant voce magnâ, dicentes : Usquequo Domine sanctus et verus non vindicas sanguinem nostrum, de his qui sunt in terra ? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, et dictum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conservorum et fratrum ipsorum, qui interficiendi sunt sicut et illi.* Quid namque est singulas illis stolas albas tribuere, nisi animabus eorum beatitudinis æternæ immortalitatem conferre ?.... Quid verò est donec Electorum numerus impleatur requiescere, nisi futuræ resurrectionis gloriam exspectare ? in qua nimirùm iterum singulas stolas albas accipient ; quia immortalia et incorruptibilia corporum vestimenta resument. Quia ergo sancti viri ad æternæ felicitatis præmia non solùm animâ, sed etiam corpore post judicium transeunt, rectè de eis dicitur, qui *in terra sua duplicia possidebunt.*

Dialog. lib. 4. *cap.* 24. *Petrus....* Nosse velim, sic nunc, ante restitutionem corporum, in cœlo recipi valeant animæ justorum.

Cap. 25. *Gregorius.* Hoc neque de omnibus justis fateri possumus, neque de omnibus negare. Nam sunt quorumdam justorum animæ, quæ à cœlesti regno quibusdam adhuc mansionibus differuntur ; in quo dilationis damno quid aliud innuitur, nisi quod de perfecta justitia aliquid minus habuerunt ? Et tamen luce clarius constat, quia perfectorum justorum animæ mox ut hujus carnis claustra exeunt, in cœlestibus sedibus recipiuntur : quod et ipsa per se veritas attestatur, dicens (*Matth.* XXIV. 28.) *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ :* quia ubi ipse Redemptor noster est corpore, illud proculdubio colliguntur justorum animæ. Et Paulus dissolvi desiderat, et esse cum Christo. Qui ergo Christum in cœlo esse non dubitat, nec Pauli animam

esse in cœlo negat. Qui etiam de dissolutione sui corporis, atque de inhabitatione cœlestis patriæ, dicit (2. *Cor.* v. 1.) : *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, sed æternam in cœlis.*

Petrus. Si igitur nunc sunt in cœlo animæ justorum, quid est quod in die judicii pro justitiæ suæ retributione recipiant ?

Gregorius. Hoc eis nimirum crescit in judicio, quod nunc animarum solà, post modum verò etiam corporibus beatitudine perfruuntur : ut in ipsa quoque carne gaudeant, in qua dolores pro Domino cruciatusque pertulerunt. Pro hac quippe geminata eorum gloria scriptum est (*Isaï.* LXI. 7.) : *In terra sua duplicia possidebunt.*

S. BERNARD. *Serm.* 2. *in nat. S. Victoris Confess. n.* 2. Hodiè Victor, posito corpore, quo solo præpediri ab introitu gloriæ videbatur, tantò alacrior, quantò expeditior penetravit in sancta, similis factus in gloria Sanctorum.... Hodiè, despecto mundo, et mundi principe triumphato, supra mundum verè victor ascendit, accipiens de manu Domini coronam victoriæ.... Pausat miles emeritus, et post labores sudoresque sacræ peractæ mili iæ locatur feliciter, coronatur sublimiter. Anima ejus in bonis demorabitur. Quæris ubi ? Cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno cœlorum. Ita cum talibus et tali in loco sibi sedet : sedet excelsa et fulgida, sedet lætabunda et laudans : sedet ,... inquam, sibi vacua curis, deliciis affluens, abundans otii et quietis ad vacandum sapientiæ. Quæ sedit et flevit super flumina Babylonis, sedet modò ad fontem vitæ, et conversatio illi secus torrentem voluptatis, cujus impetus lætificat civitatem Dei.... Sedet media Angelorum, etc.

Serm. 3. *in festo omnium Sanctorum, n.* 1. Lætatus sum planè in his, quæ dicta sunt mihi, quoniam in domum Domini ibimus. Quòd si quæritis undè id tam fiducialiter præsumam, indè sine dubio quòd jam multi ex nobis in atriis stent ; exspectantes donec recipiant corpora sua, donec impleatur numerus fratrum. In illam enim beatissimam domum, nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis, id est, nec Sancti sine plebe, nec spiritus sine carne. Neque enim præstari decet integram beatitudinem, donec sit homo integer cui detur, nec perfectione donari Ecclesiam imperfectam. Propterea cùm resurrectionem expeterent corporum,.... acceperunt divinum responsum, dicens (*Apoc.* VI. 11.) : *Sustinete modicum tempus, donec compleatur numerus fratrum vestrorum.* Acceperunt tamen jam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur et nos : quomodo de Patriarchis et de Prophetis ait Apostolus : Deo melius aliquid providente pro nobis, ut non sine nobis consummarentur. Stola enim prima ipsa est, quam diximus FELICITAS et REQUIES ANIMARUM : secunda verò IMMORTALITAS et GLORIA CORPORUM.

Serm. 5. *n.* 4. Non est quod laudare vereamur verissimè, certissimeque laudabiles : non est quod glorificare cunctemur sic absorptos in gloria, ut nostra omninò nequeant laudatione moveri. Non enim est quo vanitas intret, ubi veritas jam totum occupavit.

In transitu S. Malach. Serm. 2. *n.* 5. Hodiè Malachias in consortium Angelorum recipitur, re adeptus, quod nomine dicebatur. Et quidem antè Angelus erat non minus puritate, quàm nomine : sed nunc feliciùs gloriosi in eo interpretatio nominis adimpletur, quando pari cum Angelis gloria et felicitate lætatur. Congratulemur itaque, fratres, congratulemur, ut dignum est, Patri nostro : quia et pium est, defunctum plangere Malachiam, et pium magis, Malachiæ congaudere viventi. Nunquid non vivit ? et beatè. Nimirum visus est *oculis insipientum mori* (*Sap.* III. 2.) : ille autem est in pace. Denique jam concivis Sanctorum et domesticus Dei, psallit pariter, et agit gratias, dicens (*Ps.* LXV. 12.) : *Transivimus per ignem et aquam : induxisti nos in refrigerium.*

S. MAXIM. TAURIN. *Hom. in Euseb. Vercell.* Dignè in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transiit Angelorum.

S. LEO. MAGN. *in Serm. de S. Laurent.* Nihil oblines, nihil proficis sæva crudelitas, subtrahitur tormentis tuis materia mortalis, et Laurentio cœlos abeunte, tu deficis flammis tuis.

VENER. BEDA *in cap.* 6. *Apoc.* Singulas modò stolas habent animæ de

sua beata immortalitate gaudentes ; resurgentibus autem corporibus juxta Isaïam (LXI. 7.), *In terra sua duplicia possidebunt.*

PSEUDO-DIONYS. AREOPAG. *sui seculi fidem adstruit his verbis, lib. de Eccles. Hierarchia, cap. 7. parte.* 1. Norunt (*sancti*) profectò se totos percepturos exactissimam ad Christi speciem, requiem, cùm ad præsentis vitæ finem pervenerint, viamque ad immortalitatem suam è vicino jam clariùs intuentes, divinitatis laudant munera, divinaque lætitiâ gestiunt, non jam ad deteriora conversionem metuentes, sed parata bona se firmiter perpetuòque habituros probè noscentes.

AUCTOR *libri Quæst. inter opera* S. JUSTINI *quisquis ille sit, opinionem Catholicam mirè confirmat, Quæst.* 75. Post animi è corpore excessum statim fit bonorum, malorumque distinctio. Ducuntur enim ad loca, quæ eis digna sunt, ab Angelis, bonorum quidem animæ in paradisum, ubi consuetudo est, et aspectus Angelorum et Archangelorum, visio verò etiam conservatoris Christi ex verbis his (2. *Cor.* v. 8.), *Peregrinari à corpore, et præsentes esse ad Dominum ;* improborum autem ad inferorum loca.

S. IRENÆUS *adversùs Hæres. lib.* 1. *cap.* 2. (*Deus*) Justis et æquis et præcepta ejus servantibus et in dilectione ejus perseverantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia vitam donans loco muneris confert, claritatem æternam circumdat.

S. EPIPHAN. *Hæres.* 78. *in fine.* Sancti sunt in honore, quies ipsorum in gloria, profectio hinc in perfectione, sors ipsorum in beatitudine, in mansionibus sanctis, tripudium cum Angelis, diæta in cœlo, gloria in honore incomparabili et perpetuo, bravia in Christo Jesu Domino nostro.

THEODORET. *Lib.* 8. *ad Græcos.* Si cœlum sedes illorum est, qui piè vixerunt : hunc profectò finem sui cursûs et Martyres jam consequuti sunt, his enim magis pium esse nihil potest.... Ideòque majori sorte meritò perfruuntur Martyres, qui nunc et à cunctis latè mortalibus honores amplissimos ferunt, et æternis sunt insigniti coronis.

S. JOAN. DAMASCENUS. *in Hist. de Barlaam et Josaphat, in fine.* Vultui Domini nitidè et nudè præsentatur, illiusque gloriæ jam antè promissà sibi coronà exornatur.

S. PROSPER *seu* JULIANUS POMERIUS, *aut quis alius auctor lib. de Vita contemp. lib.* 1. *cap.* 1. Quia secundùm Scripturæ sacræ sermonem, tota humana vita tentatio est super terram, tunc est tentatio finienda quando finitur et pugna ; et tunc est finienda pugna, quando post hanc vitam, pugnæ succedet secura victoria, ut omnes milites Christi, qui usque in finem vitæ præsentis, divinitùs adjuti, suis hostibus infatigabiliter restiterunt, laboriosâ jam peregrinatione transactâ, regnent felices in patria ; cujus hoc erit totum præmium, ut vitæ contemplativæ semel compos effecta, inexplebiliter auctorem beatitudinis suæ conspiciat, de illo gaudeat, de illo quod speravit, obtineat, et in eo, ad quod sanctè vivendo pervenerit, sine fine permaneat.

AUCTOR *lib. Medit. quæ sub* S. AUG. *nomine vulgò laudantur, cap.* 22. Felix anima, quæ terreno resoluta corpore libera cœlum petit, secura est et tranquilla, non timet hostem, neque mortem ; habet enim præsentem, cernitque indesinenter pulcherrimum Dominum, cui servivit, quem dilexit, et ad quem tandem læta et gloriosa pervenit.

Cap. 24. Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit ; de cujus pulchritudine jam satiamini, de cujus immortalitate jam immortales facti estis, de cujus beatissima visione semper gaudetis.

S. THOMAS. *Suppl.* 3. *part. Quæst.* 69. *art.* 2. *Utrùm statim post mortem animæ deducantur ad cœlum vel ad infernum. Quatuor objectionibus generaliter sic respondet.*

Sed contra quod dicitur, 2. Corinth. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, conservatam in cœlis* : Ergo dissoluta anima habet mansionem, quæ ei in cœlis fuerat conservata.

Præterea Philipp. 1. dicit Apostolus, *Cupio dissolvi, et esse cum Christo.* Ex quo sic arguit Gregorius *in h. Dialog.* (*cap.* 25.) Qui ergo Christum esse in cœlo non dubitat : nec Pauli animam in cœlo esse negat ; sed non est

Undè non mirum si id Ecclesia definierit tanquam dogma fidei, in Conciliis generalibus Florentino et Tridentino. (D)

I. Quandiù permanent in Purgatorio animæ justorum, quibus solvendum superest ?

R. Nihil certi de hac quæstione statui potest ex Scripturâ et Traditione : nihil eâ de re Ecclesia definivit. Id solùm ex ideâ justitiæ Divinæ colligimus, alias animas diutiùs, alias minùs ibi detineri, habitâ ratione uniuscujusque delictorum et peractæ pœnitentiæ.

I. Quandiù stabit purgatorium ?

R. Usque ad ultimum Christi adventum, nec plus ultrà. (E)

I. Ergo non permanebit in æternum Ecclesia militans, nec patiens ?

R. Non permanebunt nisi ad consummationem seculorum. Quia tunc temporis nullum erit ampliùs bellum, nul-

negandum Christum esse in cœlo ; cùm sit articulus fidei : Ergo nec dubitandum est animas sanctorum ad cœlos ferri.

In corp. Respondeo dicendum quòd sicut in corporibus est gravitas vel levitas, feruntur ad suum locum, qui est finis motûs ipsorum, ita etiam est in animabus meritum vel demeritum, quibus perveniunt animæ ad præmium vel ad pœnam, quæ sunt fines actionum ipsarum : Undè sicut corpus per gravitatem vel levitatem statim fertur in locum suum, nisi prohibeatur ; ita animæ statim, soluto vinculo carnis, per quod in statu viæ detinebantur, præmium consequuntur vel pœnam, nisi aliquid impediat, sicut interdùm impedit consecutionem præmii veniale peccatum, quod priùs purgari oportet : ex quo sequitur quod præmium differatur. Et quia locus deputatur animabus secundùm congruentiam præmii vel pœnæ, statim ut anima absolvitur à corpore, vel in inferno demergitur, vel ad cœlos evolat, nisi impediatur aliquo reatu, quo oporteat evolationem differri, ut priùs anima purgetur. Et huic veritati auctoritates Scripturæ canonicæ manifestè attestantur, et documenta sanctorum Patrum. Undè contrarium pro hæresi est habendum ; ut patet *Ad.* Dial. (*hunc locum exscripsimus suprà*) et in libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 79. inter opera Augustini tom. 3. *vel.* 8. sic dicitur : *Post ascensionem Christi ad cœlos omnium Sanctorum animæ cum illo sunt, et exeuntes de corpore ad illum vadunt, exspectantes resurrectionem corporis sui, ut ad integram et perfectam beatitudinem cum ipso pariter immutentur*, etc. *Legendus* ESTIUS *in* 4. *Sentent. dist.* 45. *à* §. 2. *ad* 7.

(D) CONCIL. FLORENT. *in Decreto Eugenii.* Lætentur cœli, *pag.* 515. Definimus insuper, ... animas, quæ post baptisma susceptum, nullam omninò peccati maculam incurrerunt : illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus vel eisdem exutæ corporibus, prout superiùs dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, et intueri clarè ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectiùs....

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 25. Mandat sancta Synodus omnibus Episcopis, fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos unà cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre... Illos verò, qui negant Sanctos æternâ felicitate in cœlo fruentes invocandos esse, ... vel stultum esse in cœlo regnantibus voce vel mente supplicare, impiè sentire.

(E) S. AUG. *Lib.* 21. *de Civit. Dei. c.* 13. Nos verò etiam in hâc quidem mortali vitâ esse quasdam pœnas purgatorias confitemur.... (*quæ*) illis sunt purgatoriæ, qui eis coërciti corriguntur... sed temporarias pœnas alii in hâc vitâ tantùm, alii post mortem, alii et nunc et tunc, verumtamen ante judicium illud severissimum, novissimumque patiuntur.

Cap. 16. Quisquis igitur cupit pœnas evadere sempiternas non solùm baptizetur, verùm etiam justificetur in Christo, ac sic verè transeat à diabolo ad Christum. Purgatorias autem pœnas nullas futuras opinetur, nisi ante illud ultimum, tremendumque judicium.

lus dolor; sed membra Ecclesiæ à præliis ad victoriam, à doloribus ad sempiterna gaudia transibunt.

I. Ecclesia autem triumphans quandiù permanebit?

R. Nondùm suis omnibus membris constat Ecclesia triumphans, nondùm completa est hæc sancta societas. Jam formatur, jam ædificatur: tunc solùm consummabitur, cùm finem accipiet Ecclesia militans et patiens: tunc à Christo dedicabitur et permanebit in æternum.

I. Cur ais Ecclesiam triumphantem non esse consummandam et dedicandam nisi in fine seculorum, postquam nulla supererit Ecclesia militans aut patiens?

R. Quia ut perfecta sit Ecclesia triumphans, et consummatâ beatitudine fruatur, necesse est, 1° Ut omnibus suis membris constet, adeòque in cœlum introducti sint omnes electi, qui ad finem usque seculi victuri sunt vel in Ecclesia militante, vel in Ecclesia patiente: 1° Ut juncta sint iterùm corpora animabus, veniantque in partem earum beatitudinis, sicut fuerunt participes laborum et ærumnarum. Hoc autem non fiet nisi in mundi consummatione.

§. 17. De fine mundi, de Antichristo, de Adventu Eliæ et Enoch, necnon de conversione Judæorum.

I. Quandonam mundus consummabitur?

R. De die autem illâ aut horâ nemo scit (*Matth.* XXIV. 36. *et Marc.* XIII. 32.) (A) Hoc solùm revelante Christo et Apostolis et Prophetis scimus, quod nimirùm *cœlum et terra transibunt* (*Matth.* XXIV. 35. *et Luc.* XXI. 33.) et succedent cœli novi et terra nova, quæ erit sedes æterna Sanctorum. (B)

I. Quid fiet in fine mundi?

R. Hæc novimus Deo revelante futuris temporibus eventura sub mundi finem.

1. (*Luc.* XXI. 10. *et* 11.) *Surget gens contra gentem, et regnum adversùs regnum. Et terræ motus magni erunt per loca, et pestilentiæ, et fames, terroresque de cœlo, et signa magna erunt.* (C)

(A) ACTOR. 1. 7... Non est vestrûm nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate.

(B) ISAI. LXV. 17. Ecce enim ego creo cœlos novos, et terram novam, et non erunt in memoriâ priora, et non ascendent super eos.

LXVI. 22. Quia sicut cœli novi, et terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum.

APOC. XXI. 1. Et vidit cœlum novum, et terram novam. Primùm enim cœlum et prima terra abiit, et mare jam non est.

(C) MATTH. XXIV. 27. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem; ita erit et adventus Filii hominis... 29. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur. 30. Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo: et tunc plangent omnes tribus terræ: et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate. 31. Et mittet Angelos suos cum tubâ, et voce magnâ: et congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis cœlorum usque ad terminos eorum.... 33. Cùm videritis hæc

2. (*Marc.* XXIV. 12.) *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum.*

3. (*Ibid.* 14.) *Prædicabitur Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus.*

4. Veniet Antichristus, et dirè persequetur Ecclesiam.

5. Venient Elias et Enoch super terram.

6. Judæi convertentur ad Dominum.

omnia, scitote quia propè est in januis. 34. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.

MARC. XIII. 24. Sed in illis diebus, post tribulationem illam, sol contenebrabitur, luna non dabit splendorem suum, 25. et stellæ cœli erunt decidentes, et virtutes, quæ in cœlis sunt, movebuntur. 26. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multâ et glorià. 27. Et tunc mittet Angelos suos, et congregabit electos suos à quatuor ventis, à summo terræ, usque ad summum cœli.... 29. Cùm videritis hæc fieri, scitote quod in proximo sit in ostiis.

LUC. XXI. 25. Et erunt signa in sole, et lunâ, et stellis; et in terris pressura gentium, præ confusione sonitûs maris, et fluctuum: 26. Arescentibus hominibus præ timore, et exspectatione, quæ supervenient universo orbi.. Nam virtutes cœlorum movebuntur: 27. et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magnâ, et majestate. 28. His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.

S. HIPPOLYT. Episc. et Mart. *de Consummat. mundi, seu cujuslibet alterius*, IV. *ut videtur, seculi auctoris, Orat. tom.* 3. *Biblioth. PP. Paris. ann.* 1624. *pag.* 345. *et edit. Colon. ann.* 1618. *tom.* 3. *p.* 12. *et seq.* Audi Oseam (XIII. 15.) grandiloquia fundentem * : *In diebus illis inducit Dominus à deserto ventum uredinis contra illos, desiccabit venas eorum, et desertos faciet fontes eorum, et universa vasa desiderabilia delebuntur: quia restiterunt contra Deum, in gladio cadent; et quæ ex eis prægnantes fuerint disrumpentur.* Ecquis alius ventus uredinis à deserto, quàm Antichristus, qui temporibus suis delcturus est et desiccaturus venas aquarum et fructus arborum, propterea quòd homines amplexi sunt opera ejus. Itaque delebit eos. ipsique servient in impuritate illius... Hæc prænarravimus, ut intelligatis cruciatum et perturbationem extremis futuram temporibus, omniumque hominum inter se vivendi consuetudinem, invidiam, odium, contentionem, Pastorum in ovibus negligentiam, populi erga Sacerdotes animum immorigerum: ita omnes suo arbitratu vivent. Filii manus injicient in parentes, uxor virum suum tradet in mortem, vir uxorem suam, ut ream, tradet in judicium, domini in servos suos erunt inhumani, servi in dominos animum gerent inobedientem, senis canitiem nemo reverebitur, juvenilis formæ nemo miserebitur. Templa divina domorum instar erunt, locis omnibus eversiones fient Ecclesiarum, Scripturæ contemnentur; hostes illius cantica ubique decantabunt. Post hæc stupra, adulteria, perjuria, incantationes, divinationes magno impetu studioque sequentur.. Tunc exsurgent falsi Apostoli, falsique Prophetæ; homines impostores, corruptores, malefici, mentientes alius ad alium, adulteri, stupratores, rapaces, avari, perjuri, detractores, Pastores fient quasi lupi, Monachi expetent quæ sunt mundi, divites animum expertem misericordiæ induent, pauperi non succurrent Principes; Potentes miserationes abjicient: Judices justum auferent ex justo, muneribusque excæcati injustitiam probabunt..... Terræ motus erunt per regiones, tonitrua, venti, horrenda fulgura, quæ domos agrosque exurent; procellæ ventorum, quæ terram ac mare sine modo perturbabunt: terræ sterilitates, sonitus maris, intolerabilis commotio ob interitum tàm animarum quàm hominum: signa in sole, signa in lunâ, siderum de viâ deflexiones, angustiæ gentium, aëris intemperies, grandinis emissiones super faciem terræ, hiemes inordinatæ, diversa frigora, ardores qui sedari nequeant, repentina fulmina, inspcrata incendia: et, ut semel dicam, gemitus et planctus universæ terræ consolatione carentis.

I. Quod docet Scriptura de Antichristo ?

R. De Antichristo multa reperiuntur in Scripturis : ex iis hæc pauca seligimus.

1. Erit is homo potentissimus , *homo peccati , filius perditionis , qui adversabitur et extolletur supra omne , quod dicitur Deus , aut quod colitur.* (2. *Thess.* II. 3. *et* 4.)

2. *Ita ut in templo Dei sedeat , ostendens se tanquam sit Deus.* (*Ibid.* 4.)

3. Adversùs Ecclesiam suscitabit persecutionem acerbiorem et periculosiorem omnibus quæ fuerint hactenùs , et *veniet in omni seductione iniquitatis ; et plurimos secum trahet in perditionem.* (*Ibid.* 10.) (D)

4. *Adventus ejus erit secundùm operationem Satanæ in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus.* (*Ibid.* 9.)

5. *Auferet juge sacrificium.* (*Dan.* XI. 31.) Hoc est, sacrificium Corporis et Sanguinis Domini , quod quotidiè offertur in Ecclesia , offerri prohibebit in omnibus locis suæ ditioni subjectis. Licèt enim hæc verba de Antiocho dicta sint à Daniele , tamen in eo Antiochum à Propheta pronuntiari , ut typum Antichristi , constans est omnium SS. Patrum interpretatio. (E)

6. Non erit diuturna Antichristi persecutio , nec ultra annos tres cum dimidio producetur , ut ex multis Scripturarum testimoniis colligere licet. (F)

(D) S. HIPPOLYT. *de Consummat. mundi , p.* 15. *vel* 357. Lugebit universa terra vitam cruciatuum plenam, lugebit mare , lugebit aër, lugebunt animantes , feræ cum volatilibus, lugebunt montes et colles ac ligna campi propter genus hominum, eò quòd omnes defecerint à sancto tuo, et crediderint impostori illi , suscepto charactere impuri illius et hostis Dei , loco vivificæ crucis Salvatoris. Lugebunt etiam Ecclesiæ , luctum magnum, quia necoblatio, nec suffitus fiet , nec cultus Deo gratus. Sed Ecclesiarum ædes sacræ , tugurii instar erunt : pretiosumque Corpus et Sanguis Christi non extabit in diebus illis , Liturgia exstinguetur , Psalmorum decantatio cessabit , Scripturarum recitatio non audietur : sed erunt apud homines tenebræ , lamentatio super lamentationem , væ super væ.

S. AUG. *in Psal.* IX. *n.* 27. Tertia (*Ecclesiæ persecutio*) superest per Antichristum ventura, quâ nihil est periculosius : quoniam et violenta et fraudulenta erit. Vim habebit in imperio , dolum in miraculis.

(E) *Vide suprà Sect.* 1. *Cap.* IV. §. 22. *allatas auctoritates Patrum ut et infrà afferendas hocce* §.

(F) DANIEL. XII. 7. In tempus , et tempora , et dimidium temporis.... 11. Et à tempore cùm ablatum fuerit juge sacrificium , et posita fuerit abominatio in desolationem , dies mille ducenti nonaginta. 12. Beatus , qui exspectat , et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque.

APOCALYPS. XI. 2. Civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus : et dabo duobus testibus meis , et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta.

S. HIPPOLYT. *de Consummat. mundi , pag.* 14. *vel* 353. Tres annos cum dimidio regnabit Antichristus super terram : post auferetur regnum ejus et gloria..... Neque tamen eo tempore misericors , et hominum amans Deus relinquet humanum genus omni consolatione destitutum , sed decurtabit dies illos , et tempus trium annorum et semis , concisum reddet, propter reliquias latitantium in montibus et speluncis. Ne phalanx illa Sanctorum illorum omninm deficiat , sed dies illi celeriter transibunt : seductoris et Antichristi regnum citò tolletur. Deinde in ictu oculi præteribit species mundi hujus ; hominumque potentia evacuabitur, et cuncta, quæ cadunt sub oculos , delebuntur.

7. *Antichristum Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventûs sui eum.* (2. *Thess.* II. 8.)

8. Antequam *reveletur* ille *homo peccati*, *veniet discessio primùm* (*Ibid.* 3.), id est, segregatio ab Ecclesiâ, et apostasia maxima. Utrùm hæc discessio et apostasia jam facta fuerit necne, non constat. Fortè sectam Mahumetanorum, fortè schisma Græcorum, fortè discessionem Lutheranorum et Calvinianorum intelligit Apostolus : fortè etiam intelligit discessionem omnium omninò Hæreticorum et Schismaticorum ab Ecclesiâ, ut sensus sit tunc venturum Antichristum, cùm omnes Hæretici et Schismatici, qui prodituri erant ad finem usque seculi, ab Ecclesiâ discesserint : juxta quem sensum venturus est Antichristus post ultimæ Hæreticorum aut Schismaticorum sectæ discessionem.

9. Deniquè, ut ex supradictis colligitur, non veniet An-

M. BOSSUET Evêque de Meaux, *Explicat. sur l'Apocalypse*, *chap.* 20. *v.* 7. Ce tyran, (Antiochus) est regardé par tous les Pères comme la figure la plus expresse de l'Antechrist.

Sur le v. 8. Il faut donc entendre ici une Ville spirituelle, telle qu'est l'Eglise, un camp spirituel qui est la société des enfans de Dieu encore revêtus d'une chair mortelle, et dans le lieu de tentation, par conséquent aussi une guerre et un combat spirituel, tel qu'est celui que les Hérétiques ne cessent de nous livrer, et qui se redoublera à la fin des siècles avec un nouvel acharnement. Je ne veux pas assurer qu'il n'y aura point de combats des Rois chrétiens contre l'Antechrist. Il ne faut pas ici s'imaginer, dit Saint Augustin (*de Civit. Dei*, *lib.* 20. *c.* 11.), que l'Eglise commeune Ville soit réduite à un seul lieu, où elle soit assiégée. Elle sera, poursuit-il, toujours répandue par toute la Terre : ses ennemis se trouveront aussi partout, mais partout où seront les ennemis, la sera aussi le camp des Saints et la Ville chérie de Dieu.

Sur le v. 14. Je tremble en mettant les mains sur l'avenir. Tout ce que je crois pouvoir dire avec certitude, c'est que cette dernière persécution, quelle qu'en soit la violence, aura encore plus de séduction : car c'est ainsi que Saint Paul (2. *Thessal.* II. 9.) y remarque des prodiges, des signes trompeurs, des illusions. Saint Jean (*Apoc.* XX. 3. 7. *et* 9.) y remarque aussi la séduction comme devant prévaloir, sans parler de sang répandu ainsi qu'il a fait dans tout le reste du livre : et Jésus-Christ même (*Matth.* XXIX. 24.) : il y aura de grands prodiges et des miracles trompeurs, en sorte, s'il est possible, que les Elus mêmes soient trompés.

Je regarde donc dans l'Eglise *deux* persécutions : la *première*, en son commencement, et sous l'Empire Romain, où la *violence* devoit prévaloir ; la *seconde*, à la fin des siècles, où sera le règne de la séduction, non pas que je veuille dire qu'elle soit sans violence, non plus que celle de Rome païenne, où la violence dominait, n'a pas été sans séduction : mais l'une et l'autre doit être définie par ce qui y doit prédominer, et on doit attendre sous l'Antechrist les signes les plus trompeurs qu'on ait jamais vus, avec la malice la plus cachée, l'hypocrisie la plus fine, et la peau du loup la mieux couverte de celle de brebis. Ceux qui se sont dits réformés doivent prendre garde qu'avec la feinte douceur et les prétextes spécieux, dont ils ont tâché au commencement de colorer leur violence et leur schisme, n'aient été les avant-coureurs de cette séduction.

Je crois encore savoir que cette dernière persécution de l'Eglise sera courte, et que Dieu y donnera des bornes, comme nous avons remarqué qu'il a fait à toutes les autres. Ce que saint Jean (*Apoc.* XX. 3.) a voulu nous expliquer, en disant que Satan serait délié pour un peu de temps : mais que cette persécution soit de trois ans et demi précisément, je n'ose ni le nier, puisque plusieurs l'ont conjecturé ainsi, ni faire aussi un dogme certain de leurs conjectures. J'en reviens donc à laisser l'avenir entre les mains de Dieu, et me contente de ce que dit saint Jean, que cette tentation sera courte.

tichristus nisi in fine seculorum, postquam annuntiatum fuerit Evangelium in universo orbe, paulò ante ultimum Christi adventum. (G)

(G) MATTH. XXIV. 14. Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus : et tunc veniet consummatio. MARC. XIII. 10. In omnes gentes primùm oportet prædicari Evangelium. ORIGEN. *Lib. 6. contra Cels.* Quæ de Antichristo diximus, omnes SS. PP. testantur. Cæterùm prophetia designans eum (*Antichristum*) apud Danielem exstat, efficax ad movendam prudenti et candido lectori admirationem, cùm ibi tam verè prædicatur divinitus de futuris regnis, incipiendo à Danielis temporibus et deinceps usque ad mundi interitum, eam licet cuilibet legere. Verùm de Antichristo vide an non sic loquatur : Ultimis regni eorum temporibus, completis jam eorum peccatis, exorietur rex impudens facie, et intelligens problemata : et roborabitur fortitudo ejus, et destruet mirabilia, prosperabitur et res geret, et interficiet potentes, sanctumque populum et jugum vinculorum ejus, prosperabitur. Dolus in manibus ejus corde suo extolletur, perdetque multos dolis circumventos : et instabit in multorum perniciem, quos non aliter quàm ova manu conteret. Cæterùm quod ex Paulo citavimus dicente sessurum eum in templo Dei, et ostentaturum se pro Deo, id in Danielis libro sic legitur : Et in templo abominatio desolationis usque ad consummationem temporis, consummatio dabitur ad desolationem.

S. HIERONYM. *in cap. 7. Daniel. p. 1101. t. 111.* Putemus (*Antichristum*) unum de hominibus, in quo totus Satanas habitaturus sit corporaliter... Est enim homo peccati, Filius perditionis, ita ut in templo Dei sedere audeat, faciens se quasi Deum.

Pag. 1103. Et Sermones contra Excelsum loquetur, etc. Sive ut interpretatus est Symmachus : *Sermones quasi Deus loquetur ;* ut qui Dei assumit potentiam, verba quoque divinæ sibi vindicet majestatis. *Et sanctos Altissimi conteret, et putabit quod possit mutare tempora et leges.* (*Dan. XII. 7.*) Præliabitur enim Antichristus contra Sanctos, et superabit eos : in tantamque erigetur superbiam, ut leges Dei, et cæremonias mutare conetur, et elevetur supra omne, quod dicitur Deus, Religionem cunctam suæ subjiciens postestati. *Et tradentur in manu ejus usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis :* Tempus, *annum* significat : tempora, juxta Hebraici sermonis proprietatem, qui et ipsi dualem numerum habent, *duos annos* præfigurant. Dimidium autem temporis, *sex menses :* quibus Sancti potestati Antichristi permittendi sunt.

Comment. in Dan. 1. cap. 1. p. 1127. Nostri hæc omnia de Antichristo propuetari arbitrantur, qui ultimo tempore futurus est..... Quumque multa, quæ posteà lecturi et exposituri sumus, super Antiochi persona conveniant, typum eum volunt Antichristi habere : et quæ in illo ex parte præcesserint, in Antichristo ex toto esse complenda. Antichristus pessimum Regem Antiochum, qui sanctos persecutus est, Templumque violavit, rectè typum sui habuisse credendus est.

Pap. 1128. Antichristus nasciturus est de populo Judæorum et de Babylone venturus...

Pag. 1129. De Antichristo nullus ambigit, quin pugnaturus sit adversùs Testamentum sanctum : hæc autem sub Antiocho Epiphane in imagine præcesserunt, ut rex sceleratissimus, qui persequutus est populum Dei, præfiguret Antichristum, qui Christi populum persequuturus est... qui sessurus est in Templo Dei, et se facturus ut Deum.... In Machabæis legimus, quod quidem (*Judæi*) simulaverint se legis Dei esse custodes, et posteà cum gentibus pactum fecerint : alii verò permanserint in Religione : quod et Antichristi temporibus futurum arbitror, quando refrigescet charitas multorum. Judæi putant quòd.... surrecturus sit Rex, qui faciat juxta voluntatem suam, et elevetur contra omne, quod dicitur Deus, et adversùs Deum Deorum loquatur magnifica : ita ut sedeat in templo Dei : et se ipsum faciat Deum, et diligatur voluntas ejus, donec compleatur ira Dei ; quia in ipso erit consummatio. Quod quidem et nos de Antichristo intelligimus. *Per concupiscentiam feminarum non intelligat*, de Antichristo interpretatio est, quòd ideò simulet castitatem, ut plu-

rimos decipiat... *Deum, quem ignoraverunt patres ejus, colet*, hoc magis Antichristo, quàm Antiocho convenit... Antichristus multa deceptis munera largietur et terram suo exercitui dividet, quosque terrore non quiverit, subjugabit avaritiâ.... Veniet usque ad summitatem.... montis oliveti, qui inclytus vocatur: quia ex eo Dominus, atque Salvator ascendit ad Patrem; et nullus Antichristo poterit auxiliari contra se Domino sæviente. Et asserunt ibi Antichristum esse periturum, unde Dominus ascendit ad cœlos.

Quæst. XI. *ad Algasiam Tom.* IV. *parte* II. *aliàs Epist.* 152.. Duos autem esse adventus Domini Salvatoris, et omnia Prophetarum docent volumina, et Evangeliorum fides; quòd primum in humilitate venerit, et posteà sit venturus in gloria, ipso Domino protestante; quæ ante consummationem mundi ventura sint, et quomodò venturus Antichristus, quandò loquitur ad Apostolos (*Matth.* XXIV. II. 24.): *Surgent enim pseudo-Christi et pseudo-Prophetæ, et dabunt signa magna, et prodigia; ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi...* Rursùm de Antichristo loquitur ad Judæos (*Joan.* V. 43.) *Ego veni in nomine Patris mei, et non credidistis mihi; si alius venerit in nomine suo, illum suscipietis...* Exponit (*Apostolus Paulus Epist.* 2. *ad Thessalon.*) quæ ante adventum Christi debeant præstolari, ut cùm illa facta viderint, tunc sciant Antichristum, id est, hominem peccati, et filium perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, esse venturum. Nisi, inquit (2. *Thess.* II. 3 *et seq.*), venerit discessio primùm, quod Græcè dicitur *Apostasia*, ut omnes gentes quæ Romano imperio subjacent, recedant ab eis, et revelatus fuerit, id est, ostentus (quem omnia Prophetarum verba prænuntiant) homo peccati, in quo fons omnium peccatorum est, et filius perditionis, id est, diaboli: ipse est enim universorum perditio, qui adversatur Christo, et ideò vocatur Antichristus; et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, ut cunctarum gentium Deos, sive probatam omnem et veram religionem suo calcet pede: et in templo Dei, vel Hierosolymis (ut quidam putant) vel in Ecclesiâ (ut veriùs arbitramur) sederit, ostendens se tanquam ipse sit Christus et Filius Dei: nisi, inquit, fuerit Romanum imperium antè desolatum, et Antichristus præcesserit, Christus non veniet: qui ideò ita venturus est, ut Antichristum destruat... Dicebam vobis, Christum non esse venturum, nisi præcessisset Antichristus.. Quod sequitur (*ibid.* 7.) *Jam enim mysterium operatur iniquitatis, tantùm ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat: et tunc revelabitur ille iniquus*, hunc habet sensum: Multis malis atque peccatis, quibus Nero impurissimus Cæsarum mundum premit, Antichristi parturitur adventus: et quod ille operaturus est posteà, in isto ex parte completur: tantùm ut Romanum imperium, quod nunc universas gentes tenet, recedat et de medio fiat: et tunc Antichristus veniet, fons iniquitatis, quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui, divinâ videlicet potestate et suæ majestatis Imperio, cujus jussisse, fecisse est; non in exercitûs multitudine; non in robore militum; non in Angelorum auxilio: sed statim ut ille advenerit, interficietur Antichristus. Et quomodò tenebræ, solis fugantur adventu: sic illustratione adventûs sui eum Dominus destruet, atque delebit, cujus opera, Satanæ sunt opera; et sicut in Christo plenitudo divinitatis fuit corporaliter: ita et in Antichristo omnes erunt fortitudines, et signa et prodigia; sed universa mendacia... Mendacium Antichristi, Christi veritas devorabit: seducentur autem ejus mendacio, qui perditioni sunt præparati... Qui ergo caritatem et veritatem non receperunt, ut, Salvatore suscepto, salvi fierent, mittet illis Deus non operatorem, sed ipsam operationem, id est, fontem erroris, ut credant mendacio: quia mendax est ipse, et pater ejus... Nunc autem ideò judicandi sunt immò proculdubio condemnandi: quia Christi veritate contemptâ, posteà mendacium, id est, Antichristum suscepturi sunt.

S. AUG. *in Ps.* IX. *n.* 22. Multùm irascitur (*Deus*) dùm non exquirit, dùm quasi obliviscitur, et non attendit peccata, et per fraudes et scelera ad divitias honoresque pervenitur: quod maximè in illo Antichristo eventurum est, qui usque adeò beatus videbitur hominibus, ut etiam Deus putetur.

N. 23. Ita enim traditur, quòd reges omnes superaturus sit, et solus regnum obtenturus : quandò etiam secundùm Apostolum, qui de illo prædicat (2. *Thess.* II. 4.), In templo Dei sedebit, extollens se super omne quod colitur, et quod dicitur Deus.

N. 24. Et quoniam traditus in concupiscentiam cordis sui et damnationi ultimæ destinatus, per nefarias artes ad illud vanum et inane culmen dominationemque venturus est.

N. 27. *Vide suprà litt.* (D) *hocce* §.

Lib. 20. *de Civit. Dei*, *cap.* 19. *n.* 2. Nulli dubium est eum (*Paulum Apostolum*) de Antichristo ista dixisse; diemque judicii, hunc enim appellat diem Domini, non esse venturum, nisi ille prior venerit, quem refugam vocat, utique à Domino Deo. Quòd si de omnibus impiis meritò dici potest, quantò magis de isto ? Sed in quo Templo Dei sit sessurus, incertum est : utrùm in illa ruina Templi, quod à Salomone rege constructum est, an verò in Ecclesia. Non enim Templum alicujus idoli aut dæmonis, Templum Dei Apostolus diceret. Undè nonnulli, non ipsum principem, sed universum quodam modo corpus ejus, id est, ad eum pertinentem hominum multitudinem simul cum ipso suo principe, hoc loco intelligi Antichristum volunt.

N. 3. *Et tunc revelabitur iniquus* (2. *Thess.* II. 8.) : quem significari Antichristum nullus ambigit. Alii verò et quod ait, * *Quid detineat scitis ; et mysterium operari iniquitatis* (*Ibid.* 7.), non putant dictum, nisi de malis et fictis, qui sunt in Ecclesia, donec perveniant ad tantum numerum, qui Antichristo magnum populum faciat; et hoc esse mysterium iniquitatis, quia videtur occultum. Hortari autem Apostolum fideles, ut in fide quam tenent, tenaciter perseverent, dicendo, *Tantùm qui modò tenet, teneat ; donec de medio fiat :* Hoc est, donec excat de medio Ecclesiæ mysterium iniquitatis, quod non occultum est. Ad ipsum enim mysterium pertinere arbitrantur, quod ait in 1. Epistola sua (II. 18. 19.) Joannes Evangelista, * *Pueri novissima hora est : et sicut audistis, quòd Antichristus sit venturus ; nunc autem Antichristi multi facti sunt : undè cognoscimus quòd novissima sit hora. Ex nobis exierunt : sed non erant ex nobis. Quòd si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Sicut ergo ante finem in hac hora, inquiunt, quam Joannes novissimam dicit, exierunt multi Hæretici de medio Ecclesiæ, quos multos dicit Antichristos : ita omnes tunc indè exibunt, qui non ad Christum, sed ad illum novissimum Antichristum pertinebunt, et tunc revelabitur....

N. 4. Non veniet ad vivos et mortuos judicandos Christus, nisi priùs venerit ad seducendos in animâ mortuos adversarius ejus Antichristus, quamvis ad occultum jam judicium Dei pertineat, quòd ab illo seducentur. (2. *Thess.* II. 9.) *Præsentia quippè ejus erit secundùm operationem Satanæ, in omni virtute et signis et prodigiis mendacii, et in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt.* Tunc enim solvetur Satanas, et per illum Antichristum in omni suâ virtute mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur.... Quæ solet ambigi, utrùm propterea dicta sint signa et prodigia mendacii, quoniam mortales sensus per phantasmata decepturus est; ut quod non facit, facere videatur : an quia illa ipsa, etiam si erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros non ea potuisse nisi divinitùs fieri, virtutem diaboli nescientes; maximè quandò tantam, quantam nunquam habuit, acceperit potestatem.... (*Ibid.* 10.) *Ideò mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio :* Deus enim mittet; quia Deus diabolum facere ista permittet, justo ipse judicio, quamvis faciat ille iniquo, malignoque consilio (*Ibid.* 11.) *Ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Proindè judicati seducentur, et seducti judicabuntur. Seducti autem judicabuntur novissimo manifestoque judicio per Jesum Christum, justissimè judicaturum.

Cap. 23. *n.* 1. Daniel de hoc ultimo judicio sic prophetat, ut Antichristum priùs quoque venturum esse prænuntiet, atque ad æternum regnum sanctorum perducat narrationem suam. Cùm enim visione Prophetica quatuor bestias, significantes quatuor regna, vidisset; ipsumque quartum à quodam rege superatum, qui Antichristus agnoscitur;

et post hæc æternum Regnum Filii hominis, qui intelligitur Christus.... Quatuor illa regna exposuerunt quidam Assyriorum, Persarum, Macedonum, et Romanorum. Quàm verò convenienter id fecerint.... qui nosse desiderant, legant Presbyteri Hieronymi librum in Danielem, satis diligenter eruditèque conscriptum. Antichristi tamen adversùs Ecclesiam sævissimum regnum, licèt exiguo spatio temporis sustinendum, donec Dei ultimo judicio regnum Sancti accipiant sempiternum, qui vel dormitans hæc legit, dubitare non sinitur. Tempus quippè et tempora et dimidium temporis, annum unum esse et duos et dimidium, ac per hoc tres annos et semissem etiam numero dierum posteriùs posito dilucessit.

S. Greg. Magn. Papa. *Lib.* 15. *moral. in Job. c.* 36.... Vidit enim (*Job*) quòd in fine mundi Satan hominem ingrediens, quem sacra Scriptura Antichristum appellat, tantâ elatione extollitur, tantâ virtute principatur, tantis signis et prodigiis in sanctitatis ostensione elevatur : ut argui ab homine ejus facta non valeant : quia cum potestate terroris adjungit etiam signa ostensæ sanctitatis.... Sed tamen ejus viam non solùm Elias et Enoch, qui in ejus exprobrationem in medium deducuntur, sed etiam omnes electi arguunt, dùm contemnunt, dùm virtute mentis ejus malitiæ resistunt.... Multi enim nunc vias Antichristi dijudicantes corripiunt : sed hoc quasi in ejus absentiâ faciunt, dùm illum arguunt, quem adhuc specialiter non intuentur. Cùm verò in illo damnando homine venerit, quisquis ejus præsentiæ resistit, coram eo viam ejus arguit, cujus vires et conspicit et contemnit, vel certè viam ejus arguere, est prosperitatem cursus ejus æterno supplicio interveniente turbare. Quod quia solus Dominus propriâ virtute facturus est : de quo scriptum est (2. *Thess.* II. 8.) : Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventûs sui... qui solus illi perdito homini quæ fecit reddet, dùm potestatem ejus tam validam per adventum suum æternâ damnatione contriverit.

Cap. 39.... Et nunc innumerabiles rapit, cùm falsitatis suæ stupenda hominibus signa non exhibet. Cùm verò coram carnalium oculis miranda eis prodigia fecerit; post se tunc innumerabiles, sed omnes trahit : quia qui bonis præsentibus delectantur, potestati illius se absque retractatione subjiciunt.... Post se enim omnem hominem trahit : quia in tribus annis et dimidio, omnes, quos in studiis vitæ carnalis invenerit, jugoque dominationis adstringit : ante se verò innumerabiles traxit per quinque millia et adhuc ampliùs annorum curricula.

S. Hippolyt. Epis. et Mart. *Lib. de consumm. mundi, pag.* 14. *vel* 352. Ille certò nasciturus est è tribu Dan, elatus corde; posteà incipiet exaltare se ipsum et glorificare tanquam Deum, persecutione Sanctos et blasphemiâ Christum incessens.... Judaïcam gentem amabit, apud eos omnes signa edet, et horrenda miracula, non vera, sed falsa, ad seducendos sui similes impios. Etenim si fieri potest, etiam electos abducet à dilectione Christi. Verùm in primordiis suis clemens erit, factus ad dilectionem, quietus, religiosus, pacificus, qui odio prosequatur injustitiam, detestetur munera, idololatriam non admittat, amet Scripturas, revereatur Sacerdotes, caniticm honori habeat, scortationem repudiet, adulterium abominetur, obtrectationes non audiat, dejerationes non recipiat; hospitalis, studiosus pauperum, misericors. Posteà edet prodigia, leprosos mundando, paralyticos excitando, expellendo dæmones, longinqua non aliter quàm præsentia denuntiabit, excitabit mortuos, viduis opem feret, pupillos tuebitur, cunctos diliget, conciliabit homines.... non possidebit aurum, nec diliget argentum, divitias non amplectetur, atque hæc omnia faciet consilio simulato, ac fraudulento : quò circumveniat omnes, ut se regem creent.... Posteà extollet animum.... evadet ferox.... fiet immisericors „.... superbus atque inhumanus evadet.... justos persequetur.... bellum instruet, iràque percitus tres magnos reges percutiet, Ægyptiorum, Afrorum, atque Æthiopum. Indè templum construet Hierosolymis, quod confestim excitatum tradet Judæis. Tùm.... in Deum ipsum contumeliosa verba proferet, sperans dolosus ille se perpetuò in posterum regnaturum super terram; ignorans miser regnum suum brevi irritum fore, et quàm primùm se

I. Certumne est Antichristum nondum venisse ?

R. Nominis *Antichristi* significatio duplex. Altera generalis, specialis altera. Secundùm priorem significationem Antichristus dicitur quisquis opponitur Christo. Quo sensu Hæretici dicuntur Antichristi in Scripturis, et mundus ipse Antichristus est ; mundus enim oppositus semper fuit et erit Christo. Itaque juxta illum sensum Antichristi multi sunt, et jam venit Antichristus, ut sæpiùs ait Joannes Apostolus. (H)

percepturum ignem paratum ipsi cum omnibus, qui crediderint et servierint illi.

(H) 1. Joan. II. 18. Filioli novissima hora est : et sicut audistis quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt : undè scimus, quia novissima hora est. 19. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.... 22. Quis est mendax, nisi qui negat quoniam Jesus est Christus ? Hic est Antichristus, qui negat Patrem, et Filium.

IV. 3. Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est ; et hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, et nunc jam in mundo est.

2. Joan. v. 7. Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem : hic est seductor, et Antichristus.

S. Ambros. *Lib.* 10. *Expos. Evang. Luc. n.* 21. Est etiam tertius Anti-Christus, aut Arius, aut Sabellius ; immò omnes sunt Antichristi, qui pravà nos interpretatione seducunt. Et ideò *qui legit intelligat* (*Matth.* XXIII. 15.) : qui intelligit non seducatur, ut credat falsa pro veris, more utique Judæorum, qui verum Christum negaverunt ; undè consequens erit, ut credant verum esse, qui falsus est : sic et Ariani, quod negant Christo, Antichristo non negabunt.

S. Aug. *In Epist. Joan. cap.* 2. *Tract.* 3. *n.* 4. Quos dixit Antichristos ? Sequitur, et exponit. *Undè cognoscimus quòd novissima sit hora* (1. *Joan.* II. 19.) Undè ? Quia Antichristi multi facti sunt. Ex nobis exierunt : Videte Antichristos. *Ex nobis exierunt :* Ergo plangimus damnum. Audi consolationem : Sed non erant ex nobis. Omnes Hæretici, omnes Schismatici ex nobis exierunt, id est, ex Ecclesia exeunt : sed non exirent, si ex nobis essent. Antequam exirent ergo, non erant ex nobis. Si antequam exirent, non erant ex nobis ; multi intùs sunt, non exierunt, sed tamen Antichristi sunt. Audemus hoc dicere : ut quid, nisi ut unusquisque cùm intùs est, non sit Antichristus ? Descripturus enim et designaturus est Antichristos : et videbimus eos nunc. Et interrogare debet unusquisque conscientiam suam, an sit Antichristus. Latinè enim Antichristus, contrarius est Christo. Non quomodo nonnulli intelligunt Antichristum ideò dictum, quòd ante Christum venturus sit, id est post eum venturus sit Christus : non sic dicitur, nec sic scribitur ; sed Antichristus, id est, contrarius Christo. Jam quis sit contrarius Christo, nunc advertitis ipso exponente, et intelligitis non posse exire foràs nisi Antichristos ; eos autem qui non sunt Christo contrarii, foràs exire nullo modo posse. Qui enim non est Christo contrarius, in corpore ipsius hæret, et membrum computatur. Nunquam sibi sunt membra contraria.... Si ergo in glorificatione membri cætera membra congaudent, et in passione omnia membra patiuntur : concordia membrorum non habet Antichristum. Et sunt qui intùs sic sunt in corpore Domini nostri Jesu Christi : quandoquidèm adhuc curatur corpus ipsius, et sanitas perfecta non erit, nisi in resurrectione mortuorum : sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali. Quandò evomuntur, tunc relevatur corpus : sic et mali quando exeunt, tunc Ecclesia relevatur, etc.

N. 8. Quicunque negat quod Jesus non sit Christus, ipse est Antichristus. Jam ergo quæramus, quis neget : et non attendamus ad linguam, sed ad facta. Si enim omnes interrogentur omnes uno ore confitentur

Sed si sumatur Antichristus juxta specialiorem significationem, pro impio illo homine, qui suscitaturus est ultimam persecutionem, et cujus notas et caracteres suprà exposuimus ex Scripturis, certum est Antichristum nondùm venisse : nullus enim hactenùs exstitit, cui omnes illi caracteres simul sumpti convenire possint.

Ad coërcendam ergo insaniam et impudentiam quorumdam ex recentioribus Hæreticis, qui asserere non verentur summum Pontificem, qui Papa dicitur, esse illum Antichristum, de quo loquitur Apostolus in secundâ Epistolâ ad Thessalonicenses, dicendum est illos esse verè Antichristos, qui tam putidum mendacium proferre non dubitent. Id facilè probatur.

1. Summus Pontifex dici non potest Antichristus, nisi supponatur Ecclesia eò usque corruptionis prolapsa esse, ut ejus caput visibile, cui quidem adhæret et adhæsit semper, factus sit dux et caput hostium Christi. At qui hæc dixerit, is manifestè contradicit et opponitur Christo, qui promisit se nunquam derelicturum Ecclesiam, nunquam eam perituram, nunquam adversùs eam portas inferi esse prævalituras. Antichristus est, qui contradicit et opponitur Christo. Ergo Antichristus est, qui audet asserere Papam esse Antichristum.

2. Quicunque sanæ mentis est, is facilè intelligit in ipsâ meridianâ luce cæcutire, qui caracteres Antichristi summo Pontifici convenire contendat.

3. Inter eruditiores Protestantes, qui scripsêre sinceriùs, illi ultrò confessi sunt nullo fundamento niti assertionem eorum, qui dicere ausi sunt Papam esse Antichristum. (1)

Jesum esse Christum. Quiescat paululùm lingua, vitam interroga. Si invenerimus hoc, si ipsa Scriptura nobis dixerit, quia negatio non tantùm linguâ fit, sed et factis : certè invenimus multos Antichristos, qui ore profitentur Christum, et moribus dissentiunt à Christo. Ubi invenimus hoc in Scripturis ? Paulum audi Apostolum : de talibus cùm loqueretur, ait (*Tit.* I. 16.), Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Invenimus et ipsos Antichristos : quisquis factis negat Christum, Antichristus est. Non audio quid sonet, sed video quid vivat. Opera loquuntur, verba requirimus ? Quis enim malus non benè vult loqui. Sed quid dicit talibus Dominus ? (*Matth.* XII. 34.) Hypocritæ quomodò potestis bona loqui, cùm sitis mali ?.... Magis mendax est Antichristus, qui ore profitetur Jesum esse Christum, et factis negat. Ideò mendax, quia aliud loquitur, aliud agit.

N. 9. Jam ergo, Fratres, si facta interroganda sunt, non solùm multos invenimus Antichristos foràs exiisse : sed multos nondùm manifestos, qui minimè foràs exierunt. Quotquot enim habet Ecclesia perjuros, fraudatores, maleficos, sortilegorum inquisitores, adulteros, ebriosos, fœneratores, mangones, et omnia, quæ numerare non possumus ; contraria sunt doctrinæ Christi, contraria sunt verbo Dei : Verbum autem Dei Christus est : quidquid contrarium est Verbo Dei, in Antichristo est. Antichristus enim contrarius est Christo.

(1) M. BOSSUET. Evêque de Meaux, *Explication de l'Apocalyse de S. Jean*, *Avertissement n.* 45. (2. *Thess.* II. 1.) « Nous vous conjurons.... par l'avénement de Notre-Seigneur Jésus-Christ et par notre réunion avec lui : » 2. Que vous ne vous laissiez pas légèrement ébranler dans votre sentiment, et que vous ne vous troubliez pas en croyant ou sur quelque

» Prophélie, ou sur quelque discours, ou sur quelque lettre qu'on sup-
» poserait venir de nous, que le jour du Seigneur soit près d'arriver. 3.
» Que personne ne vous séduise en aucune manière que ce soit; car ce
» jour ne viendra point que la révolte, (*Génève*, ou l'Apostasie,) ne soit
» arrivée auparavant, et qu'on n'ait vu paraître cet homme de péché,
» cet enfant de perdition. 4. L'ennemi, celui qui s'opposera à Dieu et
» s'élevera au-dessus de tout ce qui est appelé Dieu, ou qui est adoré,
» jusqu'à s'asseoir comme un Dieu au Temple de Dieu, voulant lui-même
» passer pour Dieu. 5. Ne vous souvient-t-il pas que je vous ai dit ces
» choses lorsque j'étais parmi vous? 6. Vous savez bien l'empêchement,
» (ce qui l'empêche de venir, ce qui le retient, *Gén.*) afin qu'il paraisse
» en son temps 7. Car le mystère d'iniquité commence déjà: (se forme
» dès-à-présent, se met en train, *Gén.*) seulement que celui qui tient,
» tienne encore (celui qui a, ait encore; ou celui qui obtient mainte-
» nant, obtiendra encore, *Gén.* celui qui occupera, *Jurieu*) jusqu'à ce
» qu'il soit détruit (aboli, *Génève.*) 8. Et alors se découvrira le méchant,
» que le Seigneur Jésus perdra (déconfira, *Gén.* detruira *Jur.*) par le
» souffle de sa bouche, et qu'il abolira par l'éclat de sa présence (par
» son éclatante présence) ou par la gloire de son avénement, (au lieu
» de gloire *Gen.* clarté:) 9. Ce méchant, dis-je, qui doit venir accom-
» pagné de la puissance de Satan, avec toutes sortes de miracles, de
» signes, et de prodiges trompeurs: 10. Et avec toutes les illusions qui
» peuvent porter à l'iniquité ceux qui périssent. 11. C'est pourquoi Dieu
» leur envoyera une efficace d'erreur en sorte qu'ils croyent au menson-
» ge. 12. Afin que tous ceux qui n'ont pas cru la vérité, et qui ont con-
» senti à l'iniquité, soient condamnés.

N. 46. Telles sont les paroles de S. Paul, directement opposées au système des Protestans touchant le Pape. La raison est que selon leur propre interprétation, S. Paul fait paraître l'homme de péché, le méchant, l'ennemi de Dieu, en un mot l'Antechrist, dans deux conjonctures, au temps que celui qui tient sera détruit (*v.* 7. et 8.), l'autre aux approches du jour du Seigneur (*v.* 2. et 8.); et l'une et l'autre circonstance selon leur propre explication est incompatible avec ce qu'ils disent du Pape.

N. 47. La première, parce qu'ils entendent S. Paul du démembrement de l'Empire Romain sous Alaric et dans toute l'étendue du V. Siècle. Or il n'a paru dans tout ce temps, ni prodiges, ni signes trompeurs, ni rien enfin d'extraordinaire dans la Papauté, pas même en Allégorie. Les miracles qui se faisaient au tombeau des SS. Martyrs ne tendaient qu'à glorifier le Dieu des Martyrs, à confirmer l'Evangile pour lequel ils étaient morts, à confondre un Julien l'Apostat et les infidèles endurcis, et à convertir les autres. Ceux qui les ont rapportés, c'est-à-dire les SS. Pères et tous les historiens, n'ont pas été des trompeurs, mais des Saints et la lumière de leurs siècles. Les Papes n'y ont pas eu plus de part que tout le reste des Evêques, en Orient et en Occident et par tout le monde. On n'a jamais produit aucun passage pour faire voir que les Papes ayent rien fait de particulier sur cela, et on ne songe pas seulement à en produire. On n'a non plus osé imaginer que les Papes qui furent alors, ni plusieurs siècles après ayent songé à s'élever au-dessus de Dieu, ni à se faire rendre les honneurs divins dans son Temple: on n'a dis-je osé imaginer que saint Léon, ni saint Simplicien, ni saint Gelase, ni saint Hormisdas, ni saint Gregoire, ni les autres ayent rien fait d'approchant, pas même je le répète en Allégorie: car on demeure d'accord dans la Réformation prétendue, que ces Papes étaient de grands Saints, ou tout au moins des gens de bien. On se mocque donc lorsqu'on ose dire que l'homme de péché parut alors.

N. 48. On ne se tire pas mieux de l'autre conjoncture où saint Paul fait naître l'homme du péché, c'est-à-dire dans les approches du jour du Seigneur, et de sa présence éclatante: car l'homme de péché des Protestans ne devait point du tout venir dans ces approches.

N. 49. Saint Paul exhorte à persévérer malgré les illusions de l'Antechrist. Qui a la foi, dit S. Paul (1. *Cor.* IX. 12.) la conserve. Que celui qui croit d'être ferme prenne garde de ne tomber pas. Avertissement très-nécessaire dans la grande tentation de l'Antechrist, tant que dureront ses

illusions, et jusqu'à ce qu'il soit détruit par la présence éclatante du Fils de Dieu (2. *Thess.* II. 1à.).... Tenez fermes et conservez les Traditions que vous avez apprises de nous, soit de vive voix soit par écrit.... Le docte Théodoret l'un des plus judicieux interprètes de l'Ecriture et de saint Paul dans ces mots: (du 6. *v.* du 2. Chap. de la 2. aux Thessal.) Vous savez ce qui arrête, ou ce qui retient; il n'a pas entendu avec beaucoup d'autres Pères l'Empire Romain, mais l'immuable décret de Dieu qui arrêtait l'Antechrist, parce qu'il voulait qu'il ne parût qu'à la fin du monde, et après que l'Evangile aurait rempli toute la terre. Il suit sa pensée au *v.* 7. et il veut que celui qui tient s'entende de l'Idolâtrie, qui devait toujours durer dans le monde jusqu'à la venue de l'Antechrist, d'où il conclut qu'il ne paraîtra qu'après que l'Idolâtrie serait tout à fait détruite et l'Evangile annoncé par tout l'Univers.

N. 51.... Pourquoi ne voudra-t-on pas qu'il y ait un Antechrist éminent, un homme particulier qui paraisse à la fin des siècles, que d'autres Antechrists inférieurs en impiété et en malice, un Nabuchodonosor, un Antiochus, un Néron, un Simon le Magicien ou d'autres pareils imposteurs ayent précédé?

N. 52.... Tous les Pères unanimement et sans en excepter un seul dès l'origine du Christianisme, ont reconnu naturellement le méchant, l'impie, l'homme de péché, et l'enfant de perdition de saint Paul, et en un mot l'Antechrist, pour un homme particulier, qui devait venir à la fin du monde pour faire la dernière épreuve des Elus de Dieu, et l'exemple le plus éclatant de sa vengeance avant le Jugement prochain... Saint Chrysostôme qui assurément savait le Grec, voulant expliquer la force du mot *Analiskein* dont se sert saint Paul, et tout ensemble faire voir combien promptement l'Antechrist serait défait par l'éclatante apparition de Jésus-Christ, *Ce sera*, dit-il (*Hom. in* 2. *Thess.* VIII.), comme un feu qui tombant seulement sur de petits animaux: avant même que de les toucher et quoiqu'il soit encore éloigné, les rend immobiles de frayeur et les consume, *analiskei*. Ainsi Jésus-Christ par son seul commandement, et par sa seule présence, consumera l'Antechrist, *analôsei*; c'est assez qu'il paraisse, et tout cela périt aussitôt.

N. 44. Ce détestable ministère de l'Antechrist se consommera à la fin des siècles d'une manière plus trompeuse: la grande Apostasie précédera, soit que ce soit la révolte contre quelque grand Empire, soit que ce soit un grand Schisme, peut-être encore plus étendu que celui de Luther, et de Calvin, où des Royaumes entiers se sont cantonnés avec une haine obstinée contre l'Eglise Catholique: et pour ces mots de saint Paul, que celui qui tient, tienne, soit que ce soit une exhortation à ceux qui tiennent la vraie Foi à la défendre contre les prestiges et les violences de l'Antechrist.... Nous aurions déjà vu paraître aussi bien que la chute de ce grand Empire non-seulement les blasphèmes, les faux miracles, et la ruine de l'Antechrist, mais encore dans celle de tout l'Univers le grand jour de Jésus-Christ.

N. 45. *Vide suprà hâcce litt.* (I)

Récapitulation, n. 77. La 2. bête fait de faux miracles, comme de faire descendre le feu du Ciel. Or le Pape ne se vante en aucune sorte de faire des miracles, et encore moins de faire descendre le feu du Ciel: ce n'est donc pas la 2. bête.

II. Dire que le feu du Ciel, c'est l'excommunication qui est proposée comme un foudre, c'est entendre par un des prestiges de la bête une puissance instituée par Jésus-Christ, qui est celle d'excommunier: puissance qui ne peut manquer d'être foudroyante, puisqu'elle retranche du corps de l'Eglise, et qu'elle livre à Satan ceux qui en sont frappés.

II. De compter parmi les faux miracles du Pape, ce que tous les Pères et toute l'Histoire Ecclésiastique nous racontent des miracles des Saints, c'est une autre sorte de profanation; et en tous cas ces miracles ne sont pas plus ceux du Pape que ceux de tous les Chrétiens Grecs, Arméniens, Egyptiens, Meridionaux, et Orientaux, qui ne les célèbrent pas moins que les Latins.

HUGO GROTIUS, *in Append. ad interpret. locorum N. T. quæ de Antichristo agunt, aut agere putantur*, (*Oper. Tom.* 3. *p.* 475.) Nimirùm

eorum, qui schisma esse perpetuum volunt, qui ad ipsum unitatis Ecclesiæ ac concordiæ nomen contremiscunt, interest Papam credi Antichristum, ac non posse non esse talem usque ad Domini adventum. Nisi schisma esset, non haberent multi undè viverent: et cùm ipsi sine spe mercedis de sacris litteris, né cogitaturi quidem fuerint, alios de se metiuntur. Hoc autem æquius est me aliquid condonare insanientibus, quod ista maledictorum licentia Regem Christianissimum Galliæ vel maximè petit; qui cùm prudentissimorum virorum usus consilio interdixerit, ne quis Papam Antichristum vocet, placuit homini Gallo hoc imperium et spernere et incusare, etc.

Pag. 476. Altera hæc (*sit observatio*) quod templum Dei tum in veteri, tum in novo fœdere propriè dicatur de templo Hierosolymitano, mysticè de piis mentibus, .. ut autem cœtum idololatrarum, qualem esse volunt socii Borboritæ eum cœtum qui Papæ Romano adhæret, Apostolus vocaverit Dei templum, sine exemplo et perabsurdum est.

Pag. 480. Prætereà omninò non potuit, si de Papa ageret Paulus, eorum, qui Dii dicerentur nomine, Imperatores hìc intelligere: non paganos, quia iis nihil obstitit Papa: non Christianos, quia illi Deorum nomine appellati non sunt. Quòd si Reges Dii sunt Christianis, Papa autem reverà Romæ Rex est à tempore longissimo, qualem possessionem convellere est omnia imperia turbare, quid illi de Dei titulo ultrà controversiam isti movent, idque vel imprimis pro argumento arripiunt, ut hunc locum et alios de ipso potiùs, quàm de aliis interpretentur?

Pag. 482. Sicut multi errorem suum agnoverunt, qui in Daniele Papam quæsierant, et temporum mutationem ad novum retulerant Calendarium, (quanquam non desunt, qui adhuc putent ibi se videre Reges ad suorum Presbyteriorum genua procumbentes) ita futurum spero, ut pares aliundè hausti errores evanescant, et conspicuam se præbeat insignis Dei providentia singulis Prophetiis ad sua tempora relatis.

Pag. 483. Quod ait (Borborita) communem esse Protestantium omnium sententiam, Papam esse Antichristum, et hìc describi, (2. *ad Thess. cap.* 2.) id verò ego pernego. Confessio Augustana, princeps omnium inter Protestantes, de traditionibus agens, ait *Pontificiæ fore clementiæ* eas mitigare. Itane locutus fuisset Philippus Melanchthon, et ex ejus consilio Elector et Principes multi et civitates, si sensissent Papam esse Antichristum, et quod hìc addit, ad finem usque mundi talem fore? Idem Melanchthon... vir multis Protestantium præferendus, is neque Papam esse Antichristum aut *adversarium*, et semper futurum credidit, et multas, quas Borboritæ sodales afferunt Antichristi notas, paucis verbis evertit... Neque verò Papæ Deo se æquant aut Christo, imò ne Petro quidem, cujus ita se dicunt in sede successores, ut donis à Deo datis multò se Petro minores agnoscant.

Pag. 490. Interpretationem vix memini videre magis violentam, quàm est eorum, qui hæc Pauli verba ad Papam trahunt. Thessalonicenses monet hæc Epistola. Quid illis cum re tot post seculis exstitura? Miracula, signa, prodigia Papa non exhibet. At finguntur quædam miracula, esto: sed aliud est facere miracula, aliud confingere. Tum verò figmenta talia et mendacia Papa non probat, sed prohibet; et solent talia mendacia severè puniri. Quòd si etiam Papa aliquis magus fuisset, non ob id tamen posset tota Paparum series accusari, aut etiam ex tali nota cognosci. Metuo ne conscientiæ suæ vim faciant, qui tam incredibilia defendunt.

Pag. 492. Evigilate tandem et videte quâ specie hæc ad Papam Romanum transferatis. (1. Timoth. IV. 1.) Quid ad ipsum illud *in carne*? Si de Prophetis agitur, Papa Prophetam se non dicit: si de dogmate, et quidem tali, quale vos dicitis, quid illi cum Marcione, quid cum Nestorio, quos et veteres Papæ damnarunt et damnant novi? Quòd si ad nostri seculi homines veniendum est, et *carnem* accipimus statum humilem, *inimicos carnis crucisque Christi* qui ei statui se non accommodant, videamus, ne hæc nota latè pateat, multosque non minùs Ministrorum quàm Paparum comprehendat.

De numero bestiæ loquens pag. 499 *hæc habet*: Hominis hìc nomen requiritur non gentis, ipso Apostolo clarè id significante. Qui Latinas hìc numerales notas imaginantur, Sabinorum ritu somniant; Græcè enim

I. Certumne est Eliam et Enoch esse venturos sub fine mundi ?

R. Id Scripturâ et Traditione constat : ideòque uterque sublatus est, antequam è vivis excederet. (K)

scripsit Joannes : multòque magis qui Pauli V. inscriptionem huc trahunt, benigni sanè ad ridendi materiam, si ea hîc quæreretur. Illud verissimum agnosco, quod ait Borborita, multos affectibus impediri, ne verum Prophetarum sensum intelligant.

P. 501. Vindicavi meam ad loca Apocalypseos interpretationem, quantùm ingeniis non contumacibus satis futurum arbitror. Hanc si quis recipiat, nihil hîc de Papa aut ejus functione cogitandum. Imò etiamsi meam quis expositionem non admittat, ne sic quidem debeat huc Papam aut ejus munus intrudere. Quid enim ad eum Capitolii lapsus ? Quid nomen *Urbis æternæ*, pridem desitum ? Quid decem Reges imperii Romani reverentes Joannis tempore ? Quid decem alii post Joannem exstituri et reverentiam priùs præstitam abjecturi ? Quid illa per Gothos et Wandalos facta direptio ? Argumenta, quæ maximè efficacia putat Borborita, ut hæc ad Papam trahantur, sunt imperium in Reges, idololatria, sævitia in dissidentes. Imperium in Reges eorumque regna Papæ competere nego : si quid adulatores contrà commenti sunt, id etiam Cardinalis Bellarminus refutavit : idem refutant ampliùs omnes Ecclesiæ, in quibus canitur (*in Hymno Epiphaniæ*),

Non eripit terrestria
Qui regna dat cœlestia...

Cæterùm pro certo haberi debet, Reges, sicut Christo omnem obedientiam, ita et propter Christum, reverentiam quamdam debere Ecclesiæ, secundùm veteres prophetias. Idololatrica quædam aut ad idololatriam accedentia admitti ab imperitis hominibus ut non nego : ita nego ejus culpæ omnes teneri, qui ejus sunt communionis, aut talia à Papa præcipi : contrà si quis scriò talia velit corrigere, habebit pro se auctoritatem Synodi Tridentinæ.... Sævitiam in dissidentes improbo. Papas nec omnes ea in re absolvo, nec omnes eidem involvo crimini. A Papis autem non profecta omnia, quæ ejus sunt generis, vel hoc argumento sit, quòd Imperatores et Reges et Principes, qui bellum cum Papis habuere, eo ipso tempore pœnis coërcuere novos cœtus, nimirùm suis consulentes rebus atque existimantes initia ista esse ad mutandum publicæ rei statum... Papalis auctoritatis rectus usus esset haud dubiè anchora fluctuanti Europæ, ut dixit Lipsius... Reverentia Papæ Romano, quæ debeatur, ostendunt Canones et consuetudo. Nam si institutus ad unitatem Ecclesiæ servandam, Ecclesiam scindat, quid juris sit, docent Constantiensis et Basileensis Synodi, in Gallia et aliis multis in locis receptæ. Ecclesiæ enim bono servire ista potestas debet, ad ædificationem, non ad destructionem. *Non ergo Grotius putavit Catholicos Papam, uti Deum, venerari, ut plerique Ministri Protestantes imperitæ plebi obtrudunt.*

Doctissimi inter Acatholicos idem cum Grotio sentiunt : certè celeberrimus HAMMONDUS *in suo in novum Testamentum Commentario, loca quæ de Antichristo agunt explicans, nusquam Papæ mentionem ingerit. Hujus quoque exemplum secutus est* JOANNES CLERICUS *in notis suis ad Hammondi Commentarium.*

(K) GENES. V. 24. Ambulavitque cum Deo (*Henoch*) et non apparuit, quia tulit eum Deus.

4. REG. II. 2. Cùmque pergerent, (Elias et Eliseus) et incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, et equi ignei, diviserunt utrumque, et ascendit Elias per turbinem in cœlum. 12. Eliseus autem videbat et clamabat : Pater mi, Pater mi, currus Israël, et auriga ejus : et non vidit eum ampliùs.

XLIX. 16. Nemo natus est in terrâ qualis Henoch : nam et ipse receptus est à terrâ.

1. MACHAB. II. 58. Elias dùm zelat zelum legis, receptus est in cœlum.

HEB. XI. 5. Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, et non inveniebatur : quia transtulit eum Deus. ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.

Vide Patrum testimonia infrà litt. (M) *hocce §.*

De Eliâ quidem hoc constat his Malachiæ verbis (IV. 5. *et* 6.) : *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum : ne fortè veniam et percutiam terram anathemate.*

Id confirmavit Christus (*Matth.* XVII. 11.) his verbis : *Elias venturus est, et restituet omnia.* (L)

De Enoch similia habentur in libro Ecclesiastici (XXIV. 16.) his verbis : *Enoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.*

Et de utroque in Apocalypsi (XI. 3.) hæc leguntur ; *Dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.* 4. *Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* 5. *Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum : et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi.* 6. *Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum : et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plagâ quotiescunque voluerint.* 7. *Et cùm finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso, faciet adversùm eos bellum, et vincet eos et occidet eos.* 8. *Et corpora eorum jacebunt in plateis....* 11. *Et post dies tres, et dimidium, spiritus vitæ à Deo intravit in eos, etc.*

Hæc Scripturæ testimonia firmantur et explanantur manifestâ Traditione, ut patet ex S. Martyre Hippolyto, Origene, S. Gregorio Nysseno, S. Chrysostomo, Joanne Damasceno, Lactantio, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Primasio, Gregorio Magno, aliisque, quos brevitatis causâ prætermitto. (M)

(L) ECCLI. XLVIII. 9. Qui (Elias) receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. 10. Qui scriptus es in judiciis temporum, lenire iracundiam Domini.

(M) S. HIPPOLYT. Episc. et Mart. *Lib. de Consumm. mundi pag.* 14. *vel* 351. Posterior ejus (Christi) adventus prædicatus est gloriosus, quoniam veniet è cœlis cum potentia, cum Angelis, et gloria Patris.... Posterior, quo venturus est in gloriâ, Enoch, Eliam exhibebit.... Dimidium hebdomadæ sument duo Prophetæ.... ad denuntiandum per universum mundum adventum Antichristi, hoc est, mille ducentos sexaginta dies, amicti saccis ; facientque signa et prodigia, ut vel hâc ratione flectant, et convertant homines ad pœnitentiam propter immensam eorum iniquitatem : * *Quòd si quis velit eis nocere, ignis egredietur ex ore ipsorum, devorabit hostes eorum. Hi potestatem habent claudendi cœlum, ne pluat diebus adventûs Antichristi : et aquam convertendi in sanguinem, ac percutiendi terram omni plagâ quotiescunque voluerint. Cùmque prædicaverint hæc omnia, occumbent gladio interfecti à diabolo, et implebunt testimonium suum* (*Apoc.* XI. 5. *et* 6.) ; ut inquit etiam Danïel qui prævidit bestiam ascendentem ex abysso cum eis bellum gesturam, id est, Enoch, et Eliâ, et superatos eos interfecturam, propterea quòd noluerint gloriam dare diabolo.

ORIGENES *Tract.* 3. *in Matth. c.* 17. *p.* 31. Discipuli recordabantur Traditionum Scribarum de Helia prophetâ, quoniam ante adventum Christi erat venturus, ut præparet animas, quæ suscipiant eum.

S. GREG. NYSS. *Testim. de adventu Domini in carne adversùs Judæos,*

tom. 2. *in fol. pag.* 160. *edit. Paris.* 1638. *mihi T.* 1. *p.* 992. *Quòd ante secundum adventum Domini venturus sit Helias*, Malachias Propheta dicit IV. 5. et 6. : Ecce ego mitto vobis Heliam Prophetam, antequam veniat dies ille Domini magnus et illustris, qui restituet corda Patrum in filios, et cor hominis in proximum suum, ne, ubi venero, percutiam et perdam terram funditùs.

S. JOAN. CHRYSOST. *Hom.* 58. *in c.* 17. *Matth. initio.* Prophetæ mentionem faciunt (2. *adventûs Christi*) cui præcursorem Heliam asserunt futurum.... Sicut ille secundi adventûs præcursor erit, sic primi fuit Joannes. Sed Scribæ ista confundentes, et populum pervertentes secundi adventûs solummodò recordabantur.... Quænam verò causa est (*adventûs Heliæ*) ? Ut Judæis credere in Christum persuadeat, ne omnes simul condemnentur.

Hom. 4. *in cap.* 2. 2. *ad Thessal.*... Et Elias tunc veniet fideles confirmans : et hoc dicit Christus (*Matth.* XVII. 11.), *et veniet Elias, et restituet omnia*.... Sicut Joannes fuit præcursor prioris adventûs, ita ille quoque erit præcursor secundi et gloriosi adventûs, et ad id servatur.

S. JOAN. DAMASCEN. *Lib.* 4. *Orthodoxæ fidei, c.* 27. Nosse oportet, oportere Antichristum venire : omnis enim, qui non confitetur Filium Dei, et Deum, venisse in carne, et esse Deum perfectum, et factum esse hominem perfectum, cum hoc ipso quod Deus est, Antichristus est. Attamen peculiari modo ac præcipuo Antichristus dicitur, qui in consummatione seculi venturus est. Oportet ergo primùm prædicari Evangelium omnibus gentibus.... et tunc veniet in redargutionem adversariorum Dei Judæorum.... Dixit enim illis Dominus (*Joan.* V. 43.) : Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me : veniet alius in nomine proprio, et illum recipietis. Et Apostolus (2. *Thessal.* II. 10.) : Pro eo quod dilectionem veritatis non susceperunt, ut ipsi salvarentur, propter hoc mittet eis Deus operationem erroris ad credendum mendacio, ut judicentur omnes, qui nec crediderunt veritati, sed approbaverunt injustitiam. Judæi igitur Filium Dei, qui est Dominus Jesus Christus et Deus, non receperunt : seductorem, seipsum dicentem Deum, suscipient. Quòd autem seipsum vocabit Deum .... sic inquit Apostolus (*Ibid.* 3. *et seq.*) : Quis vos seducat ullo modo : quoniam nisi venerit discessio primùm, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, demonstrans seipsum, quod sit Deus.... Oportet igitur primùm prædicatum esse Evangelium in omnibus Gentibus, et tunc revelabitur iniquus, cujus adventus secundùm operationem Satanæ in omni virtute et signis, prodigiis mendacii, et in omni fallacià injustitiæ iis, qui pereunt ; Quem Dominus interficiet verbo oris sui, et dissolvet adventu superapparitionis suæ. Non ipse igitur diabolus fiet homo, instar Dei humanitionis ; (absit enim) sed nascetur homo ex fornicatione, et suscipiet omnem operationem Satanæ.... et educabitur occultè, et repentè insurget, et elevabit se, et regnabit, et in exordiis regni sui, seu potiùs tyrannidis, simulabit bonitatem : cùm verò dominator factus fuerit, persequetur Ecclesiam Dei, et manifestabit omnem malitiam suam : et veniet in signis et prodigiis mendacii fictis, et non veracibus, et eos, qui debile et infirmum fundamentum mentis habent, decipiet, et separabit à Deo vivente, (*Matth.* XXIV.) Ita ut scandalizentur, si fieri potest, electi. Mittentur autem Enoch et Helias Thesbites, (*Luc.* I. 17.) et convertent corda patrum in filios, hoc est, Synagogam ad Dominum nostrum Jesum Christum, et Apostolorum prædicationem, et ab illo interficientur. Et veniet Dominus ex cœlo, quemadmodum Apostoli intuiti sunt eum euntem in cœlum, Deus perfectus, et homo perfectus, cum glorià et virtute, et interficiet hominem peccati, filium perditionis spiritu oris sui.

Cap. 28. *sub fine.* Et tradentur diabolus et dæmones ejus, et homo ejus, id est Antichristus, et impii, et peccatores in ignem æternum, non materialem, qualis est apud nos, sed qualem novit Deus.

LACTANTIUS *Divinarum institutionum, lib.* 7. *c.* 16. (Antichristus) Princeps omnium constituetur. Hic insustentabili dominatione vexabit orbem, divina et humana miscebit, infanda dictu, et exsecrabilia mo-

lietur, nova consilia in pectore suo volutabit, ut proprium sibi constituat imperium; leges commutabit, suas sanciet: contaminabit, diripiet, spoliabit, occidet.... confusio, ac perturbatio humani generis consequetur. Tùm verò detestabile. atque abominandum tempus existet, quo nulli hominum sit vita jucunda. Eruentur fundiùs civitates, atque interibunt non modò ferro, atque igni, verùm etiam terræmotibus assiduis, et eluvie aquarum, et morbis frequentibus, et fame crebrâ, aër enim vitiabitur, et corruptus, ac pestilens fiet: modò importunis imbribus, modò inutili siccitate, nunc æstibus nimiis, nec terra homini dabit fructum nec seges quidquam; non arbor, non vitis feret, sed cùm in flore spem maximam dederint, in fruge decipient. Fontes quoque cum fluminibus arescent; ut ne potus quidem suppetat: et aquæ in sanguinem, aut amaritudinem mutabuntur. Propter hæc deficient et in terrâ quadrupedes, et in aëre volucres, et in mari pisces. Prodigia quoque in cœlo mirabilia mentes hominum maximo terrore confundent, crines cometarum, et solis tenebræ, et color lunæ, et cadentium siderum lapsus, nec tamen hæc usitato modo fient; sed existent subitò, et ignota et invisa oculis astra: sol in perpetuum fuscabitur, ut vix inter noctem diemque discernatur, luna jam non tribus deficiet horis, sed perpetuo sanguine obfusa, meatus extraordinarios peraget; ut non sit homini promptum, aut siderum cursus, aut rationem temporum agnoscere, fiet enim vel æstas in hieme, vel hiems in æstate, tunc annus breviabitur, et mensis minuetur, et dies in angustum coarctabitur; stellæ verò creberrimæ cadent, ut cœlum omne cæcum, sine ullis luminibus appareat, montes quoque altissimi decident, et planis æquabuntur; mare innavigabile constituetur. Ac ne quid malis hominum, terræque desit, audietur è cœlo tuba.... Itaque trepidabunt omnes, et ad luctuosum illum sonitum contremiscent. Tùm verò per iram Dei adversùm homines, qui justitiam Dei non agnoverunt, sævient ferrum, ignis, fames, morbus; et super omnia metus semper impendent Tunc orabunt Deum, et non exaudiet, optabitur mors, et non veniet; nec nox quidem requiem timori dabit; nec ad oculos somnus accedet; sed animas hominum sollicitudo ac vigilia macerabit: plorabunt et gement et dentibus stridebunt; gratulabuntur mortuis et vivos plangent. His et aliis pluribus malis solitudo fiet in terrâ, et erit deformatus orbis, atque desertus.... Ita enim conficietur humanum genus, ut vix decima pars hominum relinquatur, et undè mille processerant, vix prodient centum. De cultoribus etiam Dei, duæ partes interibunt, et tertia, quæ fuerat probata, remanebit.

Cap 17.... Imminente jam temporum conclusione, Propheta magnus mittetur à Deo, qui convertat homines ad Dei agnitionem, et accipiat potestatem mirabilia faciendi. Ubicunque non audierint eum homines, claudet cœlum; et abstinebit imbres; et aquam convertet in sanguinem, et cruciabit illos siti, ac fame; et quicunque conabitur eum lædere, procedet ignis de ore ejus, itaque amburet illum. His prodigiis, atque virtutibus convertet multos ad Dei cultum; peractisque operibus ipsius, alter Rex orietur è Syria malo spiritu genitus, eversor ac perditor generis humani qui reliquias filius prioris mali cum ipso simul deleat. Hic pugnabit adversùs Prophetam Dei; et vincet, et interficiet eum, et insepultum jacere patietur: sed post diem tertium reviviscet; atque inspectantibus et mirantibus cunctis, rapietur in cœlum. Rex verò ille terrimus erit quidem et ipse, sed mendaciorum Propheta, et seipsum constituet et vocabit Deum, et se coli jubebit ut Filium Dei: et dabitur ei potestas, ut faciat signa et prodigia, quibus visis irretiat homines, ut adorent eum. Jubebit ignem descendere de cielo et solem à suis cursibus stare, et imaginem loqui, et fient hæc sub verbo ejus. Quibus miraculis etiam sapientium plurimi allicientur ab eo. Tunc eruere templum Dei conabitur; et justum populum persequetur: et erit pressura et contritio, qualis nunquam fuit à principio mundi. Quicunque crediderint atque accesserint ei, signabuntur ab eo tanquam pecudes. Qui autem recusaverint notam ejus, aut in montes fugient, aut comprehensi, exquisitis cruciatibus necabuntur. Idem justos homines obvolvet libris Prophetarum; atque ita cremabit, et dabitur ei

desolare orbem terræ mensibus quadraginta duobus. Id erit tempus, quo justitia projicietur et innocentia odio erit; quo mali bonos hostiliter prædabuntur; non lex aut militiæ disciplina servabitur; non canos quisquam reverebitur, non officium pietatis agnoscet; non sexûs aut infantiæ miserebitur, confundentur omnia, et miscebuntur contra fas, contra jura naturæ. Ita quasi uno communique latrocinio terra universa vastabitur. Cùm hæc facta erunt; tùm justi et sectatores veritatis segregabunt se à malis, et fugient in solitudines. Quo audito, impius Rex inflammatus irâ veniet cum exercitu magno, et admotis omnibus copiis circumdabit montem, in quo justi morabuntur, ut eos comprehendat. Illi verò ubi se clausos undiquè, atque obsessos viderint, exclamabunt ad Deum voce magnâ, et auxilium cœleste implorabunt; et exaudiet eos Deus: et emittet regem magnum de cœlo, qui eos eripiat, ac liberet, omnesque impios ferro ignique disperdat.

S. Hilar. *in Matth. c.* 20. Et quantum sentire ex ipsis Evangeliis licet, in regno cœlorum Moyses et Elias assidebunt.... et hos quidem eosdem Prophetas duos prævenientes adventum ejus intelligimus, quos Apocalypsis Joannis (xiii. 5.) ab Antichristo perimendos esse dicit, licèt variæ vel de Enoch, vel de Hieremia, plurimorum exstiterint opiniones, quòd alterum eorum sicut Eliam mori oporteat.

S. Ambros. *in Psal.* xlv. *n.* 10.... Bestia illa Antichristus ex abysso ascendit, ut adversùs Eliam, atque Enoch.... qui propter testimonium Domini Jesu terris sunt redditi, præliaretur.

Lib. 1. *de Pœnitentia, c.* 8. *aliàs* 7. *n.* 34. Et quia descensurus esset e cœlo, et in cœlum ascensurus Eliam ad cœlum levavit, indè eum terris complacito redditurus tempore.

S. Hieronym. *in cap.* 11. *Matth. lib.* 2. In secundo Salvatoris adventu juxta Malachiam (iv. 5.) præcessurus est Elias, et venturum judicem annuntiaturus.

Lib. 3. *in Matth. c.* 17. *v.* 3.... Eliâ indè descendente, quò conscenderat, *v.* 10.... Traditio Pharisæorum est, juxta Malachiam Prophetam (*Luc.* i. 17.).... Quòd Elias veniat ante adventum Salvatoris, et reducat cor patrum ad filios, et filiorum ad patres, et restituat omnia in antiquum statum.... Quòd nisi Elias venerit, non sit secundùm Scripturas Salvatoris adventus.

v. 12. Ipse, qui venturus est in secundo Salvatoris adventu, juxta corporis fidem, nunc per Joannem venit in virtute et spiritu.

S. Aug. *Lib. de Genesi ad litteram, c.* 6. *n.* 11. Neque enim arbitrandum est, Eliam vel sic esse jam, sicut erunt sancti, quandò, peracto operis die, denarium pariter accepturi sunt; vel sic quemadmodum sunt homines, qui ex istâ vitâ nondùm emigrarunt, de quâ ille tamen, non morte sed translatione migravit. Jam itaque aliquid meliùs habet, quàm in hâc vitâ posset. Quamvis nondùm habeat quod ex hâc vitâ rectè gestâ in fine habiturus est.... Enoch.... Deo placens non mortuus, sed translatus est.... Nam si Enoch et Elias in Adam mortui, mortisque propaginem in carne gestantes, quod debitum ut solvant, creduntur etiam rediturі in hanc vitam, et quod tandiù dilatum est morituri, nunc tamen in aliâ vitâ sunt, ubi ante resurrectionem carnis, antequam animale corpus in spiritale mutetur, nec morbo, nec senectute deficiunt.

Tract. 4. *in Joann. c.* 1. *n.* 5. Quare ergo ille (Joannes) *Non sum Elias* (*Joan.* i. 21.): et Dominus, Ipse est Elias? Quia in eo Dominus Jesus Christus præfigurare voluit futurum adventum suum, et hoc dicere, quia in spiritu Eliæ erat Joannes, et quod erat Joannes ad primum adventum, hoc erit Elias ad secundum adventum. Quomodo duo adventus judicis, sic duo præcones: judex quidem ipse, præcones autem duo, non duo judices. Oportebat enim judicem primò venire judicandum. Misit ante se primum præconem, vocavit illum Eliam: quia hoc erit in secundo adventu Elias, quod in primo Joannes.

Lib. 1. *Quæst. Evang. quæst.* 21. Quod dixit Dominus, (*Matth.* xvii. 11.) *Elias quidem venturus est, et restituet omnia*, id est, vel eos quos persecutio Antichristi conturbaverit, vel ut ipse restituat moriendo quæ debet.

Lib. 83. *Quæst. quæst.* 58. *n.* 3. Prophetia manifestari incipit, sed....

nondùm tam evidenter, ut omnes sicut in luce manifestum esse fateantur quod futurum credimus secundo adventu Domini, quo in claritate venturus est; cujus adventùs præcursor speratur Elias, sicut hujus (*id est primi*) Joannes fuit, et ideò dicitur à Domino (*ibid.* 12.), *Elias jam venit, et multa ei homines fecerunt, et si vultis scire, ipse est Joannes Baptista, qui venturus est.* Quia in eodem spiritu et in eadem virtute, tanquam præcedentis præconis officio, et hic jam venit, et ille venturus est.

Lib. 20. *de Civit. Dei, c.* 29. Per hunc Eliam magnum, mirabilemque Prophetam, expositâ sibi lege, ultimo tempore ante judicium, Judæos in Christum verum, hoc est, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus, cordibusque fidelium. Ipse quippè ante adventum judicis Salvatoris non immeritò speratur esse venturus: quia etiam nunc vivere non immeritò creditur. Curru namque igneo raptus est de rebus humanis, quod evidentissimè sancta Scriptura testatur. Cùm venerit ergo, exponendo legem spiritaliter, quam nunc Judæi carnaliter sapiunt, convertet cor patris ad filium, id est, cor patrum ad filios :.... Ut etiam filii sic intelligant legem, id est, Judæi, quem-admodùm patres eam intellexerunt, id est, Prophetæ, in quibus erat et ipse Moyses. Sic enim cor patrum convertetur ad filios, cùm intelligentia patrum perducetur ad intelligentiam filiorum; et cor filiorum ad patres eorum, dùm in id, quod senserunt illi, consentient et isti.... Quanquam in verbis *septuaginta* Interpretum qui Prophetice interpretati sunt, potest sensus alius idemque electior inveniri: ut intelligatur Elias cor Dei Patris conversurus ad Filium, non utique agendo ut Pater diligat Filium; ut et Judæi, quem priùs oderant, diligant eumdem, qui noster est, Christum. Judæis enim nunc aversum cor habet Deus à Christo nostro, quia hoc putant. Eis ergo tunc cor ejus convertetur ad Filium, cùm ipsi converso corde didicerint dilectionem Patris in Filium. Quod verò sequitur (*Malach.* IV. 6.) *et cor hominis ad proximum suum*, id est, convertet Elias et cor hominis ad proximum suum; quid meliùs intelligitur, quàm cor hominis ad hominem Christum? Cùm enim sit in formâ Dei Deus noster, formam servi accipiens esse dignatus est etiam proximus noster.

PRIMASIUS *lib.* 3. *Comment. in Apocalyps. c.* 11. *pag.* 314. *tom.* 10. *Biblioth. Patrum. Lugdun. ann.* 1677. *vel* 175. *part.* 2. *T.* 6. *Col.* De tribu Dan Antichristus traditur nasciturus.... Tres dies et dimidium possumus intelligere tres annos et sex menses.... Daniel.... cùm ablatum, inquit, fuerit juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolatione, dies mille ducenti nonaginta, qui numerus circa trium annorum et sex mensium curricula diversatur, quando maximè illa duo martyrii genera, quæ in habitu actuque constare præmisimus, sic dimidio hebdomadis prædicationis Eliæ firmantur, ut nullo possint venturæ mox persecutionis impetu dejici; quia sicut tunc acrior persecutio, ita in militibus Christi invictè certantibus enitebit amplior fortitudo. De ipsis enim et Joannes dicit: Et dabo duobus Martyribus meis, ut prophetent diebus mille ducentis sexaginta, saccis amicti. Licet enim residuis tribus annis et sex mensibus ante Antechristi violentiam, aut successione locorum, tanquam mortui cadant, aut congruè latibulis recepti non pareant, eò quod divinitùs moniti delitescant: sic tamen stabiliti, ejusque pugnæ certamine instaurato reddendi narrantur, ut per spiritum vitæ super pedes suos stabiles perseverent, quandò novissimâ, vel prædicatione, vel persecutione confirmabit pactum multis hebdomada una, sed etiam aliis martyrio consummato peremptis, aliisque fugatis, pro unius compage corporis ipsi resurgere prædicentur, eò quod uno spiritu armati, et unâ fide fundati, spiritaliter demigrant.... Elias veniet et ipse restituet omnia.... Tribus annis et sex mensibus, ne plueret, latuit: divinoque nutu iterùm pluvias impetraturus, apparuit, et per sacrificium, quod oblatum fuerat adversos Israeliticæ plebis animos Deo reconcilians acquisivit.... Residuis tribus annis et sex mensibus, persecutione Antichristi occiso Elia, grassante, tanquam medio hebdomadis hostiam dicit sacrificiumque deficere, quod in Ecclesiâ tunc solemniter immolatur, Antichristi scilicet tunc sævitiâ prævalente. Ipso

Ex his tum Scripturæ, tum Traditionis testimoniis constat: 1. Eliam et Enoch venturos tùm ad defensionem et præsidium tam Judæorum quàm gentium advérsùs Antichristi persecutionem. 2. Ad procurandam Judæorum conversionem. 3. Eos esse ab Antichristo occidendos, et deindè à Christo suscitandos; quo peracto, destruet Antichristum Dominus illustratione adventùs sui.

I. Certumne est Judæos omnes ad Christum in fine mundi convertendos.

R. Id constat ex veteri et ex novo Testamento.

Ex veteri quidem his verbis (*Osee* III. 4 *et* 5.): *Dies multos sedebunt filii Israël sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim* (hoc est sine

deniquè prædicante, in Christum Judæi sunt crediturі, quo increpante ab idololatriâ quondam meruere converti. *Hic Episcopus erat Adrumetinus in Bizacenâ Africæ provinciâ: florebat* 6. *seculo.*

S. Greg. Papa. *Lib.* 11. *Moral. in Job. c.* 9. Undè etiam Helià veniente promittitur, quod reducat corda filiorum ad patres eorum; ut doctrina senum, quæ nunc à Judæorum corde ablata est, tunc miserante Domino redeat, quando hoc intelligere de Domino cœperint filii, quod prædicaverunt patres.

Cap. 11. Cum omnibus sequacibus suis (*Antichristus*) fine mundi interveniente, damnabitur.... et omnes iniqui, qui de ejus perversâ persuasione in pravis actionibus nati sunt; illustratione adventùs Domini æterno interitu cum eodem suo capite ferientur.... districtus judex iniquitates illius cum ipso mundi fine concludit.... Tantà enim tunc contra nos iniquitate effrenabitur, ut etiam electorum corda non parvo pavore feriantur. Ita ut (*Matth.* XXIV. 24.) in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Quod videlicet dicitur, non quia electi casuri sunt, sed magnis terroribus trepidaturi. Tunc verò contra eum certamen justitiæ et novissimi electi habere narrantur et primi: quia scilicet et hi, qui in fine mundi electi recipiuntur, in morte carnis prosternendi sunt, et illi etiam qui à prioribus mundi partibus processerunt. Enoch scilicet et Elias ad medium revocabuntur, et crudelitatis ejus sævitiam in suà adhuc carne passuri sunt.

Lib. 20. *c.* 25. Et si ad cœlum raptus Helias esse perhibetur, mortem tamen distulit, non evasit, de ipso quippè ore veritatis dicitur: Helias quidem venturus est, et restituet omnia. Veniet enim restiturus omnia, qui ad hoc nimirùm huic mundo restituitur, ut et prædicationis munera impleat, et carnis debitum solvat.

Hom. 7. *in Evang.* Sicut Elias secundum Domini adventum prævenit; ita Joannes prævenit primum. Sicut ille præcursor est Judicis, ita iste præcursor eśt factus Redemptoris.

Hom. 29. *in Evang.* In cœlum itaque aëreum Helias sublevatus est, ut in secretam quamdam terræ regionem repentè duceretur; ubi in magnà jam carnis et spiritûs quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, et mortis debitum solvat. Ille etenim mortem distulit, non evasit.... Sic Enoch translatus; atque ad cœlum aëreum Helias sublevatus, ascensionem Dominicam uterque figuravit... Enoch translatus, Elias verò ad cœlum subvectus esse memoratur.

Lib. 1. *Homil.* 12. *in Ezechiel...* In fine mundi Judæi ad fidem redeunt... et sic omnis Israël salvus fiet... Antichristi tempore ab eis gentibus, quæ in infidelitate remanserint, plebs conversa Judæorum, duris persecutionibus angustabitur..... In extremis cùm Judæa crediderit, gravissimas Antichristi tempore persecutiones sentit... Quia Enoch et Elià prædicante, multi ex his, qui tunc ex Judæis in infidelitate remanserint, ad cognitionem veritatis redeunt, sicut de eodem Elià dicitur: (*Matth.* XVII. 11.) Elias veniet, et ipse restituet omnia.... In prædicatione Enoch et Eliæ Judæis ad fidem redeuntibus.

idolis,) *et post hæc revertentur filii Israël, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum: et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus in novissimo dierum.*

Multi Prophetiam hanc intelligendam putant de reditu à captivitate Babylonicâ; sed videntur hæc de ultimâ eorum conversione non minùs ad litteram intelligenda, ut reverâ intellexerunt SS. Patres. Sed quidquid sit de eo testimonio, certè futura Judæorum conversio verbis apertis prædicta est à Paulo capite XI. Epistolæ ad Romanos.

Nolo vos, inquit, (*Rom.* XI. 25.) *ignorare fratres mysterium hoc.... quia cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret*, 26. *et sic omnis Israël salvus fieret sicut scriptum est* (*Isaï.* LIX. 20.): *Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impietatem Jacob.* 27. *Et hoc illis à me testamentum: cùm abstulero peccata eorum.* 28. *Secundùm Evangelium quidem inimici propter vos: secundùm electionem autem carissimi propter patres....* 30. *Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum:* 31. *Ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam: ut et ipsi misericordiam consequantur.* 32. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.*

Nunc Judæi in ultione occisionis Christi velamen habent positum in cordibus suis, ita ut videntes non videant, et auribus suis non intelligant, et sit ipsis omnis visio et prophetia, sicut verba libri signati. Sed adveniente fine seculorum auferetur velamen de cordibus eorum, et intelligent frustrà exspectari alium Messiam, et aspicient ad Christum quem confixerunt; et plangent et dolebunt super eum, et convertentur ad Dominum Deum suum, adjuvantibus maximè Enoch et Elia. (N)

(N) ECCLI. XLV. II. 9. Qui (Elias) receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. 10. Qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini; conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob.

MALACH. IV. 5. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis. 6. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum: ne fortè veniam et percutiam terram analhemate.

MATTH. XVII. 10.... Quid ergo Scribæ dicunt, quòd Eliam oportet primùm venire. 11. At ille respondens ait eis: Elias quidem venturus est, et restituet omnia.

S. AUG. *Lib.* 18. *de Civit. Dei, c.* 28. Istos autem carnales Israëlitas, qui nunc nolunt credere in Christum, posteà credituros, id est, filios eorum, (nam utique isti in suum locum moriendo transibunt) Propheta testatur, (*Osee* III. 5.) dicens: *Et posteà revertentur filii Israël, et inquirent Dominum Deum suum, et David Regem suum, et stupescent in Domino, et in bonis ipsius in novissimis diebus.* Nihil est istâ Prophetiâ manifestius, cùm David Regis nomine significatus intelligatur Christus, *qui factus est*, sicut dicit Apostolus, *ex semine David secundùm carnem*... Amos quoque de rebus talibus sic prophetat (IX. 11. 12.): .... In illa die resuscitabo tabernaculum David, quod cecidit, et reædificabo quæ ceciderunt ejus, et destructa ejus resuscitabo, et reædificabo ea, sicut dies seculi: ita ut exquirant me residui hominum, et omnes gentes in quibus invocatum est nomen meum super eos, dicit Dominus faciens hæc.

Lib. 20. *cap.* 29. *Vide suprà litt.* (M) *hocce &. ut et alias auctoritates Patrum sub hac littera allatas.*

Cap. 30. *n.* 2. Apud Zachariam * ... ita scriptum est : *Hæc dicit Dominus omnipotens :* (II. 8. 9.) *post gloriam misit me super gentes quæ spoliaverunt vos ; quia qui tetigerit vos, quasi qui tangit pupillam oculi ejus. Ecce ego inferam manum meam super eos, et erunt spolia his qui servierant eis ; et cognoscetis quia Dominus omnipotens misit me...* Quis hic audeat intelligere nisi Christum loquentem, scilicet ovibus, quæ perierant domûs Israël ? Ait namque in Evangelio (*Matth.* X. 6.), *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierant domûs Israël :* quas hîc comparavit pupillæ oculi Dei, propter excellentissimum dilectionis affectum, ex quo genere ovium etiam ipsi Apostoli fuerunt.

N. 3. Item per eumdem Prophetam Dominus loquens, *Et erit*, inquit (*Zach.* XII. 9. 10.), *in illâ die : quæram auferre omnes gentes, quæ veniunt contra Jerusalem, et effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et misericordiæ ; et aspicient ad me, pro eo quòd insultaverunt, et plangent super eum quasi super carissimum, et dolebunt dolore quasi super unigenitum.....* Pœnitebit quippe in die illâ Judæos, etiam eos, qui accepturi sunt spiritum gratiæ et misericordiæ, quòd in ejus passione insultaverint Christo, cùm ad eum aspexerint in suâ majestate venientem, eumque esse cognoverint, quem priùs humilem in suis parentibus illuserunt ; quamvis et ipsi parentes eorum, tantæ illius impietatis auctores, resurgentes videbunt eum sed puniendi, jam non adhuc corrigendi. Non itaque hoc loco ipsi intelligendi sunt... sed de illorum stirpe venientes, qui per Eliam illo tempore sunt crediturі.

N. 5. In illo itaque judicio, vel circa illud judicium, has res didicimus esse venturas, Eliam Thesbiten, fidem Judæorum, Antichristum persecuturum, Christum judicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque diremptionem, mundi conflagrationem ejusdemque renovationem. Quæ omnia quidem ventura esse credendum est, sed quibus modis, et quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quàm nunc valet consequi ad perfectum hominum intelligentia. Existimo tamen eo, quo à me commemorata sunt, ordine esse ventura.

Quæst. Evang. lib. 2. *quæst.* 33. *n.* 7. Sed indignatur etiam nunc, (*Israël filius natu major*) et adhuc non vult introire. Cùm ergo plenitudo gentium intraverit, egredietur opportuno tempore pater ejus, ut et jam omnis Israel salvus fiat : cui ex parte cæcitas facta est velut absentia in agro, donec plenitudo filii minoris, longe in idololatria gentium constituti, redux ad manducandum vitulum intraret. Erit enim quandoquè aperta vocatio Judæorum in salutem Evangelii. Quam manifestationem vocationis, tanquam egressum patris appellat ad rogandum majorem filium.

S. HIERONYM. *in cap. 4. Malachiæ in fine.....* Eliam dicit esse mittendum... Igitur antequam veniat dies judicii, et percutiat Dominus terram anathemate... mittet Dominus in Elia, qui interpretatur *Deus meus*, et est de oppido Thesbi, quod *conversionem et pœnitentiam* sonat, omnem Prophetarum chorum, qui convertat cor patrum ad filios, Abraham videlicet, et Isaac et Jacob, et omnium Patriarcharum ; ut credant posteri eorum in Dominum Salvatorem, in quem et illi crediderunt.... Si enim Elias non cor patrum ad filios ante converterit, et cor filiorum ad patres eorum, cùm venerit dies magnus et horribilis : magnus Sanctis, horribilis peccatoribus ; percutiet verus et justus judex : non cœlum, nec eos qui versantur in cœlo ; sed terram anathemate, qui faciunt opera terrena.

S. LEO *aut* PROSPER *de Vocat. Gentium*, *lib.* 1. *c.* 13. Cur... ipsi (*filii Israël*) quorum diminutio salus Gentium est, ab obcæcatione sua non liberentur, priusquàm ingrediatur Gentium plenitudo : quasi illuminari cum omnibus nequeant, qui omnes factâ omnium Gentium adoptione salvandi sunt ? aut quomodò omnis Israel, sublatâ obcæcatione, salvandus sit, cujus innumerabilis multitudo in sua infidelitate deficiens, ad tempora salvandis promissa non pervenit ?

S. GREG. *Lib.* 2. *Moral. in Job. c.* 23. Sed nunquid hanc omninò deseruit ? Et ubi est quod per Prophetam (*Isaï.* X. 22. *Rom.* IX. 27.) dicitur : Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, et reliquiæ salvæ fient. Ubi

§. 18. De Generali corporum Resurrectione in fine mundi futurâ.

I. Post persecutionem Antichristi et Judæorum conversionem, quid fiet in fine seculorum?

R. Mittet Deus Angelos suos cum tuba et voce magna (*Matth.* XXIV. 18. 1. *Cor.* XV. 52.), et in novissimâ tubâ, in momento, in ictu oculi omnes mortui resurgent. (A)

I. Quid hoc rei est, omnes mortui resurgent?

R. Hoc est, uniuscujusque hominis mortui anima adjungetur iterum suo corpori, licèt anteà corrupto, et in pulverem à multis fortè seculis reverso.

I. Quomodò id fiet?

R. Per omnipotentiam Dei, qui eâdem facilitate cadavera nostra excitabit è tumulo, quâ eduxit è nihilo. (B)

est quod scriptum est (*Rom.* XX. 25.) D. nec plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israël salvus fieret? Erit ergo quandoquè conspicuus, ut etiam Synagogæ appareat. Erit in fine mundi proculdubio, quando gentis suæ reliquiis semetipsum, sicut est Dominus, innotescet.

(A) MATTH. XXIV. 31. Et mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna: et congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis cœlorum usque ad terminos eorum.

1. COR. XV. 52. In momento, in ictu oculi, in novissimâ tubâ: canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti: et nos immutabimur.

1. THESSAL. IV. 16. Deindè nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, et sic semper cum Domino erimus.

(B) 1. COR. XV. 35. Sed dicet aliquis: Quomodò resurgunt mortui? qualive corpore venient? 36. Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi priùs moriatur. 37. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum. 38. Deus autem dat illi corpus sicut vult: et unicuique seminum proprium corpus.

TERT. *Apol. n.* 48. Sed quomodò, inquis, dissoluta materia, exhiberi potest? Considera temetipsum, ô homo, et fidem rei invenies: recogita quod fueris, antequam esses. Utique nihil, meminisses enim, si quid fuisses. Qui ergo nihil fueras, priusquàm esses, idem nihil factus cum esse desieris, cur non possis rursus esse de nihilo, ejusdem ipsius auctoris voluntate, qui te voluit esse de nihilo? quid novi tibi eveniet? Qui non eras, factus es; cùm iterùm non eris, fies. Redde, si potes, rationem quâ factus es, et tunc require quâ fies: et tamen faciliùs utique fies, quod fuisti aliquando, quia æquè non difficilè factus es, quod nunquam fuisti aliquando. Dubitabitur, credo, de Dei viribus, qui tantum corpus hoc mundi de eo, quod non fuerat, minùs quàm de morte vacationis et inanitatis, composuit, animatum spiritu omnium animatore. Signatum et per ipsum humanæ resurrectionis exemplum in testimonium vobis. Lux quotidie interfecta resplendet, et tenebræ pari vice decedendo succedunt. Sidera defuncta reviviscunt, Tempora ubi finiuntur, incipiunt. Fructus consumuntur et redeunt. Certè semina non nisi corrupta et dissoluta fœcundiùs surgunt. Omnia pereundo servantur, omnia de interitu reformantur. Tu homo, tantum nomen, si intelligas te, vel de titulo Pythiæ discens, dominus omnium morientium et resurgentium, ad hoc morieris, ut pereas?...

De Resurrect. carnis, n. 1. Fiducia Christianorum, Resurrectio mortuorum. Illà, credentes sumus, hoc credere veritas cogit: veritatem Deus aperit.

N. 12. Nunc, et si interest, tamen utrumque mihi applaudit. Sive enim ex nihilo Deus molitus est cuncta, poterit et carnem in nihilum perductam, exprimere de nihilo. Sive de materia modulatus est alia, poterit et carnem quocunque dehaustam evocare de alio. Et utique idoneus est

reficere, qui fecit; quantò plus est fecisse, quàm refecisse: initium dedisse, quàm reddidisse. Ita restitutionem carnis faciliorem credas institutione. Aspice nunc ad ipsa quoque exempla divinæ potestatis. Dies moritur in noctem, et tenebris usquequaquè sepelitur. Funestatur mundi honor: omnis substantia denigratur, sordent, silent, stupent cuncta: ubique justitium est. Ita lux amissa lugetur: et tamen rursùs cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem et integra, et tota universo orbi reviviscit, interficiens mortem suam, noctem; rescindens sepulturam suam, tenebras; hæres sibimet existens, donec et nox reviviscat, cum suo et illa suggestu. Redaccenduntur enim et stellarum radii, quos matutina succensio exstinxerat. Reducuntur et siderum absentiæ, quas temporis distinctio exemerat. Redornantur et specula lunæ, quæ menstruus numerus attriverat. Revolvuntur hiemes et æstates, verna et autumna, cum suis viribus, moribus, fructibus. Quippe etiam terræ de cœlo disciplina est arbores vestire post spolia, flores denuò colorare, herbas rursùs imponere, exhibere eadem, quæ absumpta sint, semina; nec priùs exhibere, quàm absumpta. Mira ratio: de fraudatrice servatrix; ut reddat, intercipit; ut custodiat, perdit; ut integret, vitiat: ut etiam ampliet, priùs decoquit. Si quidem uberiora et cultiora restituit, quàm exterminavit. Reverà fœnore interitur, et injuriâ, usurâ et lucro damno. Semel dixerim, universa conditio recidiva est. (Quodcunque convenceris, fuit: quodcunque amiseris, nihil non iterum est.) Omnia in statum redeunt, cùm abscesserint: omnia incipiunt, cùm desierint: ideò finiuntur, ut fiant, nihil deperit, nisi in salutem. Totus igitur hic ordo revolubilis rerum, testatio est resurrectionis mortuorum. Operibus eam præscripsit Deus antequam litteris: viribus prædicavit antequàm vocibus: præmisit tibi naturam magistram, submissurus et prophetiam quò faciliùs credas prophetiæ discipulus naturæ; quò statim admittas, cùm audieris quod ubique jam videris: nec dubites Deum carnis etiam resuscitatorem, quem omnium noris restitutorem.

N. 18. Incredibile habeatur restitui substantiam interitu subductam; non quia aut substantiæ ipsi inemeribile sit, aut Deo impossibile, aut judicio inhabile. Planè incredibile, si nec prædicatum divinitùs fuerit; nisi quod, etsi prædicatum id à Deo non fuisset, ultrò præsumi debuisset, ut propterea non prædicatum, quia tot auctoritatibus præjudicatum. At cùm divinis quoque vocibus personet, tantò abest ut aliter intelligatur, quàm desiderant illa, à quibus etiam sine divinis vocibus persuadetur.

S. Joan. Damasc. *Lib.* 4. *Orthod. fidei*, *cap.* 28. Credimus autem et resurrectionem mortuorum: erit enim resurrectio mortuorum. Resurrectionem autem dicentes, corporum intelligimus resurrectionem.... Nam animæ cùm immortales sint, quomodò resurgent? Si quidem mortem definientes dicimus esse separationem animæ à corpore, resurrectio omninò erit conjunctio rursus animæ et corporis, et secunda, iteratague ejus quod dissolutum fuerit, iteritque pessum, animalis restitutio. Ipsum igitur corpus quod corrumpitur et dissolvitur, idem resurget incorruptibile. Non impotens enim est is, qui in principio ex pulvere terræ ipsum constituit, rursùs resolutum et conversum in terram, ex qua sumptum fuerat, secundùm conditoris dictum iteratò suscitare illud. Nam: non est resurrectio, manducemus et bibamus et voluptuariam deliciosamque vitam transigamus. Si non est resurrectio, in quo differimus à rationis expertibus? Si non est resurrectio, beatas dicimus agrestes feras, jucundam tristitiàque carentem ducentes vitam. Si non est resurrectio, neque Deus est, neque providentia, sed casu cuncta ducuntur et feruntur. Ecce enim videmus complures justos penuriâ laborantes et injuriis affectos, neque unum in præsenti vita adeptos præsidium, peccatores autem et injustos, divitiis et omnibus deliciis affluentes. At quis hoc justi judicii aut sapientis providentiæ opus, qui probè sapiat, existimabit? Erit igitur, erit resurrectio: nam Deus justus est, et iis, qui sustinent cum, mercedis retributor efficitur. Si igitur anima sola, virtutis certaminibus conflixit, et sola coronabitur: et si sola in voluptatibus implicita fuit, et ipsa sola justè punietur. Sed quia neque sustinebat separata, neque virtutem, neque vitium transegit anima sine

corpore, justè ambo simul ad retributiones sunt fabricata. *Deindè affert Scripturæ sacræ testimonia, et addit* (1. *Cor.* xv. 44.) : Seminatur corpus animale, id est, crassum et mortale, resurget corpus spiritale, immutabile, impassibile, subtile. Hoc enim designavit spiritale ; quale Domini corpus post resurrectionem, clausis portis ingrediens, infatigabile, cibo, somno et potu non indigens. Erunt enim, inquit Dominus (*Matth.* xxii. 30.), sicut Angeli Dei : non nuptiæ erunt, non filiorum procreatio.

S. Cyrill. Hierosolym. *Catech.* 18. *n.* 1. Radix totius bonæ operationis, est spes resurrectionis : exspectatio enim retributionis incitat mentem ad bona opera : promptiorque fit omnis operarius ad perferendos labores, si præmium laborum prævideril.... Et omnis anima credens in resurrectionem, meritò sibi parcit : non credens autem resurrectioni, exposita fit perditioni. Credens manere corpus in resurrectionem, parcit illi tanquam vesti, et non polluit eam in iniquitatibus : qui verò non credit resurrectionem, exponit sese libidini, ac veluti alieno abutitur corpore suo. Magna igitur est Ecclesiæ Catholicæ admonitio, fides de resurrectione, et doctrina valdè necessaria.

N. 2. Occidit homo, mortuus est, et computruit, et totus in vermes resolutus est, atque ii vermes quoque interierunt. Putrefactio tanta et corruptio corpus excepit, quomodo igitur resurget ? Navigatores à piscibus devorati sunt, et ipsi quoque comesti sunt : qui cum bestiis pugnarunt, ursi et leones, unà cum ossibus comminuerunt. Vultures et corvi mortuorum humi projectorum corpora comederunt, et in universum mundum dispersi sunt.. Undè congregabitur corpus ? Nam avium, quæ illud comederunt, aliam quidem in India mori contigit, aliam in Perside, aliam in Gothia igne comburi, et ipsius cinerem ventus dispersit. Unde id corpus congregabitur ? Tibi sanè homuncioni exiguo et imbecilli procul à Gothia India, et Hispania à Perside videtur.... Deo autem, qui terram pugillo continet, omnia sunt propè. Non igitur pro tuâ imbecillitate Deum arguas impotentiæ ; sed potiùs illius potentiæ assentiare.... Cogita diversa semina germinum misceri (infirmo enim tibi in fide, infirma propono exempla) et hæc diversa semina tuo pugillo contineri. Estne tibi homini res magna, an facilis, pugillum tuum aperire, et unum quodque germen, secundùm ipsius naturam colligere, et ad germen restaurare ? et tu quidem id in tuo pugillo poteris, num et Deus, quæ illius pugillo continentur, discernere, congregare, et restaurare non poterit ?

N. 3. Si non est resurrectio mortuorum secundùm te, cur sepulcrorum spoliatores condemnas ? Si enim periit corpus, et desperata resurrectio, cur tumulorum prædones mulctantur ? Vides, quòd etiam neges labiis, infracta tamen apud te manet resurrectionis conscientia ? Tum verò arbor quidam excisa rursùs floret, homo autem excisus non florebit ?.... Qui ex nihilo nos fecit Deus, nunquid jam existentes et cadentes rursùs excitare non poterit ? Si non credis his, quæ de resurrectione scripta sunt, Gentilis existens, ex rerum natura id perspice, et his, quæ ad hodiernam usque diem apparent, intellige. Seminatur frumentum, vel fortè aliud genus seminis, cadens moritur, et quasi putrescit, filque omnino ineptum ad cibum : sed mox illud putridum fit herbidum, et exile cadens surgit pulchrum. Frumentum autem fit propter nos, et propter usum nostrum factum est : neque enim frumenta et semina sunt propter se ipsa. Si ergo ista, quæ propter nos nascuntur mortua reviviscunt, nos verò quorum causà et illa nata sunt, mortui an non excitabimus ?

N. 5. Accipe aliàm rursus demonstrationem ex his, quæ in dies tibi sunt præ oculis : ante centum vel ducentos annos, nos omnes qui loquimur et audimus, ubi eramus ? An nescimus constitutionis nostræ subsistentiam ? Nescis quomodo ex infirmis, rudibus, et confusis rebus generamur ? Et ex tam rudi infirmaque materia formatur homo : et quod erat imbecillum, incarnatum, in robur nervorum mutatur, et oculorum splendorem, et narium odoratum, et aurium auditum, et linguam loquentem, et cor saliens, et manus operantes, et pedes currentes, et in omnimodam membrorum speciem. Ac illud imbecillum fit

I. Id verò quâ ratione fierit possit, quis capiat?

R. Id quidem perfectè capere non possumus, credimus tamen sine ullâ dubitationis umbrâ, quia Deus id planè revelavit. (C) Quin et videmus hujus rei imagines quasdam in rebus naturalibus.

Ex grano frumenti in terram misso et corrupto prodit iterùm spica. Idem usu venit in omnibus omninò seminibus, quæ post corruptionem reviviscunt. Ex illis quantumlibet imperfectis imaginibus conjicere licet, quæ sit Dei potentia in excitandis è pulvere corporibus, ut ex allatis Patrum testimoniis patet.

I. Resurgetne corpus hominum tale, quale fuit ante mortem?

R. Idem corpus resurget, sed non iisdem qualitatibus affectum. Alia erit resurrectio Justorum, alia impiorum, ex Apostolo. (D)

navium fabricator, et domorum opifex, architectus et omnium artium operarius : miles, princeps, legislator et rex. Qui ex levibus ita nos fecit Deus, num cadentes excitare non poterit? et qui non existens fecit ut esset, nunquid cadens non sublevabit?....

N. 7. Veniamus ad scripta legis. Dicit igitur Deus ad Moysen : *Ego Deus Abraham, Isaac et Jacob :* certum, quod existentium, et subsistentium. Si enim Abraham mortuus est, vel non existit, et Isaac et Jacob ; nunquid Deus est non existentium? Num aliquando dixit Rex, se Regem esse militum, quos non habet? Quando aliquis ostentat divitias, quas non possidet? Necesse est itaque subsistere, et Abraham et Jacob, ut Deus sit existentium Deus : neque enim dixit, ipsorum eram Deus, sed sum.... *Et creavit Deus hominem pulverem de terra.* Pulvis in corpus mutatur, et caro in carnem rursùs non convertetur? Quærendum esset à vobis, undè constituti sunt cœli et terra et mare, undè sol et luna et astra? Quomodo ex aquis volatilia et natantia? et quomodo de terra omnia animantia? Tot myriades ex non existentibus, ad esse deductæ sunt, et nos homines, qui facti sumus ad illius imaginem, nunquid non resurgemus?....

(C) Job. xix. 25. Scio quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terrâ surrecturus sum : 26. Et rursùm circumdabor pelle meâ, et in carne meâ videbo Deum meum. 27. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius : reposita est hæc spes mea in sinu meo.

1. Cor. xv. 51. Ecce mysterium vobis dico ; omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. 52. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba : canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti : et nos immutabimur. 53. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. 54. Cùm autem mortale hoc induerit immortalem, tunc fiet sermo, qui scriptus est (*Osee.* xiii. 14.) : Absorpta est mors in victoria.

S. Aug. *Lib.* 22. *de Civit. Dei, c.* 5. *Vide suprà* §. 9. *litt.* (A) *hocce Cap.*

(D) Job. xix. 25. 26. 27. *Vide suprà litt.* (C) *hocce* §.

1. Cor. xv. 35. *Vide suprà Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 21. *litt.* (AA)

S. Aug. *Enchirid. c.* 88. *n.* 23. Non autem perit Deo terrena materies, de quâ mortalium creatur caro : sed in quemlibet cinerem pulveremve solvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcunque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunque animalium etiam hominum cibum cedat carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitùs, ut homo fieret, viveret, cresceret, animavit.

Cap. 89. Ipsa itaque terrena materies, quæ discedente animâ fit cadaver, non ita resurrectione reparabitur, ut ea, quæ dilabuntur, et

in alias atque alias aliarum rerum species et formas vertuntur, quamvis ad corpus redeant undè dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes ubi fuerunt, redire necesse sit. Alioquin si capillis redit quod tam crebra tonsura detraxit, si unguibus quod toties demsit exsectio; immoderata et indecens cogitantibus, et ideò resurrectionem carnis non credentibus occurrit informitas. Sed quemadmodùm, si statua cujuslibet solubilis metalli, aut igne liquesceret, aut contereretur in pulverem, aut confunderetur in massam, et eam vellet artifex rursùs ex illius materiæ quantitate reparare, nihil interesset ad ejus integritatem, quæ particula materiæ, cui membro statuæ redderetur, dùm tamen totum, ex quo constituta fuerat, restituta resumeret: Ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex, de toto, quo caro nostra constiterat, eam mirabili et ineffabili celeritate restituet, nec aliquid attinebit ad ejus redintegrationem, utrùm capilli ad capillos redeant, et ungues; an quidquid eorum perierat mutetur in carnem, et in partes alias corporis revocetur, curante artificis providentiâ, ne quid indecens fiat.

Cap. 90. Nec illud est consequens, ut ideò diversa est statura reviviscentium singulorum, quia fuerat diversa viventium, aut macri cum eâdem macie, aut pingues cum eâdem pinguedine, reviviscant. Sed si hoc est in consilio creatoris, ut in effigie suâ cujusque proprietas, et discernibilis similitudo servetur, in cæteris autem corporis bonis æqualia cuncta reddantur; ita modificabitur illa in unoquoque materies, ut nec aliquid ex eâ pereat, et quod alicui defuerit, ille suppleat, qui etiam de nihilo potuit quod voluit operari. Si autem in corporibus resurgentium rationabilis inæqualitas erit, sicut est vocum, quibus cantus impletur; hoc fiet cuique de materie corporis sui, quod et hominem reddat Angelicis cœtibus, et nihil inconveniens eorum ingerat sensibus. Indecorum quippè aliquid ibi non erit, sed quidquid futurum est, hoc decebit; quia nec futurum est, si non decebit.

Cap. 91. Resurgent igitur Sanctorum corpora, sine ullo vitio, sine ullâ deformitate, sicut sine ullâ corruptione, onere, difficultate: in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. Propter quod et spiritalia dicta sunt, cùm proculdubio corpora sint futura, non spiritus. Sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus, non anima est: ita tunc spirituale corpus erit, corpus tamen non spiritus erit. Proindè quantùm attinet ad corruptionem, quæ nunc aggravat animam, et ad vitia, quibus caro adversùs spiritum concupiscit, tunc non erit caro sed corpus: quia et cœlestia corpora perhibentur. Propter quod dictum est (1. *Cor.* xv. 50.), *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*.... Et tanquam exponens quid dixerit, *neque corruptio*, inquit, *incorruptionem possidebit*.... Ideò ait Apostolus: (*Ibid.* 44.) *Seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale*: quoniam tanta erit tunc concordia carnis et spiritûs, vivificante spiritu sine sustentaculi alicujus indigentia subditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis; sed sicut foris neminem, ita nec intùs nos ipsos patiamur inimicos.

Cap. 92. Quicunque verò ab illâ perditionis massâ, quæ facta est per hominem primum, non liberantur per unum mediatorem Dei et hominum, resurgent quidem etiam ipsi, unusquisque cum suâ carne, sed ut cum diabolo et ejus angelis puniantur. Utrùm sanè ipsi cum vitiis et deformitatibus suorum corporum resurgant quæcunque in eis vitiosa et deformia membra gestarum, in requirendo laborare quid opus est? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa et sempiterna damnatio. Nec moveat quomodò in eis erit corpus incorruptibile, si dolere poterit; aut quomodò corruptibile, si mori non poterit. Non est enim vera vita, nisi ubi feliciter vivitur; nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non sinitur, ut ita dicam, mors ipsa non moritur: et ubi dolor perpetuus non interimit, sed affligit, ipsa corruptio non sinitur: hæc in sanctis Scripturis secunda mors dicitur.

Lib. 22. *de Civit. Dei*, *c.* 15. Restat ergo, ut suam recipiat quisque mensuram, quam vel habuit in juventute, etiam si senex est mortuus: vel fuerat habiturus, si antè est defunctus.

Cap. 16.... Quemadmodùm ille (*Christus*) nobis mortalitate, ita nos

illi efficiamur immortalitate conformes : Quod quidem et ipsam mortalitatem corporum pertinet.... Resurgent itaque omnes tam magni corpore, quàm vel erant, vel futuri erant juvenili ætate ; quamvis nihil oberit, etiam si erit infantilis, vel senilis corporis forma, ubi nec mentis, nec ipsius corporis ulla remanebit infirmitas. Undè etiam si quis in eo corporis modo, in quo defunctus est, resurrecturum unumquemque contendit, non est cum illo laboriosâ contradictione pugnandum.

Cap. 17.... Mihi meliùs sapere videntur, qui utrumque sexum resurrecturum esse non dubitant. Non enim libido ibi erit, quæ confusionis est causa.... Corporibus ergo illis vitia detrahentur, natura servabitur... Qui ergo utrumque sexum instituit, utrumque restituet.

Cap. 19. *n.* 1.... Quapropter si capilli toties tonsi unguesve desecti ad loca sua deformiter redeunt, non redibunt : nec tamen cuique resurgenti peribunt, quia in eamdem carnem, ut quemcunque ibi locum corporis teneant, servatâ partium congruentiâ, materiæ mutabilitate vertentur.... Si enim statuam potest artifex homo, quam propter aliquam causam deformem fecerat, conflare, et pulcherrimam reddere, ita ut nihil indè substantiæ, sed sola deformitas pereat.... quid de omnipotente artifice sentiendum est ? Ergone non poterit, quasque deformitates humanorum corporum, non modò usitatas, verùm etiam raras atque monstrosas, quæ huic miseræ vitæ congruunt, abhorrent autem ab illâ futurâ felicitate Sanctorum, sic auferre ac perdere, ut quascunque earum faciunt, etsi naturalia, tamen indecora excrementa substantiæ corporalis, nulla ejus diminutione tollantur.

N. 2. Ac per hoc non est macris, pinguibusve metuendum, ne ibi etiam tales sint, quales, si possent, nec hîc esse voluissent.... Proindè nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium, ubi et quæ prava sunt, corrigentur ; et quod minus est quàm decet, undè Creator novit, indè supplebitur ; et quod plus est quàm decet, materiæ servatâ integritate, detrahetur. Coloris porrò suavitas quanta erit, ubi justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui ?

N. 3. *aliàs c.* 20. Vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine (*Martyres*) pertulerunt, fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, et quædam, quamvis in corpore, non corporis sed virtutis pulchritudo fulgebit.

Cap. 22. *n.* 1. Absit autem ut ad resuscitanda corpora, vitæque reddenda non possit omnipotentia Creatoris omnia revocare, quæ vel bestiæ, vel ignis absumpsit, vel in pulverem cineremve collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum. Absit ut sinus ullus secretumque naturæ ita recipiat aliquid substractum sensibus nostris, ut omnium Creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem.

N. 2. Quæritur, cùm caro mortui hominis etiam alterius fit viventis caro, cui potiùs eorum in resurrectione reddatur.... Quidquid enim carnium exhausit fames, utique in auras est exhalatum : undè diximus omnipotentem Deum posse revocare quod fugit. Reddetur ergo caro illa homini, in quo esse caro humana primitùs cœpit : ab illo quippe altero, tanquam mutuò sumpta, deputanda est : quæ sicut æs alienum, ei redhibenda est, undè sumpta est. Sua verò illi, quem fames exinanierat, ab eo, qui potest etiam exhalata revocare, reddetur. Quamvis et si omnibus perisset modis, nec ulla ejus materies in ullis naturæ latebris remansisset, undè vellet, eam repararet Omnipotens.

N. 3.... absit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omnisque corruptio ; et si quid aliud, non decet regnum, in quo resurrectionis et promissionis filii æquales erunt Angelis Dei, si non corpore, non ætate, certè felicitate.

Cap. 21. Restituetur ergo et quidquid de corporibus vivis, vel post mortem de cadaveribus periit, et simul cum eo, quod in sepulcris remansit, in spiritalis corporis novitatem ex animalis corporis vetustate mutatum resurget, incorruptione atque immortalitate vestitum. Sed et si vel casu aliquo gravi, vel inimicorum immanitate totum penitùs conteretur in pulverem, atque in auras vel in aquas dispersum quantùm fieri potest, nusquam esse sinatur omninò, nullomodo subtrahi poterit omnipotentiæ Creatoris, sed capillus in eo capitis non peri-

I. Quales resurgent justi ?

R. Resurgent cum corporibus gloriosis, et, ut ita dicam, spiritualibus. (E)

I. Quæ erunt qualitates corporum gloriosorum et spiritualium ?

R. Quatuor assignant vulgò sancti Patres, quas videtur et tradidisse Apostolus, capite decimo quinto prioris Epistolæ ad Corinthios.

1. Erunt corpora splendida et fulgentia luminis instar.

2. Erunt agilia instar spirituum.

3. Erunt subtilia, ita ut nullo corporali obice detineri possint, quale fuit corpus Christi post resurrectionem, quod in locum, ubi erant Apostoli congregati, intravit januis clausis.

4. Erunt prorsùs impassibilia. (F)

bit. Erit ergo spiritui subdita caro spiritalis, sed tamen caro, non spiritus.... (1. *Cor.* xv. 42.) Seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale.

Tertull. *Lib. de Resurrect. carnis*, *pag.* 361. In resurrectionis eventum mutari, converti, reformari licebit cum salute substantiæ. Etenim quàm absurdum, quàm verò et iniquum; utrumque autem quàm Deo indignum, aliam substantiam operari, aliam mercede dispungi; ut hæc quidem caro per martyria lanietur, alia verò coronetur : item è contrario, hæc quidem caro in spurcitiis volutetur, alia verò damnetur ? Nonne præstat omnem semel fidem à spe resurrectionis abducere, quàm de gravitate atque justitia Dei ludere.

S. Hieron. *ad Pammac. Epist.* 38. *aliàs* 61. *adversùs Hæres. Joan. Jerosolym. t.* 4. *p.* 323. Post resurrectionem eadem habebimus membra, quibus nunc utimur, easdem carnes et sanguinem et ossa, quorum in Scripturis sanctis opera, non natura damnatur.... Hæc est vera resurrectionis confessio, quæ sic gloriam carni tribuit, ut non auferat veritatem. Quod verò dicit Apostolus (1. *Cor.* xv. 53.), *corruptibile hoc et mortale*, hoc ipsum corpus, id est, carnem, quæ tunc videbatur, ostendit. Quod autem copulat, *induere corruptionem et immortalitatem*, illud indumentum, id est, vestimentum, non dicit corpus abolere, quod ornat in gloria; sed quod antè inglorium fuit, efficere gloriosum; ut mortalitatis et infirmitatis viliore veste depositâ, immortalitatis auro, et, ut ita dicam, firmitatis atque virtutis beatitudine induamur; volentes non spoliari carne, sed supervestiri in gloria, et domicilium nostrum, quod de cœlo est, superindui desiderantes, ut devoretur mortale à vita.... Fidem Ecclesiæ apertissimè confitebor. Resurrectionis veritas, sine carne et ossibus, sine sanguine et membris, intelligi non potest. Ubi caro et ossa, et sanguis et membra sunt, ibi necesse est ut sexûs diversitas sit. Ubi sexûs diversitas est, ibi Joannes Joannes, Maria Maria. Noli timere eorum nuptias, qui etiam ante mortem in sexû suo sine sexûs opere vixerunt. Quando dicitur : *In illa die neque nubent neque nubentur* (*Matth.* xxii. 30.), de his dicitur qui possunt nubere, et tamen non nubent. Nemo enim dicit de Angelis, *non nubent neque nubentur*. Ego nunquam audivi spiritualium virtutum in cœlo nuptias celebrari : sed ubi sexus est, ibi vir et femina. Undè et tu intus licèt cogente veritate confessus es, et dixisti : aut coronandus in corpore, quod castè egit et justè : aut condemnandus in corpore, quod voluptatibus iniquitatique servivit.... Potest utique (*Deus*) eâdem potentiâ, quâ de nihilo cuncta fabricatus est, reddere quæ fuerunt; quia multò minus est restituere quod fuerit, quàm facere quod non fuit....

(E) 1. Cor. xv. 35. *Vide suprà hac Sect. Cap.* 1. §. 21. *litt.* (AA) *et* S. Aug. *de Civit. Dei, lib.* 22. *c.* 16. *Vide suprà litt.* (D) *hocce §.*

(F) Isai. xl. 31. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudi-

nem, assument pennas sicut aquilæ, current, et non laborabunt; ambulabunt, et non deficient.

MATTH. XIII. 43. Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.

PHILIPP. III. 21. Qui (Christus) reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem, quâ etiam possit subjicere sibi omnia.

APOCAL. XXI. 4. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: et mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abiernnt.

S. AUG. *Enrichid. c.* 91. *et lib.* 21. *de Civit. Dei, cap.* 20. *et* 21. *Vide suprà litt.* (D) *hocce §.*

Serm. 240. *in diebus Paschal.* XI. *aliàs de Temp.* 139. *cap.* 3. *n.* 3. *Vide infrà Part.* 2. *Sect.* 4. *Cap.* 2. §. 12. *litt.* (G)

S. HIERONYM. *Lib.* 11. *in Isaï. c.* 40. *T.* 3. *p.* 302. Qui autem habet et custodit imaginem cœlestis, ille caro est quæ cernit salutare Domini, quæ quotidiè renovatur in cognitionem secundùm imaginem Creatoris: et incorruptibile atque immortale corpus accipiens, mutat gloriam, non naturam. Verbum autem Domini nostri, et hi, qui Verbo sociati sunt, permanent in æternum.

Lib. 12. *in c.* 40. *T.* 3. *p.* 309. *in fine.* Itaque et Sanctos repuerascere: assumpto immortali corpore, laborem non sentire mortalium, sed rapi in nubibus obviam Christo, et nequaquàm juxta *Septuaginta* esurire, quia præsentem Dominum habeant cibum.

Epist. 86. *ad Eustoch. Virginem, aliàs* 27. *T.* 4. *pag.* 684. *et* 685. Utrùm crederet futuram resurrectionem mortuorum, an non? Qui cùm se credere respondisset, intuli: Eadem resurgent corpora, an altera? Cùm dixisset, Eadem, sciscitatus sum: In eodem sexu, an in altero? Ad interrogata reticenti, et instar colubri huc atque illuc transferenti caput, ne feriretur; Quia, inquam, taces, ego mihi pro te respondebo, et consequentia inferam. Si non resurget mulier, ut mulier, neque masculus, ut masculus; non erit resurrectio mortuorum; quia sexus membra habet, membra autem totum corpus efficiunt. Si autem sexus et membra non fuerint, ubi erit resurrectio corporum, quæ sine sexu non constant et membris? Porrò si corporum non fuerit resurrectio, nequaquàm erit resurrectio mortuorum. Sed et illud quod de nuptiis objicis.... Ubi dicitur, non nubent, neque nubeutur, sexuum diversitas demonstratur.... Quòd si opposueris, Quomodò ergò erimus similes Angelorum, cùm inter Angelos non sit masculus et femina? Breviter ausculta: non substantiam nobis Angelorum, sed conversationem, et beatitudinem Dominus repromittit.... Porrò si quæritis.... in qua ætate resurrecturi simus; cùm diversa ætate moriamur, ingratis suscipies... ætatum autem diversitas, non mutat corporum veritatem. Cùm enim corpora quotidiè nostra fluant, et aut crescant, aut decrescant: ergo tot erimus homines, quot quotidiè commutamur. Aut alius fui cùm decem annorum essem, alius cùm triginta, alius cùm quinquaginta, alius cùm jam toto cano capite sum? Igitur juxta Ecclesiarum Traditiones, et Apostolum Paulum, illud est respondendum: quòd in virum perfectum, et in mensuram ætatis plenitudinis Christi resurrecturi sumus, in qua et Adam Judæi conditum autumant: et Dominum Salvatorem legimus surrexisse.

S. CYRILLUS HIEROSOL. *Catech.* 18. *n.* 9. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* (1. *Cor.* XV. 53.) Corpus enim hoc excitabitur non ita infirmum, sed ipsum quidem resurget, indutum tamen incorruptione transformabitur.... Non ampliùs ejusmodi cibis ad vitam opus habebit, neque scalis ad ascensum: fiet enim spiritale admirandum quid, et quale pro dignitate declarare nequimus. Justi splendebunt ut sol, et tanquam luna, et sicut splendor firmamenti... Resurget itaque hoc corpus, sed non tale manebit, verùm erit æternum... fiet spiritale.

N. 10. Excitabimur ergo æterna habentes corpora, non omnes autem similia: sed qui est justus, corpus accipiet cœleste, ut possit cum Angelis dignè conversari. Si verò peccator est, accipiet corpus æternum, quo sufferre possit pœnas peccatorum, ut perpetuò in igne ardeat, et nunquam dissolvatur. Et justè utrisque his ordinibus Deus hoc præbebit.

I. Quomodò impii qualive corpore resurgent?

R. Verisimile est ex impressa eorum fronti notâ reprobationis futurum ut et deformia et horrida esse videantur, sicut in justis ex impresso eorum corpori gratiæ caractere fiet, ut gloriosa appareant.

I. Resurgentne omnes omninò homines?

R. Certum est resurrecturos omnes omninò mortuos. Utrùm autem omnes omninò sint morituri, non ita certum est. Variæ sunt eâ de re SS. Patrum et Theologorum sententiæ. Alii putant omnes omninò morituros; eosque, quos adventus Christi vivos repererit, morituros item ut mox resurgant. Alii existimant eos, quos adventus Christi vivos repererit, non morituros quidem, sed in momento, in ictu oculi immutandos, adeò ut eorum corpora iis afficiantur qualitatibus, quas habuissent ex resurrectione: ideòque et in Scriptura et in Symbolo Christum Jesum dici judicem vivorum et mortuorum. (G)

Nihil enim sine corpore à nobis gestum est.... Cùm igitur in omnibus cooperatur corpus, etiam in futuris fructum ejus percipiet.

Alios SS. PP. qui in cap. XV. 1. *ad Corinth. scripserunt adire potes.*

(G) TERTULL. *de Resurrect. carn. n.* 41. Nam et hoc gemimus; domicilium nostrum, quod de cœlo est, superindui desiderantes: siquidem induti, non nudi inveniamur; id est, antè volumus superinduere virtutem cœlestem æternitatis, quàm carne exuamur. Hujus enim gratiæ privilegium illos manet, qui ab adventu Domini deprehendentur in carne, et propter duritias temporum Antichristi merebuntur, compendio mortis per demutationem expunctæ, concurrere cum resurgentibus; sicut Thessalonicensibus scribit (*Apostolus.*)

S. AUG. *Epist.* 193. *edit. BB. ad Mercatorem, c.* 3. *n.* 5. Enoch et Elias mortui non fuerint, sed cum suis corporibus ex ista hominum conversatione translati.... Ipsi quoque morituri posteà perhibentur, sicut plerique exponunt Apocalypsim Joannis de duobus illis Prophetis, de quibus, tacitis eorum nominibus, loquitur, quod isti duo Sancti cum suis tunc corporibus apparebunt, in quibus nunc vivunt, ut etiam ipsi quemadmodùm cæteri Martyres pro Christi veritate moriantur.

Cap. 4. *n.* 9. Et nos viventes qui reliqui sumus, (1. *Thessal.* IV. 17.) simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera: et ita semper cum Domino erimus.

N. 10. Resurrectio quippè, nisi mors præcesserit, nulla est.... Nullus hominum existimetur immortalitatem, nisi mors præcesserit adepturus. Et nos viventes, qui reliqui sumus, in adventum Domini non præveniemus eos, qui antè dormierunt. Ipse enim Dominus in jussu, in voce Archangeli et in tubâ Dei descendet de cœlo, et mortui in Christo resurgent primi; deindè nos, etc.... Vellem de his audire doctiores.... Neque enim debemus indociles esse doctores, et certè meliùs homo corrigitur parvus, quàm frangitur durus. Cùm iis, quæ scripsimus, ita nostra vel aliorum exerceatur, et erudiatur infirmitas, ut tamen in eis nulla velut canonica constituatur auctoritas.

N. 11. Si enim in his verbis Apostoli nullus alius sensus potuerit reperiri, et hoc cum intelligi voluisse clarueril, quod videntur verba ipsa clamare; id est, quòd futuri sint in fine seculi et in adventu Domini, qui non exspolientur corpore, sed superinduantur immortalitate, ut absorbeatur mortale à vitâ: huic sententiæ proculdubiò conveniet quod in regulâ fidei confitemur, venturum Dominum, judicaturum vivos et mortuos; ut non hic intelligamus vivos justos, mortuos autem injustos, quamvis judicandi sint justi et injusti; sed vivos, quos nondùm exiisse, mortuos autem, quos jam exisse de corporibus adventus ejus inveniet. Quæ si ita esse constiterit, illa verba excutienda erunt, quomodò sic

accipiemus (1. *Cor.* xv. 36. 51.), *Tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur; et omnes resurgemus, sive omnes dormiemus*, ut non adversentur huic sententiæ, quâ quidam creduntur etiam cum suis corporibus in æternum, non degustatâ morte, victuri.

N. 13. Cæterùm quod attinet ad quæstionem resurrectionis, propter illos, qui creduntur non esse morituri, sed ex hâc mortalitate ad immortalitatem sine mediâ morte transituri, inquisitio diligentior adhibenda est; et si quid hinc absolutum, ac definitum disputatione rationabili atque perfectâ vel audisti, vel legisti, vel etiam ipse cogitare potuisti.. pelo mihi mittere, ne graveris.

Lib. 20. *de Civit. Dei, c.* 20. *n.* 1. (1. *Thess.* iv. 12.) *Nolumus ignorare vos, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri, qui spem non habent.* 13. *Nam si credimus, quòd Jesus mortuus est, et resurrexit: ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* 14. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos viventes, qui reliqui sumus in adventum Domini, non prævenìemus eos, qui antè dormierunt:* 15. *quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tubâ Dei descendet de cœlo; et mortui in Christo resurgent primò:* 16. *deindè nos viventes, qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus in obviam Christo in aëra; et semper cum Domino erimus.* Hæc verba Apostolica resurrectionem mortuorum futuram, quando veniet Dominus Christus, utiquè ad vivos et mortuos judicandos, præclarissimè ostendunt.

N. 2. Sed quæri solet, utrùm illi, quos hic viventes inventurus est Christus, quorum personam in se atque illos, qui tunc secum vivebant, transfigurabat Apostolus, nunquam omninò morituri sunt; an ipso temporis puncto, quo cum resurgentibus rapientur in nubibus in obviam Christo in aëra, ad immortalitatem per mortem mirâ celeritate transibunt. Neque enim dicendum est, fieri non posse, ut dùm per aëra in sublime portantur, in illo spatio et moriantur, et reviviscant... Ad hunc autem sensum, quo existimemus etiam illos, quos hic vivos inventurus est Dominus, in ipso parvo spatio et passuros mortem et accepturos immortalitatem, ipse Apostolus, (1. *Cor.* xv. 22.) nos videtur urgere, ubi dicit, *in Christo omnes vivificabuntur:* cùm alio loco de ipsa loquens resurrectione corporum dicat, *Tu quod seminas, non vivificatur, nisi moriatur.* Quomodò igitur, quos viventes hîc Christus inveniet, per immortalitatem in illo vivificabuntur, etsi non moriantur; cùm videamus propter hoc esse dictum (*Ibid.* 36.), *Tu quod seminas, non vivificatur, nisi moriatur*? Aut si rectè non dicimus seminari, nisi ea corpora hominum, quæ moriendo quoquo modo revertuntur in terram; sicut sese habet etiam illa in transgressorem patrem generis humani divinitùs prolata sententia (*Gen.* iii. 19.): *Terra es, et in terram ibis.* Fatendum est istos, quos nondùm de corporibus egressos, cùm veniet Christus, inveniet, et istis verbis Apostoli, et illis de Genesi non teneri: quoniam sursùm in nubibus rapti, non utiquè seminantur; quia nec eunt in terram, nec redeunt; sive nullam prorsùs experiantur mortem, sive paululùm in aëre moriantur.

N. 3. Sed aliud rursùs occurrit, quod idem dixit Apostolus, cùm de resurrectione corporum ad Corinthios loqueretur: *Omnes resurgemus*, vel sicut alii codices habent, *Omnes dormiemus.* Cùm ergo nec resurrectio fieri possit, nisi mors præcesserit; nec dormitionem possimus illo loco intelligere, nisi mortem; quomodo omnes vel dormient, vel resurgent, si tam multi, quos in corpore inventurus est Christus, nec dormient, nec resurgent?.... Si ergo sanctos, qui reperientur, Christo veniente, viventes, eique in obviam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, et ad eadem mox immortalia redituros, nullas in verbis Apostoli patiemur angustias, sive ubi dicit, *Tu quod seminas, non vivificatur, nisi moriatur*; sive ubi dicit, *omnes resurgemus*, aut *omnes dormiemus:* quia nec illi per immortalitatem vivificabuntur, nisi, quamlibet paululùm tamen ante moriantur, ac per hoc et à resurrectione non erunt alieni, quam dormitio præcedit, quamvis brevissima, non tamen nulla. Cur autem nobis incredibile videatur, illam multitudinem corporum in aëre quodammodò seminari, atque ibi protinùs immortaliter atque incorruptibiliter reviviscere, cùm credamus, quod

I. Cur dixisti superiùs gloriosam carnis resurrectionem unam esse ex prærogativis Ecclesiæ ?

R. Quia sola Ecclesiæ membra resurgent in gloriâ : nam extra Ecclesiam nulla salus.

I. Resurgentne in gloria omnes, qui fuerint Ecclesiæ membra ?

R. Nequaquàm : sed ii solùm, qui nullâ peccati mortalis labe inquinati supremum diem obierint. Alii post mortem non pertinent ampliùs ad Ecclesiam, sed ad societatem dæmoniorum et reproborum, ut jam diximus.

I. Resurgetne anima simul cum corpore ?

R. Immortalis anima est, nullâ indiget resurrectione, id est, vitæ novæ accessione : nisi resurrectionem voces aditum ad vitam æternam, quæ utique nova vita est. Quo sensu resurgunt animæ Sanctorum statim atque è corporibus excesserunt ; et hoc est quod in Apocalypsi (XX. 5.) vocatur *resurrectio prima.* Cæterùm resurrectionem dicimus novam accessionem animæ ad corpus priùs mortuum.

I. Morienturne iterùm homines post resurrectionem ?

R. Non morlentur ampliùs. Corporum resurrectionem immortalitas consequetur.

idem ipse Apostolus apertissimè dicit, in ictu oculi futuram resurrectionem, et in membra sine fine victura, tantâ facilitate tamque inestimabili velocitate rediturum antiquissimorum cadaverum pulverem ?.... Resurrectionem quippè mortuorum futuram esse in carne, quandò Christus venturus est judicaturus vivos et mortuos, oportet si Christiani esse volumus, ut credamus. Sed non ideò de hàc re inanis est fides nostra, si quemadmodùm futura sit, perfectè comprehendere non valemus.

Cap. 21. *n.* 1. Propheta Isaïas, * *Resurgent*, inquit (XXVI. 19.), *mortui, et resurgent qui in sepulcris erant : et lætabuntur omnes qui sunt in terrâ*; *ros enim qui abs te est, sanitas illis est : terra verò impiorum cadet :* Totum illud superiùs ad resurrectionem pertinet beatorum. Quod autem ait, *Terra verò impiorum cadet*, benè intelligitur dictum, corpora verò impiorum ruina damnationis excipiet.... Jam si et illos inquiramus Sanctos, quos hìc vivos inventurus est Dominus, eis congruè deputabitur quod adjunxit, *et lætabuntur omnes qui sunt in terrâ : ros enim, qui abs te est, sanitas illis est.* Sanitatem loco isto, immortalitatem rectissimè accipimus. Ea namque est plenissima sanitas, quæ non reficitur alimentis, tanquam quotidianis medicamentis.

De Ecclesiast. dogm. GENNADIO *tributus in append. tom.* 8. *oper. S. Aug. edit. BB. c.* 7. Omnium hominum erit resurrectio : si omnium erit, ergo omnes moriuntur, ut mors ab Adam ducta omnibus filiis ejus dominetur, et maneat illud privilegium Domino, quod de eo specialiter dicitur (*Ps.* XV. 20.) ? *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Ejus enim caro non vidit corruptionem. Hanc rationem maximâ Patrum turbâ tradente suscepimus. Verùm quia sunt et alii æquè Catholici et eruditi viri, qui credunt, animâ in corpore manente mutandos ad incorruptionem et immortalitatem eos, qui in adventu Domini vivi inveniendi sunt, et hoc eis reputari pro resurrectione ex mortuis, quòd mortalitatem immutatione deponant, non morte : quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticus, nisi ex contentione hæreticus fiat. Sufficit enim in Ecclesiæ lege carnis resurrectionem credere futuram de morte.

Cap. 8. Quod autem dicimus in Symbolo, in adventu Domini vivos ac mortuos judicandos, non solùm justos et peccatores significari, ... sed et vivos eos, qui in carne inveniendi sunt, credimus, qui adhuc morituri creduntur ; vel immutandi sunt, ut alii volunt, ut suscitati continuò, vel reformati, cum antè mortuis judicentur.

Lege ESTIUM *in* 4. *Sent. Distinct.* 43. §. 7.

§. 19. De ultimo Christi adventu, et de Judicio generali.

I. Post corporum resurrectionem quid fiet ?

R. (*Matth.* XXIV. 29.) « Sol obscurabitur, et Luna non » dabit lumen suum : stellæ cadent de cœlo, et virtutes » cœlorum movebuntur (*Luc.* XXI. 25.) cum confusione so- » nitûs maris et fluctuum ; (2. *Petr.* III. 10.) et cœli magno » impetu transient, elementa verò calore solventur, terra » autem et quæ in ipsa sunt opera exurentur. (A) (*Matth.* » XXIV. 30.) Tunc parebit signum Filii hominis (id est sig- » num crucis) in cœlo, et plangent omnes tribus terræ, » (*Luc.* XXI. 27.) et videbunt Filium hominis venientem in » nubibus cœli cum potestate magnâ et majestate. Et (erunt) » (*Matth.* XXV. 31.) omnes Angeli et Sancti cum eo. (B).

(A) PSAL. XCVI. 3. Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. 4. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ : vidit et commota est terra.

ISAI. LXVI. 10. Lætamini cum Jerusalem, et exultate in eâ omnes, qui diligitis eam : gaudete cum eâ gaudio universi, qui lugetis super eam. 11. Ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus : ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimodâ glorià ejus. 12. Quia hæc dicit Dominus : Ecce ego declinabo super eam, quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis : ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. 13. Quomodò si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. 14. Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt, et cognoscetur manus Domini servis ejus, et indignabitur inimicis suis. 15. Quia ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus : reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flammâ ignis. 16. Quia in igne Dominus dijudicabit, et in gladio suo ad omnem carnem, et multiplicabuntur interfecti à Domino.... 22. Quia sicut cœli novi, et terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus : sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum.... 23.... Veniet omnis caro, ut adoret coram facie meâ. Et egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me : vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur : et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.

2. PETR. III. 7. Cœli autem qui nunc sunt, et terra, eodem verbo repositi sunt igni reservati in diem judicii, et perditionis impiorum hominum.... 11. Cùm igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, 12. Exspectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent ? 13. Novos verò cœlos, et novam terram secundùm promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat. 14. Propter quod, carissimi, hæc exspectantes, satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace.

S. AUG. *Lib.* 20. *de Civit. Dei*, *c.* 18.... Qui cœli, et quæ terra, id est, qui mundus, pro eo mundo, qui diluvio periit, ex eàdem aquâ repositus est, ipse igni novissimo reservatur in diem judicii et perditionis hominum impiorum.... Sed nec ignem conflagrationis illius pertimescant immortales, atque incorruptibiles facti.

(B) S. HIPPOLYTUS *de Consumm. mundi*, *tom.* 3. *Bibl. Patrum*, *pag.* 358. Orietur ab Oriente ad Occidentem usque signum crucis superantis splendorem solis, denuntians adventum et apparitionem judicis, ut reddat cuique secundùm opera sua * .... *et multi dormientium excitabuntur è pulvere terræ : hi in vitam æternam, illi in contumeliam et ignominiam æternam* (*Dan.* XII. 2.)....Tunc enim sonabit tuba, et excitabit dormientes è profundissimis terræ tam justos, quàm peccatores : omnisque natura, lingua, gens et tribus resurgent in ictu oculi, et adstabunt

faciem terræ, exspectantes justi, atque terribilis judicis adventum, in timore et tremore inenarrabili. Fluvius enim igneus egrediens cum furore instar maris sævi, exuret montes et colles, et mare delebit, ac æthera velut ceram inflammatione dissolvet : stellæ cadent de cœlo, sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem : cœlum, more libri, volutabitur ; exuretur universa terra propter opera, quæ in eâ corruperunt homines, in scortationibus, adulteriis, mendaciis, idololatriis, cædibus ac pugnis ; nam fiet cœlum novum et terra nova. Tunc sancti Angeli discurrent, congregantes omnes gentes, quos expergefaciet horrenda vox illa tubæ : sistenturque ad tribunal Christi, qui fuere quondam Reges, Principes, Pontifices, Sacerdotes, ut administrationis suæ et ovilis reddant rationem, qui videlicet per negligentiam suam perdiderunt ovem de grege suo. Adducentur eo tempore milites, qui non contenti stipendiis suis vexaverunt viduas, pupillos et pauperes. Tunc sistentur tributi exactores, qui plus, quàm sit imperatum, pauperi eripiunt. Item qui probum aurum adulterant, ut damno pauperem afficiant, in agris, in domibus, in Ecclesiis. Tunc exsurgent effeminati, cum pudore ; qui quidem eorum proprium immaculatum non servaverunt, sed quâvis carnis pulchritudine capti sua desideria sunt secuti. Tunc qui dilectionem Domini non servaverunt, exsurgent mesti ac tetrici, eò quòd mandatum Salvatoris facilè contempserunt.... Tunc qui habuerint libram iniquam, stateras, mensuras, modios injustos, gement exspectantes justum judicem.... Tunc justi fulgebunt ut sol ; peccatores autem tristes et tetrici apparebunt. Utrique enim et justi et peccatores resurgent incorruptibiles : justi ut perpetuo sint in honore, et immortalibus fruantur deliciis ; peccatores, ut per judicium pœnas luant sempiternas. Quisque igitur vestrùm perpendat apud se tum bonorum, tum malorum justo judici rationem reddendam. Nam actiones omnes hominum unumquemque tam probum, quàm improbum circumdabunt. Quandoquidem virtutes cœlorum commovebuntur, et omnia timor ac tremor absument, et terram, ac subterranea : et omnis lingua confitebitur eum et fatebitur eum, qui veniet justum judicaturus, Deum fortem et conditorem omnium.... Et revelabitur Rex Regum et Dominus Dominantium, ac Judex qui personam non accipit, sed cuique quod justum est distribuit, in throno terribili et exaltato : et videbit omnis caro mortalium faciem ejus, tum justus, tum peccator cum timore ac metu ingenti. Tùm adducetur filius perditionis, id est, diabolus, cum dæmonibus et ministris suis, ab Angelis severis et rigidis, tradenturque igni inextinguibili, vermi non dormienti, ac tenebris exterioribus.... ostendetque (*Jesus*) eis (*Judæis*) manum pedumque clavos, latus suum lanceâ perforatum, caput coronatum spinis, ac pretiosam crucem : deniquè omnia videbunt Hebræi, et plangent ac plorabunt, quemadmodum Propheta clamat : *Videbunt in quem transfixerunt ;* nemoque feret opem illis, aut miserebitur eorum, quia non egerunt pœnitentiam, nec aversi sunt à viâ suâ pravâ.

S. Hilar. *c.* 26. *Comment. in Matth. n.* 1. Gloriam adventûs sui, et claritatis reditum indicat obscuratione solis, defectione lunæ, casu stellarum, virtutum cœlestium motu, ostensione signi salutaris, lamentatione gentium cognoscentium Filium hominis in Dei glorià : et ad collectionem Sanctorum destinatione Angelorum, tum tubæ, id est, jam publicæ libertatis hortatu.

S. Chrysost. *Hom.* 17. *in Matth.* Tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo : crux enim sole fulgentior videbitur : obscuratur enim sol, crux autem apparet : quod fieri non posset, nisi solares radios splendore superaret. Cujus autem rei gratiâ istud signum apparet ? Ut magno cumulo Judæorum impudentia opprimatur, crucem in suam justificationem secum habens, in judicium veniet, non vulnera solùm, sed etiam acerbum, ac ignominiosum mortis suæ genus ostendens : *Tunc plangent tribus*, non enim accusantibus opus erit, cùm crucem viderint. Plangent igitur, quia ex morte ipsius nihil profecerunt, quia crucifixum, quem adorare oportebat, contempserunt. Alius autem, *videbunt*, inquit, *in quem pupugerunt*.... Videbunt filium hominis, non in cruce, sed venientem in nubibus cœli cum virtute et glorià multâ....

» Et sedebit super sedem majestatis suæ judicaturus » (2. *Tim.* IV. 1.) vivos et mortuos.

(*Matth.* XXV. 31.) » Et congregabuntur ante eum omnes » gentes, et (ejus jussu) exibunt Angeli, et separabunt ma» los de medio justorum, sicut pastor segregat oves ab hæ» dis ; 33. Et statuent oves quidem à dextris, hædos autem » à sinistris.

» 34. Tunc dicet Rex Christus his, qui à dextris ejus » erunt : Venite benedicti Patris mei, possidete paratum » vobis regnum à constitutione mundi. 35. Esurivi, enim et » dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi bibere ; » hospes eram, et collegistis me. 36. Nudus, et cooperuis» tis me ; infirmus, et visitasti me ; in carcere eram, et » venistis ad me.... 40. Amen dico vobis : quandiù fecistis » uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. »

Mox sedebunt cum Christo Sancti, et judicabunt dæmones et impios, secundùm opera ipsorum. (C)

(*Matth.* XXV. 41.) « Tunc dicet Christus et his, qui à si» nistris erunt : Discedite à me maledicti in ignem æternum, » qui paratus est diabolo et Angelis ejus. 42. Esurivi enim, » et non dedistis mihi manducare ; sitivi, et non dedistis » mihi potum : 43. Hospes eram, et non collegistis me ; nu» dus, et non cooperuistis me ; infirmus et in carcere, et » non visitastis me.... 45. Amen dico vobis : quandiù non » fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.

» 46. Et ibunt hi (cum dæmonibus) in supplicium æter-

Crucem autem secum habet, ut peccatum ipsorum sine accusatione condemnetur, veluti si quis lapide percussus, ipsum lapidem vel cruentas vestes in testimonium ostendat.

S. HIERONYM. *in c.* 24. *Matth. v.* 30. Signum hîc aut crucis intelligamus ; ut videant (juxta Zachariam et Joannem) Judæi quem compunxerunt ; aut vexillum victoriæ triumphantis.

THEOPHYLACTUS. *in c.* 24. *v.* 30. *Matth.* Crux tunc apparebit in cœlo, supra solem fulgens, ad arguendos Judæos : veniet enim Christus contra Judæos habens crucem, ut magnam justificandi materiam et testimonium : veluti si quis lapide percussus ostendat lapidem. Signum autem dicit crucem, tanquam trophæum et insigne regium. Tunc enim plangent omnes tribus terræ Judaïcæ, lugentes suam inobedientiam et incredulitatem, et omnes, qui terrena sapiunt plangent etiam si Christiani sint. Tribus enim terræ dicuntur hi, qui terrena sapiunt. Quamvis cum cruce veniat Dominus, veniet tamen cum glorià et virtute.

Alii interpretes In hunc locum Scripturæ legendi sunt.

(C) PSAL. CXLIX. 9. Ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.

SAPIENT. III. 8. (*Justi*) judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum.

MATTH. XIX. 28. Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.

LUC. XII. 38. Ut.... sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israël.

1. COR. VI. 2. An nescitis quoniam Sancti, de hoc mundo judicabunt ?.... 3. Nescitis quoniam Angelos judicabimus ? Quantò magis secularia ?

» num, in stagnum ignis (corpore simul et animâ cru-
» ciandi.) Justi autem ibunt in vitam æternam (cum Christo
» et sanctis Angelis corpore simul et animâ regnaturi.») (D)

I. Cur Christus Sanctos assidere sibi faciet judices impiorum ?

R. 1. Ut quantùm ipsi humiles fuerint et depressi, tantùm glorià et honore coronati esse videantur.

Deindè, ut vel indè frangatur et contundatur superbia impiorum, qui in terris positi justos et contempserunt, et insectati sunt et affecerunt contumeliis.

Tùm, ut membra non separentur à capite, appareatque Sanctos unum cum Christo corpus efficere. (E)

(D) S. HIPPOLYTUS *de Consumm. mundi. Vide suprà hocce* §. *litt.* (B)

(E) S. AUG. *lib.* 20. *de Civit. Dei, c.* 5. *n.* 3. *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.* Hic discimus cum suis Discipulis judicaturum Jesum.... Nec quoniam super duodecim sedes sessuros esse ait, duodecim solos homines cum illo judicaturos putare debemus. Duodenario quippè numero, universa quædam significata est judicantium multitudo.... Alioquin quoniam in locum Judæ traditoris Apostolum Matthiam legimus ordinatum; Apostolus Paulus, qui plus illis omnibus laboravit, ubi ad judicandum sedeat, non habebit : qui profectò cum aliis sanctis ad numerum judicum se pertinere demonstrat, cùm dicit, *Nescitis quia Angelos judicabimus ?* De ipsis quoque judicandis in hoc numero duodenario similis causa est. Non enim quia dictum est, *Judicantes duodecim tribus Israël*, tribus Levi, quæ tertia decima est, ab eis judicanda non erit, aut solum illum populum, non etiam cæteras gentes judicabunt. Quod autem ait, *in regeneratione*, procul dubio mortuorum resurrectionem nomine voluit regenerationis intelligi.

In Psal. XLIX. *n.* 8. *Vide suprà §.* 15. *litt.* (F) *hocce Capite. Deindè addit :* Procul dubio ista tempestas quamdam separationem factura est.... Alii ergo erunt judicantes cum Domino : alii verò judicandi, sed ad dexteram ponendi. Nam quia erunt quidam judicantes cum Domino, habemus apertissimum testimonium, quod modò commemoravi : Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israël.

N. 9. Sed dicit aliquis, duodecim illic Apostoli consedebunt, non ampliùs. Ubi ergo erit Apostolus Paulus ? Nunquid indè separatus erit ? Absit ut hoc dicamus.... Cùm ergo ille numerus duodenarius occupaverit duodecim sedes, non judicabit Paulus Apostolus ? An fortè stans judicabit ? Non ita est : non faciet hoc ille justitiæ retributor : non omninò stans judicabit, qui plus omnibus illis laboravit. Certè vel iste unus Apostolus Paulus cogit nos diligentiùs cogitare et perscrutari, quare dictæ sint duodecim sedes. Invenimus enim et alios numeros in Scripturis multitudinem significantes.... Sic in duodecim sedibus non duodecim homines, sed magnus est numerus perfectorum.

M. BOSSUET Evêque de Meaux, *Préface sur l'Apocal. n.* 28. Je vois dans l'Apocalypse non-seulement une grande gloire, mais encore une grande puissance dans les Saints : car Jésus-Christ les met sur son trône.... Non-seulement qu'ils seront assis avec lui dans le jugement dernier ; mais encore que dès à présent il les associe aux jugemens qu'il exerce ; et c'est aussi en cette manière qu'on l'entendait dès les premiers siècles de l'Eglise, puisque saint Denys d'Alexandrie qui fut une des lumières du troisième, l'explique ainsi en termes formels. (*Euseb.* VI. 48.) Les divins martyrs sont maintenant assesseurs de Jésus-Christ et associés à son royaume ; ils participent à ses jugemens et ils jugent avec lui.... (*Apoc.* XX. 4.) Je vis les ames de ceux qui avaient été décapités pour le témoignage de Jésus, et des trônes, et le jugement leur fut donné.... C'est à ces ames saintes que le jugement est donné, les Saints jugent donc le monde. En cet état ils règnent avec Jesus-Christ, et ils sont associés à son empire.

I. Si privatim judicatur uniuscujusque anima statim post discessionem à corpore, superfluum videtur publicum et generale judicium ?

R. Necessarium tamen est judicium publicum, maximè ob rationes quatuor hîc subjectas.

1. Ut palàm et publicè vindicetur sapientia, justitia, providentia Dei, non solùm ab impiorum blasphemiis, sed etiam à querelis justorum, qui quandòque deficiunt in adversis, et nimiùm conturbantur, dum vident impios valentes opibus et pollentes auctoritate ; juxta illud Psalmi 72. *Mei penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei ; quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns*... (*Ibid.* 12. 13.) *Ecce ipsi peccatores et abundantes in seculo obtinuerunt divitias ; et dixi : Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus totâ die, etc.* (F)

(F) Job. xxi. 7. Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt confortatique divitiis ? 8. Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum. 9. Domus eorum securæ sunt et pacatæ, et non est virga Dei super illos.... 11. Egrediuntur quasi greges, parvuli eorum, et infantes eorum exsultant lusibus.... 13. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.... 30. Quia in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur.

Sapient. iv. 15. Gratia Dei, et misericordia est in Sanctos ejus ; et respectus in electos illius. 16. Condemnat autem justus mortuus vivos impios, et juventus celeriùs consummata longam vitam injusti.

v. 1. Tunc stabunt justi in magnâ constantiâ adversùs eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. 2. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis. 3. Dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritûs gementes : Hi sunt, quos habuimus aliquandò in derisum, et in similitudinem improperii. 4. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore : 5. Ecce quomodò computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est.... 16. Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. 17. Ideò accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini : quoniam dexterâ suâ teget eos, et brachio sancto suo defendet illos.

Apoc. xx. 4. Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est illis : et animas decollatorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt caracterem ejus in frontibus, aut in manibus suis.... 5. Cæteri mortuorum non vixerunt.... 6. Beatus, et sanctus, qui habet partem in resurrectione primâ : in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo.... 9. Et descendit ignis à Deo de cœlo, et devoravit eos : et Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, et sulphuris, ubi et bestia, 10. et Pseudo-prophetæ cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum... 12. Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni ; et libri aperti sunt : et alius liber apertus est, qui est vitæ : et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundùm opera ipsorum. 13. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant, et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, et judicatum est de singulis, secundùm opera ipsorum : 14. et infernus, et mors missi sunt in stagnum ignis, hæc est mors secunda. 15. Et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

S. Aug. *Enar. in Psal.* xxxvi. *Serm.* 1. *n.* 3. Hoc te perturbat hominem Christianum, quia vides malè viventes felices, rerum istarum copiâ circumfluere, sanos esse, superbis dignitatibus eminere, incolumem habere domum, gaudia suorum, obsequia clientium, excellentissimas

potentias, nihil triste interpellare vitam ipsorum : mores nequissimos vides, facultates copiosissimas perspicis ; et dicit cor tuum nullum esse divinum judicium, omnia casibus ferri et fortuitis motibus ventilari. Nam si Deus, inquis, res humanas respiceret, floreret illius iniquitas, et mea innocentia laboraret ?.... Mali florent, boni laborant : quomodo ista videt Deus ? Accipe, bibe : ipse tibi hanc, de quo ista murmuras, temperavit potionem : tantum ne recuses saluberrimum poculum ; accommoda per aurem os cordis, et bibe quod audis : *Noli æmulari in malignantibus, neque æmularis facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnum citò arescent, et sicut olera prati citò cadent* (*Ps.* XXXVI. 1. *et* 2.) : Quod tibi longum videtur, citò est Deo : subjunge te Deo, et tibi citò erit.... Modò ergo tempus est hiemis, gloria tua nondum apparet : sed si alta radix est caritatis tuæ, sicut multarum arborum per hiemem, transit frigus, veniet æstas, id est, judicii dies : tunc arescet viror fœni, tunc apparebit arborum gloria. *Mortui enim estis*, ait Apostolus (*Coloss.* III. 3.) : quomodò videntur arbores per hiemem, quasi aridæ, quasi mortuæ. Ergo quæ spes, si mortui sumus ? Intùs est radix : ubi radix nostra, ibi et vita nostra ; ibi enim caritas nostra. *Et vita vestra*, inquit (*Id. ibid.*), *abscondita est cum Christo in Deo.* Quando arescit qui sic habet radicem ? quando autem erit ver nostrum ? quando æstas nostra ? quando nos circumvestit dignitas foliorum, et ubertas fructuum locupletat ? quando hoc erit ? Audi quod sequitur : *Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria...* (*Coloss.* III. 4.)

N. 9. Vicinus ille nequam, malè agens et florens est, furta ejus, adulteria ejus, rapinas ejus ego novi : in omnibus elatus, superbus, per iniquitatem exaltatus non me dignatur agnoscere : in his quomodo durabo ? Morbus ille est, bibe contra : *Ne subæmuleris eum qui prosperatur in via sua.* (*P.* XXXVI. 7.) Prosperatur, sed in via sua : laboras, sed in via Dei. Illi prosperitas in via est, in perventione infelicitas : tibi labor in via, in perventione felicitas ; quoniam iter impiorum peribit. Novit Dominus vias justorum, et iter impiorum peribit.... Si felicitatem seculi hujus tibi promisit Christus, murmura adversùs Christum, murmura adversùs illum, quando vides infidelem felicem. Quid tibi promisit felicitatis ? quid, nisi in resurrectione mortuorum ?

Enar. in Psal. LXXIX. *n.* 14. Mortui ergo erant, qui propterea Deum colebant, ut eis secundùm carnem benè esset : sapere enim secundùm carnem mors est : et mortui sunt, qui non Deum gratis colunt, id est, quia ipse bonus est, non quia dat talia bona quæ dat et non bonis. Pecuniam vis à Deo ? habet et latro. Uxorem, fecunditatem filiorum, salutem corporis, dignitatem seculi, attende quàm multi mali habent. Hoc est totum, propter quod eum colis ? Nutabunt pedes tui, putabis te sine causa colere, quando in eis vides ista, qui eum non colunt. Ergo ista dat omnia etiam malis, se solum servat bonis. *Vivificabis nos :* nam mortui eramus, quando terrenis rebus inhærebamus ; mortui eramus, quando terreni hominis imaginem portabamus. *Vivificabis nos :* innovabis nos, vitam interioris hominis dabis nobis. *Et nomen tuum invocabimus :* id est, te diligemus. Tu nobis dulcis eris remissor peccatorum nostrorum, tu eris totum præmium justificatorum.

Lib. 20. *de Civit. Dei, c.* 2. Nunc verò quandò non solùm in malo sunt boni, et in bono mali, quod videtur injustum ; verùm etiam plerumque et malis mala eveniunt, et bonis bona proveniunt : magis inscrutabilia fiunt judicia Dei et investigabiles viæ illius. Quamvis ergo nesciamus quo judicio Deus ista, vel faciat vel fieri sinat, apud quem summa virtus est, et summa sapientia, summaque justitia, nulla infirmitas, nulla temeritas, nulla iniquitas : salubriter tamen discimus non magni pendere seu bona, seu mala, quæ videmus esse bonis malisque communia ; et illa bona quærere, quæ bonorum, atque illa mala maximè fugere, quæ propria sunt malorum. Cùm verò ad illud Dei judicium venerimus, cujus tempus jam propriè dies judicii, et aliquandò dies Domini nuncupatur ; non solùm quæcunque tunc judicabuntur ; verùm etiam quæcunque ab initio judicata, et quæcunque usque ad illud tempus judicanda sunt, apparebunt esse justissima. Ubi hoc quoque manifestabitur, quàm justo judicio Dei fiat, ut nunc tam multa ac penè omnia justa judicia

2. Ut publicè fiat segregatio justorum ab impiis. Et qui simulatione justitiæ cæteros deceperunt, innotescant omnibus, et recipiant debitam suæ fraudi confusionem. (G)

3. Ut corpora simul cum animabus remunerentur vel addicantur æternis suppliciis, quæ fuerunt instrumenta bonorum et malorum. (H)

4. Ut augeantur vel bonorum præmia vel supplicia impiorum, pro eorum meritis. (I)

Dei sensus mentesque mortalium lateant; cùm tamen hàc in re piorum fidem non lateat, justum esse quod latet.

(G) MATTH. XXV. 31. *Et seq. in prima responsione hujusce paragraphi laudatum est.*

(H) TERTULL. *de Carne Christi, n.* 14. *pag.* 333. Hoc erit tota causa, immò necessitas resurrectionis; congruentissima scilicet Deo destinatio judicii? De cujus dispositione dispicias, an utrique substantiæ humanæ dijudicandæ censura divina præsideat, tam animæ quàm et carni. Quod enim congruet judicari, hoc competet etiam resuscitari. Dicimus plenum primò perfectumque credendum judicium Dei, ut ultimum jam atque exindè perpetuum: ut sic quoque justum, dum non in aliquo minus: ut sic quoque Deo dignum, dùm pro tanta ejus patientia, plenum atque perfectum. Itaque plenitudinem perfectionemque judicii, non nisi de totius hominis repræsentatione constare. Totum porrò hominem ex utriusque substantiæ concretione parere: idcircoque in utraque exhibendum, quem totum oporteat judicari: qui nisi totus, utique non vixerit. Qualis ergo vixerit, talem judicari, quia de eo quòd vixerit, habeat judicari. Vita est enim causa judicii; per tot substantias dispungenda, per quot et functa est. Age jam, scindant adversarii nostri carnis animæque contextum, priùs in vitæ administratione, ut ita audeant scindere illud etiam in vitæ remuneratione. Negent operarum societatem, ut meritò possint etiam mercedem negare. Non sit particeps in sententia caro, si non fuerit et in causa. Sola anima revocetur, si sola decidit. At enim non magis sola decidit, quàm sola decucurrit illud undè decidit: vitam hanc dico. Adeò autem non sola anima transigit vitam, ut nec cogitatus, licèt solos, licèt non ad effectum per carnem deductos, auferamus à collegio carnis. Si quidem in carne, et cum carne, et per carnem agitur ab anima, quòd agitur in corde.....

De resurrectione carnis, n. 34. *pag.* 345. Imprimis, cùm ad hoc venisse se dicit, uti quod periit, salvum faciat, quid dicas perisse? Hominem, sine dubio. Totumne, an ex parte? Utique totum. Si quidem transgressio, quæ perditionis humanæ causa est, tam animæ instinctu ex concupiscentia, quàm et carnis actu ex degustatione commissa, totum hominem elogio transgressionis inscripsit, atque exindè merito perditionis implevit. Totus itaque salvus fiet, qui perit totus delinquendo...

Vide §. *superiori* S. CYRIL. HIEROS. *Catech.* 18. *litt.* (F)

(I) S. BASIL. *de vera Virginitate, circa medium.* Sicut enim sanctum, atque admirabilem Paulum, dùm adhuc esset in corpore, alia quidem præcesserunt opera: cùm plurimi ex his, qui propter doctrinam et conversationem ejus perfecti evasere, in æternam illum vitam præcedentes, sudorum præmia, quos pro illis pertulit apud justum judicem Deum illi paraverunt: alia verò solutum carneis vinculis, et jam cum Christo regnantem usque ad hanc diem consequuntur, eorum scilicet, qui per eum in sacris Epistolarum ejus monitis sed ad virtutem exercentes, laudes semper ac præmia præclaro illi duci et præceptori optimo hinc transmittunt: si è contra alia quidem præcedunt peccata eorum, qui pessimis sermonibus et operibus læsi, atque impediti à virtutis tramite, in infernum præcessere: supplicia suæ damnationis auctoribus illic paraturi, alia verò etiam sequuntur, eorum scilicet, qui post ipsorum mortem per summam nequitiam et exempla pessima, quæ mundo reliquere, dùm eos imitari pergunt, maximè læduntur. Nam sicut hodiè quoque beatus David ad veram religionem, et ad Dei cultum, providentiæque

Quæ quidem ultima ratio ut intelligatur, advertendum est opera quædam, sive bona sive mala, suum non habitura complementum nisi in fine mundi, nec proindè posse ante diem ultimum debitâ pro meritis mercede vel pœnâ omninò affici. Id productis in medium exemplis duobus manifestum fiet.

Hæresiarcha, verbi gratiâ, non solùm reus est peccati, quod ipse commisit, novum condendo dogma et discedendo

agnitionem mundo perutilis est, et qui propter illum religione proficiunt, hinc jam ex rectè factis suis consequentes ei transmittunt laudum voces: ita et Marcion et reliqui Hæreticorum dogmatum duces, quia per eam perversitatem doctrinæ, quam mundo invexere, maximè nocent. Cuncti, qui salutis suæ damna per eos in hac vita perceperunt, auctores proditionis suæ, etsi dudum vitâ functos, atrocioribus illic suppliciis tradunt. Si enim qui scandalizaverit unum ex pusillis hujusmodi, morte dignus judicatur: profectò qui tam multos per vitam reprobam quò perniciosorum operum mundo exempla reliquerit, aut in animarum perniciem falsa dogmata ingesserit, scandalizat: post mortem quoque omnium, qui sui causâ pereunt, dignissimè ac justissimè mortis reus habebitur; per singulos eorum, qui sui causâ hic seu vulnerantur seu moriuntur, auctore etiam vulnera mortemque suscipiente.

CATECHISMUS CONC. TRIDENT. *artic.* 7. *Symboli*, *n.* 5. Accedit etiam quòd, cum piorum fama sæpè lædatur, impii verò innocentiæ laude commendentur, divinæ justitiæ ratio postulat, ut pii ereptam injuriâ apud homines existimationem, in publico universorum hominum conventu, et judicio recuperent.

Deindè verò boni, et mali homines, quæcunque in vita egerunt, cùm non sine corporibus egerint, omninò sequitur, ut benefacta, sive malefacta ad corpora etiam pertineant, quæ actionum ipsarum instrumentum fuerunt. Maximè igitur conveniebat, corporibus unà cum eorum animis debita æternæ gloriæ præmia, aut supplicia impertiri: quod quidem neque sine omnium hominum resurrectione, neque sine generali judicio fieri poterat.

Postremò, quoniam in adversis, et secundis hominum rebus, quæ promiscuè nonnunquam bonis, et malis eveniunt, probandum erat, nihil non infinitâ Dei sapientiâ et justitiâ geri ac gubernari, par fuit, non solùm bonis præmia, improbis supplicia in futuro seculo constitui: verùm etiam publico, ac generali judicio decerni: quo omnibus notiora, et illustriora fierent, atque ut Deo justitiæ, et providentiæ laus ab omnibus tribueretur, pro injustâ illâ querelâ, qua sancti etiam viri deplorare interdùm, ut homines solebant, cùm improbos valentes opibus, et honoribus florentes animadverterent. Nam Propheta (*Ps.* LXXIII. 2. *et* 3.). Mei, inquit, penè moti sunt pedes; penè effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns. Et paulò post (*Ibid.* 12. *et* 13.): Ecce ipsi peccatores et abundantes in seculo obtinuerunt divitias; et dixi: Ego, sine causâ justificavi cor meum... Atque hæc frequens querela multorum fuit. Ergo necesse erat, ut generale judicium exerceretur; ne fortè homines dicerent: Deum circa cardines cœli perambulantem non curare terrena. Hæc autem veritatis formula, jure una ex duodecim fidei Christianæ articulis constituta est, ut, si quorum animi in providentiâ, et justitiâ Dei nutarent, hujus doctrinæ ratione confirmarentur.

Præterea, proposito judicio pios recreari, impios terreri oportebat, ut, cognitâ Dei justitiâ, illi ne deficerent, hi à malis, æterni supplicii metu, atque exspectatione, revocarentur. Quare Dominus, et Salvator noster, cùm de extremo die loqueretur, declaravit futurum aliquandò generale judicium, signaque adventantis ejus temporis descripsit; ut, cùm illa viderimus, finem seculi propè intelligamus: ac deindè in cœlum ascendens Angelos misit, qui Apostolos, ejus absentiâ mœrentes, his verbis consolarentur: Hic Jesus (*Act.* I. 11.) qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodùm vidistis eum euntem in cœlum.

ab Ecclesiâ ; sed particeps etiam est omnium peccatorum , quæ ipso vel vivente , vel mortuo , committentur ad finem usque seculorum ab iis , qui illius vel exemplo vel pravis rationibus adducti , eodem errore et schismate detinendi sunt.

Apostolus contrà non solùm meritum habet propriæ virtutis et justitiæ , sed etiam virtutis et justitiæ eorum , qui ad finem usque seculi , ejus exemplo , scriptis , adhortationibus , institutione ad Christum sunt vel ab eo vel ab ejus discipulis adducendi.

Hinc patet quantus sit progressus , quanta fecunditas virtutum et vitiorum , et quantùm ex hâc mirâ fecunditate augendâ sint uniuscujusque merita , sive bona sive mala , ad consummationem usque seculorum : undè necesse est ad justam horum cogitationem et retributionem , ut fiat in consummatione mundi judicium generale.

Id ipsum docet Catechismus ad Parochos , editus ex decreto Concilii Tridentini , cujus hæc verba sunt.

» Cùm vel ipsis hominibus mortuis interdùm superstites » sint filii parentum imitatores , reliqui sint liberi , disci- » puli , exemplorum , orationum , actionum amatores , ac » propugnatores , quibus ipsorum mortuorum præmia et » pœnas augeri necesse est : cùm hæc vel utilitas vel calami- » tas ad plurimos pertinens , non priùs finem habitura sit , » quàm extremus veniat mundo dies : æquum erat de uni- » versâ hâc rectè aut perperam factorum ratione perfectam » quæstionem haberi : quod fieri non poterat , nisi facto » communi omnium hominum judicio. »

§. 20. De Vitâ æternâ.

I. Vitæ æternæ nomine quid intelligis ?

R. Intelligo Beatitudinem , quâ fruuntur Sancti in cœlis. Hæc autem variis nominibus in Scriptura designatur. Dicitur enim Regnum Dei et Christi , Regnum cœlorum , Nuptiæ Agni , Cœna nuptialis , voluptatis Torrens , Gaudium Domini , etc.

Regnum Dei et Christi. (A) 1. Eò quòd idcircò felices sint , qui beatâ illâ vitâ fruuntur , quia Jesus Christus Homo Deus sic regnat in cordibus eorum , ut nullam in iis inveniat contradictionem , nullam repugnantiam ; omnes illi ex animo perfectissimè subjecti sint ; omnes idem velint , idem sentiant cum Christo et Deo. (B)

(A) Ephes. v. 5. Hoc enim scitote intelligentes , quòd omnis fornicator , aut immundus , aut avarus , quòd est idolorum servitus , non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.

(B) Philip. iii. 20. Nostra autem conversatio in cœlis est : undè etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum , 21. qui reformabit corpus humilitatis nostræ , configuratum corpori claritatis suæ , secundùm operationem , quâ etiam possit subjicere sibi omnia.

Hebr. ii. 8. Omnia subjecisti sub pedibus ejus : in eo enim quòd omnia ei subjecit , nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem , nec dum

2. Quia tunc solùm perfecta erit ex omni parte Sanctorum felicitas, cùm posuerit Christus inimicos suos scabellum pedum suorum, et de iis planè triumphaverit; quod quidem non perficietur, nisi in mundi consummatione.

Regnum cœlorum. (C) Tùm quia cœlum hujus regni sedes est, tum quia reges sunt, quicunque cœlorum cives sunt: nam et cum Christo regnant, et absolutum exercent dominium et in se et in alias res creatas, et omnia subjicientur eis sicut et Christo, cujus membra sunt. (D)

Nuptiæ Agni, cœna nuptialis. (E) Tunc enim consummabitur fœdus Christum inter, Agnum utique Dei, et Ecclesiam initum. Tunc erit inter Christum et cœlites tam arcta compago, ut ipsi simul cum Christo unum corpus futuri sint. (F)

Voluptatis torrens; gaudium Domini. (G) Tunc enim Sancti (*Ps.* XXXV. 9.) *inebriabuntur ab ubertate domûs Dei, et torrente voluptatis suæ potabit eos* Dominus. (*Ps.* CXLIX. 5.) *Exsultabunt sancti in gloriâ, lætabuntur in cubilibus suis.* (H)

Multis item nominibus designatur in Scripturis locus, in quo Sancti cum Christo fruuntur vitâ æternâ. Dicitur Cœlum, Paradisus, Civitas sancta, nova Jerusalem, Templum, et Domus Dei, etc.

Cœlum. (I) Quia in Scripturis dicitur Deus cœlos inhabitare; et Sancti illuc dicuntur per Christum esse introducendi.

Paradisus (K), id est locus voluptatis, sic dictus per alle-

videmus omnia subjecta ei... 10. Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia; qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. 11. Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes.

(C) MATTH. XVIII. 3... Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.

(D) SAPIENT. III. 8. Judicabunt nationes et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum.

APOC. I. 6. Fecit nos regnum, et Sacerdotes Deo, et Patri suo.

(E) APOC. XIX. 7. Gaudeamus et exsultemus; et demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ agni, et uxor ejus præparavit se... 9. Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.

(F) JOAN. XVII. 23. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.

(G) MATTH. XXV. 21. et 23. Euge, serve bone et fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

(H) ISAI. LXVI. 11. Ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus; ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimodâ gloriâ ejus.

(I) ISAI. LXVI. 1. Hæc dicit Dominus: Cœlum sedes mea.

HEBR. IX. 11. Christus autem assistens, Pontifex futurorum bonorum, per amplius, et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis: 12. Neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventâ...

IX. 24. Non enim in manufacta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum: sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.

(K) LUC. XXIII. 43. Hodie mecum eris in paradiso.

APOC. II. 17. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.

goriam sumptam à loco, ubi primùm Adamus positus fuerat. (L)

(*Apoc.* II. 7.) *Sancta civitas, nova Jerusalem, Templum et domus Dei.* (*Apoc.* XXI. 2.) (M) Quia civitas et templum Jerusalem, ubi Deus manifestavit olim gloriam suam, typus fuere civitatis cœlestis, ubi Deus inhabitat, et Sanctis suis dat se perfectè possidendum.

I. In quo posita est æternæ vitæ felicitas ?

R. Id perfectè explicari nequit, neque enim nisi experimento perfectè cognoscitur. *Nec oculus vidit*, inquit Apostolus (1. *Cor.* II. 9.) *nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.*

Id unum in genere novimus, vitam æternam esse liberationem ab omni malo, et cumulatam omnis boni possessionem. (N)

(L) APOC. XXI. 2. Et ego Joannes, vidi sanctam civitatem Jerusalem novam, descendentem de cœlo à Deo, paratam sicut sponsam, ornatam viro suo... 10. Et sustulit me in spiritu, in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem, descendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei.

S. AUG. *in Psal.* CXLVIII. *n.* 8... Videte qualem Jerusalem exhortetur ad laudem, vel potiùs præsentiat laudaturam. Non enim illius civitatis laudes, tunc cùm videbimus et amabimus et laudabimus, voce propheticâ exhortandæ et excitandæ sunt : sed propterea modò dicunt hoc Prophetæ, ut potent, quantùm possunt in hâc carne constituti, futura gaudia beatorum, et eructantes in aures nostras, excitent amorem illius civitatis. Ferveamus desiderio, non simus spiritu pigri.

(M) PSAL. XXVI. 4. Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Ut videam voluptatem Dominî, et vîsitem templum ejus.

(N) ISAI. XXV. 8. Præcipitabit mortem in sempiternum : et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universâ terrâ.

XLXI. 10. Non esurient, neque sitient, et non percutiet eos æstus et sol : quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos.

APOC. VII. 16. Non esurient, neque sitient ampliùs, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus. 17. Quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum ; et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

XXI. 4. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : et mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt... 23. Et civitas non eget sole, neque lunâ, ut luceant in eâ. Nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus.. 27. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ.

XXII. 3. Et omne maledictum non erit ampliùs : sed sedes Dei, et Agni in illâ erunt, et servi ejus servient ei ; 4. et videbunt faciem ejus : et nomen ejus in frontibus eorum. 5. Et nox ultrà non erit : et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos : et regnabunt in secula seculorum.

S. AUG. *in Psal.* XXVI. *Enar.* 2. *n.* 7. Hac iste... cupiditate ardens, et amore isto æstuans, desiderat omnes dies vitæ suæ in domo Domini habitare : in domo Domini omnes dies vitæ suæ, non quasi finiendos, sed æternos... Nam dies vitæ æternæ unus dies est sine occasu... Et quasi diceremus ei : Et quid ibi facturus es ? Quæ ibi delectatio tua... Non enim ibi perdurabis, nisi felix eris..... Verè autem felix est, non si id habeat quod amat : sed si amet quod amandum est... Hæc est illa una, quæ debet amari, ut habitemus in domo Domini per omnes dies vitæ nostræ.

N. 8. Quid est quod desideras ? Audi quid, * *Ut contempler delectationem*

Domini (*Ps.* XXVI. 4.) Ecce quod amo... Habet ibi magnum spectaculum, delectationem ipsius Domini contemplari. Vult, finitâ nocte suâ, hærere in luce ipsius.... Levat enim nos, ad quos cadentes descendit: stabimus, et contemplabimur, et magnâ delectatione perfruemur. Ecce dixi hoc, et exclamastis desiderio cujusdam speciei nondum visæ. Excedat cor vestrum omnia usitata, et excedat intentio universas cogitationes vestras solemnes ex carne, eductas à sensibus carnis, et imaginantes nescio quæ phantasmata... Ita desiderabitis quoddam bonum. Quale bonum? Omnis boni bonum, undè omne bonum, bonum cui non additur quid sit ipsum bonum.... Est bonum simplex, ipsum bonum quo cuncta sunt bona... ipsa est delectatio Domini, hanc contemplabimur. Jam videte fratres: Si nos delectant bona ista, quæ appellantur bona, si nos delectant bona, quæ non sunt per se bona; (omnia enim mutabilia non sunt per se bona:) qualis erit contemplatio incommutabilis boni, æterni, semper eodem modo manentis.

N. 9. Ut autem semper contempler, et nulla molestia me contingat contemplantem, nulla suggestio avertat, nulla auferat alicujus potentia, nullum inimicum patiar in contemplando, et perfruar deliciis securus, ipso Domino Deo meo, quid fiet mihi? Proteget me.... Contemplabor ad delectationem, et protegar ad salutem. Quàm erit illa contemplatio perfecta, tam ista perfecta protectio.

N. 14. Securi erimus, et securi cantabimus, et securi psallemus, cùm contemplabimur delectationem Domini, et protegemur templum ejus, in illâ incorruptione, quando absorbebitur mors in victoriam... Transiet oratio, succedet laudatio: transiet fletus, succedet gaudium.

In Psal. XLIX. *n.* 22.... Quantò meliùs ibi jam esses, ubi non invenis esurientem, quem pascas, ubi non invenis peregrinum, quem suscipias, non nudum, quem vestias, non ægrum, quem visites, non litigantem, quem concordes? Omnia enim ibi summa sunt, vera sunt, sancta sunt, æterna sunt. Panis noster ibi justitia est, potus noster ibi sapientia est, vestis nostra ibi immortalitas est, domus nostra æterna in cœlis, firmitas nostra immortalitas. Nunquid ægritudo subrepit? Nunquid lassitudo ad somnum trahit? Nulla mors, nulla lis; ibi pax, quies, gaudium, justitia. Nullus intrat inimicus, nullus labitur amicus. Quæ ibi quies? Si cogitemus et attendamus ubi simus, et ubi nos futuros esse promisit, qui mentiri nescit, ex ipsâ ejus promissione invenimus in quâ sumus tribulatione....

In Psal. LXXXIV. *n.* 10. Pax quid est? Ubi nullum bellum est? Ubi nulla est contradictio, ubi nihil resistit, nihil adversum est.... Quæ erit perfecta pax? (1. *Cor.* XV. 53.) Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.... Quando ergo absorpta fuerit mors in victoriam,.... erit pax plena et æterna. Quis non desideret illam civitatem, undè amicus non exit, quò inimicus non intrat, ubi nullus tentator est, nullus seditiosus, nullus dividens populum Dei, nullus fatigans Ecclesiam in ministerio diaboli, quando ipse princeps ipsorum mittitur in ignem æternum?.... Erit ergo pax purgata in filiis Dei, omnibus amantibus se, videntibus se plenos Deo, cùm erit Deus omnia in omnibus. Commune spectaculum habebimus Deum, communem possessionem habebimus Deum, communem pacem habebimus Deum.... Ipse erit perfecta et plena pax.... Gaudium nostrum, pax nostra, requies nostra, finis omnium molestiarum, non est nisi Deus.

In Psal. LXXXV. *n.* 24. *et alt. pag.* 917. *edit. BB.* Cùm autem transierit gemitus noster, omnes in unâ voce, in uno populo, in unâ patriâ consolabimur, millia millium conjuncta psallentibus Angelis, choris cœlestium potestatum in una civitate viventium. Quis ibi gemit? Quis ibi suspirat? Quis ibi laborat? Quis ibi eget? Quis ibi moritur? Quis ibi misericordiam præbet? Quis frangit panem esurienti, ubi omnes pane justitiæ saginantur? Nemo ibi dicit, Hospitem suscipe: peregrinus ibi nemo erit, omnes in patriâ suâ vivunt. Nemo ibi dicit, Concorda amicos tuos litigantes: in pace sempiternâ Dei vultu perfruuntur. Nemo ibi dicit, Visita ægrum: sanitas immortalitasque permanent. Nemo ibi dicit, Sepeli mortuum: omnes in vitâ æternâ erunt. Cessant opera misericordiæ, quia miseria non invenitur.... Necessitas non erit. Sic non erunt opera mise-

ricordiæ, quia transit miseria : ubi necessitas non erit nec miseria, opera necessitatis et misericordiæ non erunt.... Amor ergo quietus in vultu Dei, quem modò desideramus, cui suspiramus, cùm ad eum venerimus, quomodò nos accendet ? In quem nondùm visum sic suspiramus, cùm ad eum venerimus, quomodò illuminabit ? Quomodò nos mutabit ?.... Quid de nobis faciet ? Quid ergo agemus, fratres ? Psalmus nobis dicat : Beati qui habitant in domo tua. Undè ? In secula seculorum laudabunt te. Hæc erit actio nostra, laus Dei. Amas, et laudas. Desines laudare, si desines amare. Non autem desines amare, quia talis est quem vides, qui nullo te offendat fastidio : et satiat te, et non te satiat. Mirum est quod dico. Si dicam, quia satiat te, timeo ne quasi satiatus velis abscedere : quomodo de prandio, quomodo de cœna. Ergo quid dico : Non te satiat ? Timeo rursùs, ne si dixero : Non te satiat, indigens videaris ; et quasi inanior existas, et minus in te sit aliquid, quod debeat impleri. Quid ergo dicam, nisi quod dici potest, cogitari vix potest ? Et satiat te, et non te satiat : quia utrumque invenio in Scriptura. Nam cùm diceret (*Matth.* v. vi.) Beati esurientes, quia ipsi saturabuntur : est rursùs dictum de sapientia, (*Eccli.* xxiv. 29.) Qui te manducant, iterùm esurient ; et qui te bibunt, iterùm sitient. Immò verò non dixit, Iterùm ; sed dixit, Adhuc. Nam iterùm sitiet, quasi primo saginatus discesserit et digesserit et redierit bibere, tale est. Qui te edunt, adhuc esurient, sic cum edunt, esurient : et qui te bibunt, sic bibendo sitient. Quid est bibendo sitire ? Nunquam fastidire.

Tract. 30. *in Joan. num.* 7.... Ad quam rem innovatus ? Ad desideranda cœlestia, ad concupiscenda sempiterna, ad patriam, quæ sursùm est et hostem non timet, desiderandam, ubi non perdimus amicum, non timemus inimicum ; ubi vivimus cum bono affectu, sine ullo defectu ; ubi nemo nascitur, quia nemo moritur ; ubi nemo jam proficit, et nemo deficit ; ubi non esuritur, et non sititur, sed satietas est immortalitas, et cibus veritas.

Lib. 4. *de Civit. Dei*, *c.* 25. Nisi beatus, non vivit ut vult : et nullus beatus, nisi justus. Sed etiam ipse justus non vivit ut vult, nisi eò pervenerit, ubi mori, falli, offendi omninò non possit ; eique sit certum, ita semper futurum. Hoc enim natura expetit : nec plenè at que perfectè beata erit, nisi adepta quod expetit. Nunc verò quis hominum potest ut vult vivere, quandò ipsum vivere non est in potestate ?.... Et si ideò mori velit, non quò nollit vivere, sed ut post mortem meliùs vivat : nondum ergo ut vult vivit, sed cùm ad id, quod vult, moriendo pervenerit.... Beata quippe vita si non amatur, non habetur. Porrò si amatur, et habetur, cæteris omnibus rebus excellentiùs necesse est ametur : quoniam propter hanc amandum est, quidquid aliud amatur.... Tunc beata erit, quandò æterna erit.

Lib. 22. *c.* 30. *n.* 1. Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus ? Nam quid aliud agatur, ubi neque ullâ desidiâ cessabitur, neque ullâ indigentiâ laborabitur, nescio.... *Beati qui habitant in domo tuâ, Domine ; in secula seculorum laudabunt te.*... (*Ps.* lxxxiii. 5.) Tunc non erit ipsa necessitas, sed plena, certa, secura, sempiterna felicitas, proficient in laudibus Dei.... Harmoniæ corporalis numeri, cum cæteris rebus, quæ ibi magnæ atque mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem, rationabilis pulchritudinis delectatione succendent.... Certè ubi volet spiritus, ibi protinùs erit corpus : nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere, nec corpus. Vera ibi gloria erit, ubi laudantis nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur.... Vera pax, ubi nihil adversi, nec à se ipso, nec ab alio quisquam patietur.... Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, eique seipsum, quo melius et majus nihil possit esse, promisit.... Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.

N. 3.... Erit inamissibilis voluntas pietatis et æquitatis, quomodò est felicitatis.... Erit ergo illius civitatis et una in omnibus, et inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, et impleta omni bono, fruens indeficienter æternorum jucunditate gaudiorum, oblita culparum,

I. Quid agent sancti in cœlis ? quæ erit eorum occupatio ?

R. Ab iis Deus in æternum et sine cessatione videbitur, adorabitur, amabitur, laudabitur. (O)

Et exindè sequetur gaudium æternum, et pax nullâ anxietate, nullo metu, nullo tædio, nullo labore, nullâ molestiâ turbanda. (P)

oblita pœnarum ; nec tamen ideò suæ liberationis oblita, ut liberatori suo non sit grata.

N. 4.... Non erunt memores Sancti præteritorum malorum : carebunt enim omnibus, ita ut penitùs deleantur de sensibus eorum. Eâ tamen potentiâ scientiæ, quæ magna in eis erit, non solùm sua præterita, sed etiam damnatorum eos sempiterna miseria non latebit.... Ibi perficietur, *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus....* (*Ps.* XLV. 11.) Vacabimus in æternum, in omnibus, videntes quia ipse est Deus, quo pleni erimus, quando ipse erit omnia.

N. 5.... Ibi vacabimus, et videbimus : videbimus et amabimus : amabimus et laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi pervenire ad regnum, cujus nullus est finis ?

(O) PSAL. LXXXIII. 5. Beati qui habitant in domo tuâ, Domine, in secula seculorum laudabunt te.

1. COR. XIII. 12. Videmus nunc per speculum in ænigmate ; tunc autem facie ad faciem : nunc cognosco ex parte : tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.

APOC. V. 9. Et cantabant Canticum novum, dicentes.... Redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu et lingua, populo, et natione : 10. Et fecisti nos Deo nostro regnum, et Sacerdotes, et regnabimus super terram.

APOC. XXII. 4. *et* 5. *Vide suprà litt.* (N) *hocce* §.

S. AUG. *Lib.* 22. *de Civit. Dei, c.* 30. *Vide suprà litt.* (N) *hocce* §. *n.* 1. 3. 4. *et* 5.

In Psal. XXX. *n.* 6. Ibi capitur.... ibi gaudetur.... ibi laudatur.... ibi exsultatur.

In Psal. CXLV. *n.* 7.... Beati qui habitant in domo tua, in secula seculorum laudabunt te ; quando totum negotium nostrum ipsa laus erit.... Quid ergo factura es ? collauda Jerusalem Dominum. Ecce hoc est negotium tuum.

N. 8. Ubi sempiterna laudatio erit, sempiternum esse erit.

In Psal. CXLVII. *n.* 6. Quid factura es, ô Jerusalem ? Transiet certè labor et gemitus....

N. 8. *Vide suprà hocce paragrapho litt.* (L)

Lib. 1. *de Morib. Eccles. Catholicæ, c.* 3. *n.* 4. Beatus autem, quantùm existimo, neque ille dici potest, qui non habet quod amat, quamcunque sit.... Video ubi beata vita inveniri queat, cùm id, quod est hominis optimum, et amatur et habetur. Quid enim est aliud quod dicimus frui, nisi præstò habere quod diligis ?

(P) S. AUG. *Serm.* 1. *in Psal.* XXXVI. *n.* 12.... Deus tuus pax. Quidquid desideras, pax tibi erit.... Deus tuus totum tibi erit. Manducabis eum, ne esurias ; bibes eum, ne sitias ; illuminaberis ab eo, ne sis cæcus ; fulcieris ab eo, ne dejicias ; possidebit te totum integrum, totus integer. Angustias non ibi palieris cum eo, cum quo totum possides : totum habebis, totum et ille habebit, quia tu et ille unum eritis.

In Psal. XLVII. *n.* 15. Si Deus noster est, et Rex noster est : protegit nos, quia Deus est, ne moriamur : regit nos, qui Rex est, ne cadamus...,. Ab illo ergo optemus regi et liberari.

Tract. 77. *in Joan. n.* 3. Pacem suam nobis dabit in futuro seculo.... Pacem suam nobis dabit, quando sine hoste regnabimus.... Pacem suam nobis dabit, ubi nunquam dissentire possimus.... Pacem suam dabit nobis, cùm manifestabit cogitationes cordis : et tunc laus erit unicuique à Deo. In illo tamen atque ab illo nobis est pax.... Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum. Pax ergo ipse nobis est.... cùm videmus eum sicuti est. Si enim quandiù sumus in corpore corruptibili, quod

I. Suntne varii gloriæ gradus in Sanctis ?

R. Sunt. *Stella enim differt à stellâ in claritate*, inquit Apostolus (1. *Cor.* XV. 41.), *sic et resurrectio mortuorum.* Qui plus Deum in terrâ dilexerint, et Christum fuerint perfectiùs imitati, illi superiorem gloriæ gradum obtinebunt. Omnes ejusdem boni possessione beantur : sed hoc alii aliis perfectiùs possident : et in eo posita est inæqualitas gloriæ. (Q)

I. Cur vitam æternam superiùs posuisti inter dotes Ecclesiæ ?

R. Quia solis Ecclesiæ membris hæc vita destinata est : et post ultimum Christi adventum non constabit Ecclesia, nisi ex iis, qui vitâ hâc beatâ fruentur. Id jam superiùs explicatum est satis superque §. 18. hujusce Capitis.

I. Quinam excluduntur à vitâ æternâ ?

R. Qui moriuntur extra Ecclesiam, vel intra Ecclesiam quidem, sed peccati mortalis labe inquinati : uno verbo,

aggravat animam ; cùm per fidem ambulamus, non per speciem, non deserit peregrinantes à se : quantò magis, cùm ad ipsam speciem venerimus, nos implebit ex se.

Enar. in Psal. CXXXVI. *n.* 17. Ibi est enim summa jucunditas, ubi Deo perfruimur, ubi de fraternitate cohærente et civica societate securi sumus. Nullus ibi tentator nos violabit, nullus vel ad aliquam illecebram percellere poterit, nihil ibi delectabit, nisi bonum. Morietur ibi omnis necessitas, orietur ibi summa felicitas.

(Q) MATTH. XX. 9. Cùm venissent ergo, qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.

JOAN. XIV. 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt....

1. COR. XV. 40.... Alia quidem cœlestium gloria. 41. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate.

S. AUG. *Tract.* 67. *in Joan. n.* 2.... Quia et si alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio justior, alius alio sanctior : *In domo Patris mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV. 2.) nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito. Denarius quidem ille æqualis est omnibus, quem Pater familias eis, qui operati sunt in vinea, jubet dari omnibus, non in eo discernens qui minùs et qui ampliùs laborarunt : quo utique denario vita significatur æterna, ubi ampliùs alio nemo vivit, quoniam vivendi non est diversa in æternitate mensura. Sed multæ mansiones diversas meritorum in unâ vitâ æternâ significant dignitates. (1. *Cor.* XV. 41.) Alia est enim gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum : stella enim ab stellâ differt in gloriâ, sic et resurrectio mortuorum. Tanquam stellæ, Sancti diversas mansiones diversæ claritatis, tanquam in cœlo, sortiuntur in regno : sed propter unum denarium nullus separatur à regno : atque ita Deus erit omnia in omnibus, ut quoniam Deus caritas est, per caritatem fiat, ut quod habent singuli, commune sit omnibus.... Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas caritatis.

De Civit. Dei, *lib.* 22. *cap.* 30. *n.* 2. Cæterùm qui futuri sint pro meritis præmiorum etiam gradus honorum atque gloriarum, quis est idoneus cogitare, quantò magis dicere ? Quod tamen futuri sint, non est ambigendum. Atque id etiam beata civitas illa magnum in se bonum videbit, quòd nulli superiori ullus inferior invidebit, sicut nunc non invident Archangelis Angeli cæteri : tamque nolet esse unusquisque quod non accepit, quamvis sit pacatissimo concordiæ vinculo ei, qui accepit, obstrictus, quàm nec in corpore vult oculus esse qui est digitus, cùm membrum utrumque contineat totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne velit ampliùs.

quicunque non scripti sunt in libro vitæ, qui reprobi dicuntur in Scripturis. (R)

I. Quomodò affecti esse debemus intuitu vitæ æternæ ?

R. 1. Omni ope atque operâ enitendum, ut ad eam perveniamus. (S)

2. Contemnenda omnia terrena et caduca, quæ reverà nihil sunt in comparatione illius supremæ felicitatis. (T)

(R) MATTH. XXV. 1. Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus : quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso, et sponsæ. 2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes. 3. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum. 4. Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis, cum lampadibus.... 10. Venit sponsus, et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. 11. Novissimè verò veniunt et reliquæ virgines, dicentes : Domine, Domine, aperi nobis. 12. At ille respondens, ait : Amen dico vobis, nescio vos.

Ibid. 30. Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores : illic erit fletus et stridor dentium.

Ibid. 41. Tunc dicet et his, qui à sinistris erunt : Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus. 42. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare : sitivi, et non dedistis mihi potum. 43. Hospes eram, et non collegistis me : nudus, et non cooperuistis me : infirmus, et in carcere, et non visitastis me. 44. Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi ? 45. Tunc respondebit illis, dicens : Amen dico vobis : Quandiù non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. 46. Et ibunt hi in supplicium æternum.

1. COR. XV. 50. Hoc autem dico, fratres : quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt : neque corruptio incorruptelam possidebit.

GALAT. V. 19. Manifesta sunt autem opera carnis : quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, 20. Idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, 21. Invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia quæ prædico vobis, sicut prædixi : quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

EPHES. V. 5. *Vide suprà litt.* (A) *hocce 2.*

APOC. XX. 5. Cæteri mortuorum non vixerunt, etc.

(S) MATTH. XI. 12.... Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.

1. COR. IX. 24. Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium ? sic currite ut comprehendatis. 25. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet : et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant ; nos autem incorruptam. 26. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum : sic pugno, non quasi aërem verberans. 27. Sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo : ne forlè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.

S. AUG. *Lib.* 8. *Confess. c.* 6. *n.* 15.... Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris quò ambimus pervenire ? Quid quærimus ? cujus rei causâ militamus ? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quàm ut amici imperatoris simus.... Et quando is fuerit ? Amicus autem Dei si voluero, ecce nunc fio.... Deo servire statui, et hoc ex hâc horâ, in hoc loco aggredior. Te si piget imitari, noli adversari. Respondit ille, adhærere se socium tantæ mercedis, tantæque militiæ.

Epist. 127. *aliàs* 45. *Armentario et Paulinæ, n.* 1. *et seq. Vide 2.* 11. *hujusce Capitis litt.* (I).

(T) 2. COR. IV. 17. Id enim, quod in præsenti est, momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

HEBR. XII. 1. Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem tes-

3. Sedentes hîc super flumina Babylonis, et in terrâ alienâ peregrinantes, flere et gemere oportet in recordatione Sion; ex intimo corde suspirandum ad Patriam. (V)

tium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.

S. Aug. *Lib.* 5. *de Civit. Dei*, *c.* 18. *n.* 1. Quid ergo magnum est pro illa æterna, cœlestique patria, cuncta seculi hujus, jucunda blandimenta contemnere.

N. 2. Quis regno cœlorum imputaturus est merita sua ?.... Quid se magnum pro æternâ patriâ facisse dicturus est, qui aliquem fidei suæ passus inimicum, non se ultrò,.... in mortem mittens, sed ab illo missus obierit ?.... Quid magnum se pro Evangelii sancti prædicatione, quia cives supernæ patriæ de diversis liberantur, et colliguntur erroribus, facisse dicturus est ?.... Quomodò se audebit extollere de voluntariâ paupertate Christianus, ut in ejus vitæ peregrinatione expeditior ambulet viam, quæ perducit ad patriam, ubi veræ divitiæ ipse Deus est ?

N. 3. Indignæ *sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII. 18.).... Pro æternâ vitâ muneribusque perpetuis et ipsius supernæ civitatis societate colatur Deus unus et verus.

N. 5. *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; quomodò non et cum illo omnia nobis donabit.* (*Rom.* VIII. 32.) ? Cùm hæc promissio complebitur, quid erimus ? Quales erimus ? Quæ bona in illo regno accepturi sumus, quando quidem Christo moriente pro nobis tale jam pignus accepimus ? Qualis erit spiritus hominis, nullum omninò habens vitium, nec sub quo jaceat, nec cui cedat, nec contra quod saltem laudabiliter dimicet, pacatissimâ virtute perfectus ? Rerum ibi omnium quanta, quàm speciosa, quàm certa scientia, sine errore aliquo vel labore, ubi Dei sapientia de ipso suo fonte potabitur, cum summâ felicitate, sine ullâ difficultate ? Quale erit corpus, quod omnimodo spiritui subditum, et eo sufficienter vivificatum, nullis alimoniis indigebit ? Non enim animale, sed spirituale erit, habens quidem carnis, sed sine ullâ carnali corruptione substantiam.

De Civit. Dei, *Lib.* 22. *cap.* 24. *n.* 5. Jam cætera pulchritudo et utilitas creaturæ, quæ homini, licèt in istos labores miseriasque projecto atque damnato, spectanda atque sumenda divinâ largitate concessa est, quo sermone terminari potest ? In cœli et terræ et maris multimoda et varia pulchritudine, in ipsius lucis tanta copia, tamque mirabili specie, in sole ac luna et sideribus, in opacitatibus nemorum, in coloribus et odoribus florum, in diversitate ac multitudine volucrum garrularum atque pictarum, in multiformi specie tot tantorumque animantium, quorum illa plus habent admirationis, quæ molis minimum. (Plus enim formicularum et apicularum opera stupemus, quàm immensa corpora ballenarum :) in ipsius quoque maris tam grandi spectaculo, cùm sese diversis coloribus induit velut vestibus, et aliquando viride, atque hoc multis modis, aliquando purpureum, aliquando cæruleum est. Quàm porrò delectabiliter spectatur etiam quandocunque turbatur, et fit indè major suavitas, quia sic demulcet intuentem, ut non jactet et quatiat navigantem ? Quid ciborum usquequaque copia contra famem ? Quid saporum diversitas contra fastidium, naturæ diffusa divitiis, non coquorum arte ac labore quæsita ? Quanta in tam multis rebus tuendæ ac recuperandæ salutis auxilia ? Quàm grata vicissitudo dici alternantis et noctis ? Aurarum quàm blanda temperies ? in fruticibus et pecoribus indumentorum conficiendorum quanta materies ? Omnia commemorare quis possit ? Hæc autem sola, quæ à me velut in quemnam aggerem sunt coarctata, si vellem velut colligata involucra solvere atque discutere, quanta mihi mora esset in singulis, quibus plurima continentur ? Et hæc omnia miserorum sunt damnatorumque solatia, non præmia beatorum. Quæ igitur illa sunt, si tot ac talia et tanta sunt ista ? Quid dabit eis, quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis, quos prædestinavit ad mortem ? Quæ bona in illa beata vita faciet eos sumere, pro quibus in hac misera unigenitum Filium suum voluit usque ad mortem mala tanta perferre ?

(V) Psal. CXXXI. 1. Super flumina Babylonis, illic sedimus, et flevimus, cùm recordaremur Sion.

4. Christo hîc adhærendum, quantùm in nobis est, ut ipsi in terris concorporati, accipiamus tandem divinæ

2. Cor. v. 1. Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, æternam in cœlis. 2. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes.... 10. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.... 17. Si quia ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova.

S. Aug. *Enarrat. in Ps.* xli. *n.* 6. Interim dùm meditor, dùm curro, dùm in via sum, antequam veniam, antequam appaream: *fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus* (*Ps.* xli. 3.)? Suaves erant mihi ipsæ lacrymæ: sitiens illum fontem, quia bibere nondum poteram,.... servatâ illâ siti, quâ inardesco, quâ rapior ad fontes aquarum, panis mihi factæ sunt lacrymæ meæ, dum differor: et utique manducando lacrymas suas, sine dubio plus sitit ad fontes.... sive, inquit, in prosperis rebus seculi, sive in adversis rebus seculi, ego desiderii mei lacrymas fundo, ego desiderii mei aviditatem non desero: et cùm in mundo benè est, mihi malè est, antequàm apparebo ante faciem Dei.

In Ps. cxxii. *n.* 2. Undè angitur cor Christiani? Quia nondum cum Christo vivit. Undè angitur cor Christiani? Quia peregrinatur et desiderat patriam. Si indè angitur cor tuum, etiamsi felix secundùm seculum fueris, gemis; omnia prospera confluant, et undique tibi iste mundus arrideat, tu tamen gemis, quia in peregrinatione te constitutum vides; et sentis jam quidem te habere felicitatem secundùm oculos stultorum, sed nondum secundùm promissionem Christi: illam quærens gemis, illam quærens desideras, et desiderando ascendis.

In Ps. cxxxvi. *n.* 1.... Omnis eruditus in sanctâ Ecclesiâ nosse debet undè cives simus, et ubi peregrinemur, et peregrinationis nostræ causam esse peccatum, reversionis autem nunus remissionem peccatorum et justificationem gratiæ Dei.... *Super flumina Babylonis ibi sedimus et flevimus, cùm recordaremur Sion* (*Ps.* cxxxvi. 1.)....

N. 2. Si cives sumus de Jerusalem, id est, de Sion, et in ista vita, in ista confusione seculi hujus, in ista Babylonia non cives habitamus, sed captivi detinemur, oportet ut non tantùm ista decantemus, sed et faciamus affectu cordis pio, religioso desiderio æternæ civitatis.... Ostendit illis (*Deus*) aliam civitatem, cui verè debeant suspirare, pro quâ debeant cuncta conari, ad quam capescendam debeant cives suos secum peregrinos, quantum valuerint, adhortari.

N. 4. Alii ergo cives sanctæ Jerusalem intelligentes captivitatem suam... sedent super flumina Babylonis, vel illos qui rapiuntur, vel se ipsos qui in Babylonia esse meruerunt, sedentes tamen, hoc est humiliati. *Super flumina* ergo *Babylonis ibi sedimus et flevimus, cùm recordaremur Sion.* O sancta Sion, ubi totum stat, et nihil fluit! quis nos in ista præcipitavit?.... Indè oportet ut fleas, recordando Sion.

N. 16. Interrogate corda vestra, fratres, si desideratis bona Dei, si desideratis civitatem illam Jerusalem, si concupiscitis vitam æternam.

In Ps. cxlviii. *n.* 4. Gemimus in peregrinatione, exsultabimus autem in patriâ. Qui autem non gemit peregrinus, non gaudebit civis; quia desiderium non est in illo.... (dicit Apostolus: 2. *Cor.* v. 6.) Quandiù sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Nondùm sumus in patriâ: quandò erimus in patriâ? quando triumphabimus, devicto inimico diabolo, quandò mors novissima inimica destruetur.... Quando ergo nulla erit mortis contentio, quæ modò est, et facit nos gemere ex defectu et mutabilitate rerum, ex fragilitate carnis humanæ? Non cessat et non moritur hostis, nisi in resurrectione mortuorum.... Non vobis placeat amor Babyloniæ, ne obliviscamini civitatem Jerusalem: et si corpus vestrum adhuc in Babylonia tenetur, cor vestrum ad Jerusalem præmittatur.

hujus conjunctionis consummationem in die resurrectionis. (X)

§. 21. De Morte æternâ.

I. Mortis æternæ nomine quid intelligis ?

R. Intelligo æternam à Deo separationem. Deus enim est vita animæ, sicut anima vita corporis est. Itaque separata anima à Deo in statu mortis est. Æternùm à Deo separata, in statu æternæ mortis est. (A)

(X) JOAN. XV. 2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum (*Pater meus*,) et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.... 4. Manete in me : et ego in vobis. Sicut palmes non potest facere fructum à semetipso, nisi manserit in vite : sic nec vos, nisi in me manseritis.... 5. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me, nihil potestis facere. 6. Si quis in me non manserit, mittetur foràs sicut palmes, et arescet : et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. 7. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint : quodcunque volueritis petetis, et fiet vobis.... 9.... Manete in dilectione mea. 10. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.... 11. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum sit in vobis, et gaudium vestrum impleatur.

XVII. 13.... Ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.... 21. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.... 23. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.... 24. Pater, quod dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videat claritatem meam, quam dedisti mihi :.... 26.... Ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.

S. AUG. *in Psal.* CXXII. *n.* 1.... Desiderio bono levamur ad Deum.... Superest nobis.... hærendo illi (*Christo*) ascendere ; quia viribus nostris non possumus..... Quid debent facere cæteri (*id est* fideles) ? Uniri corpori ipsius, ut sit unus Christus.... Nos, quandò cum illo sic sumus, ut in illo membra ejus simus ; et nobiscum solus est, et ideò unus, et semper unus. Unitas nos compaginat uni. Et illi soli cum illo non ascendunt, qui cum illo unus esse noluerint.... Non præter spem esse debemus, immò cum magna fiducia præsumere, quia si per caritatem ipse nobiscum in terra est, per eamdem caritatem et nos cum eo in cœlo sumus.

N. 2. De unoquoque corde vestrùm cantet hic homo, et unusquisque sit iste homo. Cùm enim dicitis illud singuli, quia omnes unum estis in Christo, unus homo illud dicit : et non, Ad te Domine levavimus oculos nostros : sed *Ad te Domine levavi oculos meos.* Debetis quidem putare, unumquemque vestrùm loqui, sed unus ille maximè loquitur, qui etiam diffusus est toto orbe terrarum. Unus ille loquitur, qui alibi dicit (*Ps.* LX. 3.), A finibus terræ ad te clamavi, cùm angeretur cor meum. Quis est qui clamat à finibus terræ ? Quis unus homo, diffusus est usque ad fines terræ ? Unusquisque homo in regione sua potest clamare ; nunquid à finibus terræ ? Sed hæreditas Christi, de quâ dictum est (*Ps.* II. 8.), Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.

In diebus Paschalib. Serm. 13. *edit. BB.* 242. *aliàs de Tempore* 147. *c.* 8. *n.* 11. Dicitur spiritale corpus.... quia ad nutum spiritûs serviet. Nihil tibi contradicet ex te, nihil in te rebellabit adversùs te..... Pax ibi erit, pax perfecta ibi erit. Ubi volueris, eris : sed à Deo non recedes. Ubi volueris, eris : sed quocunque ieris, Deum tuum habebis. De quo beatus eris, semper cum illo eris.

Serm. 259. *in die Dominico octavarum Paschæ, aliàs ex Sirmondianis* 19. *n.* 1.... Omnis intentio vestra.... non dirigatur, nisi ad illam vitam, quæ nobis cum Angelis est futura : ubi perpetua quies, sempiterna lætitia, indeficiens beatitudo, nulla perturbatio, nulla tristitia, nulla mors.

(A) S. AUG. *Lib.* 10. *Confess. c.* 20. *n.* 29.... Vivit anima mea de te.

I. Ergo anima non est immortalis?

R. Immortalis est, si de vitâ naturæ sermo sit : non item si de vitâ spiritûs. At hîc sermo est de vitâ et morte spirituali. Spiritaliter vivit anima, quandò cum Deo conjuncta est : spiritaliter moritur, cùm separatur à Deo. Æternùm vivit, cùm adhæret æternùm Deo, nec potest ampliùs à Deo separari; quod fit in Beatis. Æternùm mortua est, cùm sic à Deo separatur, ut non possit ampliùs ad ipsum reverti; quod fit in damnatis.

I. Quænam ergo sors est eorum, qui scripti non sunt in libro vitæ, sed æternâ hâc morte damnati sunt?

R. 1. Nunquam intraturi sunt in regnum cœlorum, extra Dei conspectum et præsentiam in æternum ablegabuntur. (B)

2. Vermis eorum non morietur : id est, æternis conscientiæ stimulis frustra vexabuntur : neque enim eos sua pœnitentia liberabit à morte. (C)

Tract. 47. *in Joan. n.* 8. Eum timete (*Luc.* XII. 4. *et* 5.) qui habet potestatem et corpus et animam occidere in gehennâ. Ecce quia moritur... Quid est mori ipsius? Mori animæ tuæ, est amittere vitam suam.... Vita animæ tuæ, Deus tuus.... Moritur anima, amisso Deo, qui vita est ejus.

De Civit. Dei, lib. 13. *c.* 2.... Quamvis humana anima veraciter immortalis perhibeatur, habet tamen quamdam etiam ipsa mortem suam.... Mors igitur animæ fit, cùm eam deserit Deus.... totius hominis mors est, cùm anima à Deo deserta deserit corpus.... (*Matth.* X. 28.) Eum timete, qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam.. Secunda mors sine dubio, sicut nullorum bonorum est, ita nulla bona.

Serm. 62. *aliàs* 6. *de Verbis Domini, cap.* 1. *n.* 2. Sicut enim vita corporis anima est : sic vita animæ Deus.... Exspirat anima, cùm Deum amittit. Deus amissus, mors animæ : anima emissa, mors corporis.

Serm. 65. *aliàs* 13. *inter additos à Parisiensibus, c.* 3. *n.* 5. Potest anima occidi.. contradici non potest vitæ, nisi ab anima mortua.

Cap. 4. Evangelium vita est, impietas et infidelitas mors animæ est. Ecce potest mori, et immortalis est.... Quomodo moritur? Non, ut non sit vita, sed amittendo vitam... vita animæ Deus est.... Debet adesse vita animæ, hoc est, Deus, ne moriatur anima.

Cap. 5. *n.* 6. Impius est, infidelis est, ad credendum durus, ad corrigendos mores ferreus, vivente corpore, mortua est anima.... Nam ipsa anima impii, anima infidelis, anima perversi, duri, mortua est... mendacium loquitur, ergo mortua est. (*Sap.* I. 11.) Os quod mentitur occidit animam.... Quare mortua est anima? Quia deseruit eam vita ejus, Deus.

Cap. 6. *n.* 7. Scilote, certumque tenete animam mortuam esse sine Deo. Omnis homo sine Deo mortuam habet animam.... Animam time, ne moriatur in gehennâ ignis.

Cap. 7. *n.* 8.... Quando mittetur in gehennam impius, ardebit ibi corpus, ibi anima? Mors corporis, sempiterna pœna; mors animæ, Dei absentia. Vis nosse quæ sit mors animæ? Intellige Prophetam dicentem : (*Isaï.* XXVI. 10.) Tollatur impius, ut non videat claritatem Domini : timeat ergo anima mortem suam.

Vide insuper quæ dicemus infrà de Peccato mortali, Parte secundâ, Sectione primâ, Capite primo, paragrapho tertio; et auctoritates allatas suprà hujusce Capit. §. 14. *litt.* (A)

(B) MATTH. V. 20.... Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum, et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

(C) ISAI. LXVI. 14.... (*Dominus*) Indignabitur inimicis suis.... 24... Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.

MARC. IX. 43. 45. *et* 47. Vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.

3. Mittentur in stagnum ignis, æternis cum diabolo et Angelis ejus suppliciis cruciandi. (D)

I. Eritne ignis ille reapsè corporeus ?

R. Erit, quantùm colligere licet ex Scripturis. Eaque sancti Augustini et plerorumque ex SS. Patribus mens fuit. (E)

(D) MATTH. XXV. 1. etc. *Vide paragrapho superiori litt.* (R)

APOC. XX. 14. Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis : hæc est mors secunda. 15. Et qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

(E) ISAI. LXVI. 24. *et* MARC. IX. 43. 45. et 47. *Vide suprà litt.* (C) *hocce* . MATTH. XXV. 45. *Vide* §. *super litt.* (R)

LUC. XVI. 22.... Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno... 23.... Cùm esset in tormentis, 24. et ipse clamans, dixit : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hâc flammâ. 25. Et dixit illi Abraham : Fili, recordare, quia recepisti bona in vitâ tuâ,... nunc verò cruciaris....

APOC. XX. 15. *Vide supra litt.* (D) *hocce* §.

S. AUG. *Lib.* 20. *de Civit. Dei*, *c.* 22. Significatum est, eos qui cruciabuntur extra futuros. Propter quod et Dominus ea loca (*Matth.* XXV. 30.) tenebras exteriores vocat : .... Qui enim erunt in pœnis, quid agatur intùs in gaudio Domini nescient : in pœnis autem malorum et inexstinguibilis ignis, et vivacissimus vermis, ab aliis atque aliis aliter atque aliter est expositus. Alii quippe utrumque ad corpus, alii utrumque ad animum retulerunt : alii propriè ad corpus ignem, tropicè ad animum vermem, quod credibilius esse videtur.

Lib. 21. *c.* 2. Convincantur incredùli, posse humana corpora animata atque viventia, non solùm, nunquam morte dissolvi, sed in æternorum quoque ignium durare tormentis. Nolunt enim hoc ad Omnipotentis nos referre potentiam.... Mirabile est enim dolere in ignibus, et tamen vivere.

Cap. 3. *n.* 1. (*Dæmones*) se afflìgi magnis cruciatibus confitentur.... Necesse est ergo, ut vivat dolens, non est necesse, ut occidat dolor : quia nec corpora ista mortalia, et utique moritura, omnis dolor occidit ; et ut dolor aliquis possit occidere, illa causa est, quoniam sic est anima connexa huic corpori, ut summis doloribus cedat, atque discedat : quoniam et ipsa compago membrorum atque vitalium sic infirma est, ut eam vim, quæ maguum vel summum dolorem facit, non valeat sustinere. Tunc autem tali corpori anima et eo connectitur modo, ut illud vinculum sicut nullà temporis longitudine solvitur, ita nullo dolore rumpatur.... Non enim nulla, sed sempiterna mors erit, quando nec vivere anima poterit Deum non habendo, nec doloribus corporis carere moriendo,.... Secunda mors animam nolentem tenet in corpore.

N. 2. Ipse animus... dolorem pati potest et mori non potest.. Hoc igitur erit tunc etiam in corporibus damnatorum, quod nunc esse scimus in animis omnium... Animæ enim est dolere, non corporis, etiam quando ei dolendi causa existit à corpore.... Dolet etiam non in corpore constituta : nam utique dolebat dives ille apud inferos, quando dicebat, *Crucior in hâc flammâ.* (*Luc.* XVI. 24.) Si ergo à dolore argumentum reciè sumeretur ad mortem, ut ideò mors possit accidere, quia potuit accidere et dolor, magis ad animam pertineret mori, ad quam magis pertinet et dolere. Cùm verò illa, quæ magis dolere potest, non possit mori, quid momenti affert, cur illa corpora, quoniam futura sunt in doloribus, ideò etiam moritura esse credamus ?

S. BASIL. *in Psal.* XXXIII. *v.* 12. *pag.* 225. *edit. Paris.* 1618..... Eos, qui multa perperàm in vita admiserunt, horrendi quidem et tristes circumstabunt Angeli, ignem aspectu reddentes, ignem exspirantes, propter propositi ac voluntatis acerbitatem, vultum præferentes nocti assimilem propter mœrorem, atque hominum odium. Subinconspicient barathrum in imum patens, tenebras impermeabiles quidem illas, ignemque obscurum, urendi quidem in tenebris vim habentem, luce verò destitutum.

Indè vermium innumerabilium genus venenosum, ac carnivorum, esitans quidem semper, nec tamen se exsatians, intolerabiles dolores morsibus infligens. Postremò omnium durissimam pœnam, probrum illud, et verecundiam sempiternam. Hæc tu time, et hujusmodi timore eruditus, quasi freno quopiam abarce animam, et inhibe ad vitiosam concupiscentiam propendentem.

In v. 22. *pag.* 234. *Mors peccatorum mala.* Excipit enim illos supplicium, quemadmodum divitem illum, qui induebatur purpurâ et bysso, et epulabatur quotidiè splendidè.

TERTULL. *Lib. de Pœnit. c.* 12. *et ult.* Gehennam in corde considera... et pœnæ magnitudinem imaginare.. Quid illum: thesaurum ignis æterni æstimamus, cùm fumariola quædam ejus tales flammarum ictus suscitent, ut proximæ urbes aut jam nullæ exstent, aut idem sibi de die sperent? Dissiliunt superbissimi montes ignis intrinsecus fetui, et, quod nobis judicii perpetuitatem probat, cùm dissiliant, cùm devorentur, nunquam tamen finiuntur. Quis hæc supplicia interim montium non judicii minanti exemplaria deputabit? Quis scintillas tales non magni alicujus et inæstimabilis foci missilia quædam et exercitoria jacula consentiet?

LACTANT. *Lib.* 7. *divin. Instit. c.* 21..... Dæmones reformidant Deum, quia torquentur ab eo, ac puniuntur. Quid ergo mirum, si, cùm sint immortales animæ, tamen patibiles sint Deo?... Docent nos Sanctæ litteræ, quemadmodum pœnas impii sint luituri. Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rursùs carne induentur, ut in corporibus piaculum solvant, et tamen non erit caro illa, quam Deus homini superjecerit, huic terrenæ similis, sed insolubilis ac permanens in æternum, ut sufficere possit crucialibus, et igni sempiterno, cujus natura diversa est ab hoc nostro, quod ad vitæ necessaria utimur: qui nisi alicujus materiæ fomite alatur, exstinguitur. At ille divinus per seipsum semper vivit, ac viget sine ullis alimentis, nec admistum habet fumum, sed est purus, ac liquidus, et in aquæ modum fluidus..... Idem igitur divinus ignis unâ eademque vi, atque potentiâ et cremabit impios et recreabit, et quantùm è corporibus absumet, tantum reponet: ac sibi ipsi æternum pabulum subministrabit... Tùm quorum peccata, vel pondere, vel numero prævaluerint, perstringentur igni, atque amburentur.

S. CYPRIANUS *ad Demetrianum, non longè à fine, edit. Oxon. in fol. ann.* 1700. *pag.* 134. Credite illi, qui incredulis æterna supplicia gehennæ ardoribus irrogabit... Cremabit addictos ardens semper gehenna, et vivacibus ut omnis vorax pœna, nec erit undè habere tormenta vel requiem possint aliquandò vel finem. Servabuntur cum corporibus suis animæ infinitis crucialibus ad dolorem. Spectabitur illic à nobis semper, qui hic nos spectavit ad tempus: et in persecutionibus factis oculorum crudelium brevis fructus, perpetuâ visione pensabitur: secundùm Scripturæ sanctæ fidem dicentis (*Isaï.* LVII. 24.): Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur... Erit tunc sine fructu pœnitentia, dolor pœnæ, inanis ploratio, et inefficax deprecatio. In æternam pœnam serò credent, qui in vitam æternam credere noluerunt.

S. GREG. MAGNUS Papa *Lib.* 15. *Moral. in Job. c.* 17. Devorabit eum ignis, qui non succenditur.... Gehennæ ignis, cùm sit incorporeus, et in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur: sed creatus semel durat inexstinguibilis, et successione non indiget, et ardore non caret. Benè ergo de hoc iniquo dicitur (*Job.* XX. 26.): Devorabit eum ignis, qui non succenditur: quia Omnipotentis justitia futurorum præscia, ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creavit, qui in pœnâ reproborum esse semel inciperet: sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret. Sciendum verò est, quòd omnes reprobi, quia ex animâ simul et carne peccaverunt, illic in animâ pariter et carne cruciantur. Undè per Psalmistam dicitur (*Ps.* XX. 10.): Pones eos ut clibanum ignis, in tempore vultûs tui: Dominus in irâ suâ conturbabit eos, et devorabit eos ignis... ut per ignem crucientur in corpore, et per dolorem ardeant in mente.

Lib. 4. *Dialog. c.* 28.... Oportet ut per omnia esse credas et iniquorum animas in inferno: quia cà retributione æternæ justitiæ... necesse est

Aget ergo virtute divinâ ignis ille in corpora, quæ tamen propterea non consummentur, et in animas licèt spirituales.

I. Estne fidei articulus, ignem, quo damnati cruciabuntur, fore corporeum ?

R. De fide est reprobos omnes æternùm esse à Deo separandos, æternâ felicitate privandos, foràs in æternum ablegandos; quæ quidem pœna est omnium maxima, quam experiri possit creatura rationalis ad Deum condita.

De fide est eos corpore simul et animâ æternùm torquendos cruciatibus acerbissimis, sine ulla consolatione, sine ullo allevamento.

De fide est hos cruciatus in Scripturis designari nomine ignis æterni.

Utrum autem ignis ille sit reapsè corporeus et materialis, et quæ sit ejus præcisè natura, id nec Scriptura docet, nec Ecclesia definivit. (F)

I. Eritne æqualis reproborum omnium pœna ?

R. Pro inæqualitate meritorum erit aliquatenùs inæqualis.

Aliquatenùs, inquam; nam æqualiter omnes patientur pœnam, quæ *damni* dicitur, id est, separationem à Deo. Erit æqualis item in omnibus pœnæ duratio : æterna nimirùm. Tota ergo inæqualitas posita est in pœnâ, quæ sensûs dicitur, id est, in pœnâ ignis. Nam

1. Certum non est infantes mortuos ante rationis usum, nondùm acceptâ peccati originalis remissione, affici propriè pœnâ sensûs. De hoc non una est Theologorum sententia; nec quidquam Ecclesia definivit. (G)

2. Qui pœnâ sensûs afficientur, ii majorem minoremve, pro inæqualitate meritorum, pœnam sustinebunt. (H)

I. Certumne est æternas fore damnatorum pœnas ?

R. Id certissimum est dogma fidei, manifestis Scripturarum testimoniis stabilitum, perpetuâ Traditione et Ecclesiæ definitione firmatum, ita ut contrarium afferentes pro Hæreticis semper habiti sint. (I)

per omnia, ut et injusti crucientur... Credi necesse est quòd à die exitûs sui ignis reprobos exurat.

S. THOMAS *Opuscul.* x. *artic.* 41. An in inferno erit corporaliter vermis. Hoc Augustinus sub dubio reliquit 21. de Civit. licèt in 20. ejusdem dicat hoc probabilius videri, quod ignis referatur ad corpus, vermis tropicè ad animam : quod etiam mihi probabilius videtur.

(F) ESTIUM. *in* 4. *Sent. dist.* 44. 2. 12. *et* 13. *ea de re consule.*

(G) *Lege quæ dicuntur infrà in Tractatu* de Baptismo §. 3. De necessitate Baptismi *Cap.* 11. *Sectionis primæ, Partis tertiæ.*

(H) APOC. XVIII. 7. Quantùm glorificavit se, et in deliciis fuit; tantùm date illi tormentum et luctum.... 8. Ideò in una die venient plagæ ejus, mors, et luctus, et fames, et igne comburetur : quia fortis est Deus, qui judicabit illam.

(I) S. AUG. *Lib.* 21. *de Civit. Dei, c.* 23. Ecclesia ferre nequivit hominum disputationem, diabolo etiam post maximas et diuturnissimas pœnas, purgationem vel indulgentiam pollicentem.... Sancti et sacris veteribus ac novis litteris eruditi.... viderunt divinam vacuari vel infirmari non posse sententiam, quam se Dominus prænunciavit in judicio prolaturum atque dicturum, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* (*Matth.* XXV. 41.) Sic quippe ostendit

I. Quid agendum ut et æterna damnatio vitetur, et ad vitam perveniatur æternam ?

R. Christianum esse oportet ; et Christianè vivendum : quod quidem in serie totius secundæ Partis hujus Operis explicabimus.

I. Possumusne propriis viribus vitam æternam consequi ?

R. Nullo modo : nam gratia Dei vita æterna, quam nobis Christus morte suâ promeruit, et per misericordiam largitur. Id jam probavimus initio hujus Operis, et de hoc agemus quòque initio tertiæ Partis, ubi sermo erit de Gratia.

I. Cur ergo vita æterna meritis nostris, ut merces tribuitur, ut patet ex iis, quæ dixisti superiùs, ubi de Judicio generali disseruisti ?

R. Tribuitur quidem ut merces, et meritis nostris tribuitur ; sed non propterea à propriis eam viribus consequimur. Neque enim sine gratiâ Dei possumus piè et sanctè vivere. Ipsa ergo merita nostra donum Dei sunt, et hoc dono vitam meremur æternam. Itaque Deus propria dona coronat,

æterno igne diabolum, et Angelos ejus arsuros : et quod scriptum est in Apocalypsi (XX. 10.) : *Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, quo et bestia et pseudopropheta ; et cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum*.... Quod ibi dictum est *æternum*, hic dictum est *in secula seculorum* : Quibus verbis nihil Scriptura divina significare consuevit, nisi quod finem non habet temporis. Quamobrem prorsùs nec alia causa, nec justior atque manifestior inveniri potest, cur verissimâ pietate teneatur fixum et immobile, nullum regressum ad justitiam vitamque Sanctorum diabolum et angelos ejus habituros, nisi quia Scriptura, quæ neminem fallit, dicit eis Deum non pepercisse, et sic ab illo esse interim prædamnatos, ut carceribus caliginis inferi retrusi traderentur servandi, atque ultimo judicio puniendi, quando eos æternus ignis accipiet, ubi cruciabuntur in secula seculorum, etc.

S. HIERONYM. *Epist.* 110. *aliàs* 60. *Seu Epiphan. ad Joan. Episc. Hierosol. pag.* 651. *Edit. Paris. ann.* 1609. *mihi* 825. Doctor egregius Origenes audet docere diabolum id rursùm futurum esse quod fuerat, et ad eamdem rediturum dignitatem, et conscensurum regna cœlorum. Proh nefas ! quis tam vecors et stolidus, ut hoc recipiat, quod sanctus Joannes Baptista, et Petrus, et Joannes Apostolus et Evangelista, Isaïas quoque, et Jeremias, et reliqui Prophetæ cohæredes fiant diaboli in regno cœlorum ?

S. GREG. MAGNUS *Lib.* 4. *Dialog. c.* 44. Constat nimis, et incunctanter verum est, quia sicut finis non est gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorum. Nam cùm veritas dicat : Ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam : quia verum est quod promisit, falsum proculdubio non erit quod minatus est Deus.... Iniqui.... voluissent utique, si potuissent, sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum vivunt. Ad magnam ergo justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hâc vita nunquam voluerunt carere peccato.... Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu nos pascitur : quia verò justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio deputati, suâ quidem iniquitate puniuntur ; et tamen ad aliquid ardebunt, scilicet ut justi omnes, et in Deo videant gaudia, quæ percipiunt, et in illis respiciant supplicia, quæ evaserunt : quatenùs tantò magis in æternum gratiæ divinæ debitores se esse cognoscant, quantò in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio vicerunt.

ESTIUS *in* 4. *Sent. Dist.* 46. §§. 1. 2. *et* 3. *legendus est, et* NATALIS ALEXANDER *Dissertatione* 17. *in Hist. Eccles. seculi* 3. *art.* 2.

dum vitam æternam, ut mercedem, meritis nostris tribuit: et totum semper Deo debemus. Id fusiùs infrà explicabimus in speciali capite de Gratiâ.

I. Quâ ratione consequimur gratiam, quâ sanctè et piè vivamus?

R. Per Sacramenta traditur. Eamque per nostras vel Ecclesiæ orationes impetramus. Agemus de Sacramentis et de Oratione, itemque de adjunctis omnibus in tertiâ et ultimâ Parte hujus Operis.

Conclusio hujus primæ Partis,

De Symbolo Apostolorum:

Quæ est velut summa et brevis enumeratio eorum quæ hactenus dicta sunt.

I. Jam multa disseruisti; totamque adeò Religionis historiam ab initiis ad consummationem usque perduxisti. Hæc autem omnia, quoniam maximè necessaria sunt, velim in summâ perstringas, et uno veluti conspectu ponas ob oculos.

R. Id verò facillimumest: hæc enim omnia in uno et brevissimo illo quidem Apostolorum Symbolo continentur.

I. Quid intelligis per Symbolum Apostolorum?

R. Intelligo formulam professionis fidei, quæ ab Apostolis ad nos usque Traditione manavit (A). Duodecim illa articulis constat. Hanc accipe.

1. *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ:*
2. *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum:*
3. *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Mariâ Virgine:*
4. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus:*
5. *Descendit ad inferos; tertiâ die resurrexit à mortuis:*
6. *Ascendit ad cœlos; sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis:*
7. *Indè venturus est judicare vivos et mortuos:*
8. *Credo in Spiritum sanctum:*
9. *Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem:*
10. *Remissionem peccatorum:*
11. *Carnis resurrectionem:*
12. *Et vitam æternam. Amen.*

(A) *Lege* R. P. Natalis Alexandri *Dissertat. undecimam in Hist. Eccles. primi seculi*, *et* D. Elies du Pin, *tom.* 1. *Biblioth. Eccles.*

Articulo primo continetur quidquid suprà diximus de Deo, ejusque naturâ et perfectionibus : item de sanctissimâ Trinitate, de mundi creatione, de Angelis et hominibus.

Articulus secundus agit de Christo Jesu Domino nostro, Salvatore hominum et Mediatore : atque adeò includit summam eorum, quæ diximus de statu innocentiæ, de peccato originali, de necessitate Redemptoris, et de iis omnibus, quæ ad ejus adventum contigere.

Articulo tertio continetur quidquid diximus de conceptione et nativitate Christi.

Articulus quartus tacitè innuit quidquid diximus de vitâ Christi, agitque speciatim de ejus passione, morte et sepulturâ, de quibus fusè egimus.

Articulus quintus summam habet eorum, quæ diximus de descensu animæ Christi ad inferos, et de ejus corporis resurrectione.

Articulus sextus summam refert eorum, quæ exposuimus circa Christi ascensionem, ejusque in cœlo dotes.

Articulo septimo breviter continetur quidquid diximus de judicio Christi, tum privato tum publico, et de iis, quæ utrique huic judicio adjuncta sunt.

Articulo octavo continetur quidquid tradidimus de Spiritu sancto, et formatione Ecclesiæ.

Articulo nono summam habes eorum, quæ fusè diximus de Ecclesia, et de mirabili ejus membrorum communione.

Articulo decimo summam eorum, quæ diximus de prærogativis Ecclesiæ, quarum prima est remissio peccatorum.

Articulo undecimo continetur quidquid diximus de generali corporum resurrectione, adeoque de iis quæ in fine mundi eventura sunt.

Articulo demùm duodecimo summam habes eorum, quæ diximus de vitâ et de morte æternâ.

I. Quomodo probas Symbolum, quod Apostolorum dicitur, ad nos ab Apostolis Traditione manasse ?

R. Id duobus potissimùm rationibus demonstratur.

1. Quia SS. Patres antiquissimi id asserunt.

2. Quia hoc Symbolum videmus ab omnibus omninò Ecclesiis receptum jam à primis Ecclesiæ seculis.

Est quidem in quibusdam nonnullarum Ecclesiarum Symbolis diversitas quædam in terminis aliquibus, quorum aliqui desunt, alii abundant. Sed hæc ipsa varietas probat Symbolum hoc ad nos ab Apostolis Traditione manasse.

Nam 1° In his Symbolis omnibus reperitur non solùm doctrina eadem, sed etiam idem ordo singulorum fidei ar-

ticulorum : quod quidem hoc tam miro consensu fieri non potuit, nisi Symbolum ipsum fuerit ab Apostolis conditum.

2° Non magni momenti est diversitas illa, quæ reperitur in Symbolis. Et hæc ipsa varietas probat, non ab unâ Ecclesiâ ad aliam missum fuisse Symbolum, sed illud fuisse à singulis Apostolis et viris Apostolicis, non quidem scripto, sed vivæ vocis oraculo traditum singulis Ecclesiis, quas ipsi condiderunt.

I. Nunquid alias Ecclesia condidit formulas fidei fusiores ?

R. Insurgentibus subindè variis hæresibus factum est, ut ad majorem Symboli Apostolici explicationem addiderit Ecclesia Symbolo verba quædam. Concilium Nicænum addidit Apostolorum Symbolo ea verba, quæ necessaria visa sunt ad profligandam hæresim Arianam. Constantinopolitanum Concilium œcumenicorum alterum alia multa addidit Symbolo Nicæno, ad explicandam contra Macedonianos aliosque Hæreticos Ecclesiæ fidem. Demùm Constantinopolitano Symbolo vocem unam addidit Ecclesia, ad explicandam contra recentiorem Græcorum hæresim processionem Spiritûs sancti à Patre et Filio.

Præter hoc Symbolum partim Nicænum et partim Constantinopolitanum recipit Ecclesia et singulis diebus Dominicis solemniter canit Symbolum aliud, quod S. Athanasii dictum est. Quod tamen non esse S. Athanasii constat apud eruditos. (B)

Tandem auctoritate sanctæ Sedis Apostolicæ Romanæ edita est nova fidei formula juxta decreta sacrosancti Concilii Tridentini, in qua post Nicænum et Constantinopolitanum Symbolum, de quo mox diximus, subjicitur Ecclesiæ fides circa articulos, in quibus erraverunt Hæretici recentiores, à Concilio Tridentino anathemate percussi. Hanc fidem profiteri tenetur quilibet Catholicus.

(Hanc fidei formulam hic subjicimus, adjectis ad marginem singulis hujus libri Capitibus, in quibus singula hujus fidei formulæ dogmata probantur et explicantur.)

Formula Professionis Fidei Catholicæ, Apostolicæ, et Romanæ,

Edita jussu Pii IV. ex decretis sacri Concilii Tridentini excerpta.

Ego N. firmâ fide credo et profiteor omnia et singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet : (C)

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium et invisibilium. Et in unum Domi-

(B) *Consule dissertationem* PP. BENEDICTINORUM *de Auctore hujus Symboli, quæ jacet tom.* 3. *Operum S. Athanasii ultimæ editionis p.* 819. *et seq.*

(C) Non corde solùm credendum est, sed et ore et opere quod credimus confitendum ; *quod quidem probabitur in secunda Parte hujusce Operis Sect.* 2. *Cap.* 2. *paragrapho septimo.*

num Jesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis; et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Mariâ Virgine; et Homo factus est; et resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas; et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris; et iterùm venturus est cum gloriâ judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem pecctorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum; et vitam venturi seculi. Amen (D)

Apostolicas et Ecclesiasticas Traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, et constitutiones firmissimè admitto et amplector. (E)

Item Sacram Scripturam, juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor (F).

Profiteor quoque septem esse verè et propriè Sacramenta novæ Legis, à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis necessaria: scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, et Matrimonium: illaque gratiam conferre: et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sine sacrilegio iterari non posse.

Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium solemni administratione recipio et admitto. (G)

Omnia et singula quæ de peccato originali, et de justifi-

(D) *Hoc Symbolum in Conciliis Nicæno, et Constantinopolitano conscriptum, à sequentibus generalibus Conciliis receptum fuit. Easdem veritates, quæ in Symbolo Apostolorum leguntur, sed fusiùs expressas continet, quas quidem in hac prima Operis nostri Parte explicare conati sumus. Quod in hac fidei professione post Symbolum Nicænum legitur, additum fuit à sancta Sede, et ex decisionibus sacrosancti Concilii Tridentini desumptum.*

(E) *In Tractatu* de Fide, *hujusce Operis Parte secundâ, Traditionis auctoritatem demonstramus. Quisque verò in legendo totius Operis nostri contextu ultrò fatebitur Ecclesiæ sanctiones, observationesque, quæ singulæ passim in Opere isto referuntur atque elucidantur, utilissimas esse atque sanctissimas.*

(F) *Hoc probatur in secunda Parte hujusce Operis, Tractatûs* de Fide *2. 2. 3. 4. et 5. in quibus agimus de auctoritate Ecclesiæ et SS. Patrum circa intelligentiam, sensumve sacrarum Scripturarum.*

(G) *Id elucidamus ac probamus in prima Sectione tertiæ Partis hujusce Operis, quæ tota quanta est meram complectitur expositionem fidei et usuum Ecclesiæ circa Sacramenta tam in genere quàm in specie.*

catione in sacrosanctâ Tridentinâ Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. (H)

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis : atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse verè, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi : fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem ; quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub alterâ tantùm specie, totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. (*Vide* 3. *Partis duas priores Sectiones.*)

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. (*Consule Tract. de Pœnit.* §. 17. *et Tract. de Sacrif. Missæ*, §. 11. *et* 13.)

Similiter et Sanctos unà cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse ; eosque orationes pro nobis offerre ; atque corum reliquias esse venerandas.

Firmiter asserо, Imagines Christi ac Deiparæ semper virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse ; atque eis debitum honorem, et venerationem impertiendam. (*Hæc probantur Sect.* 3. *secundæ Part.*)

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesiâ relictam fuisse ; illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. (*De Indulgentiis agimus* 3. *Part. Sect.* 1. *Cap.* 5. §. 18. 19. 20.)

Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco.

Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo et juro. (*V.* 1. *Partis Sect.* 2. *Cap.* 3.)

Cætera item omnia à sacris canonibus, et œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Tridentinâ Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio, atque profiteor. (*Hæc elucidantur in singulis hujusce Operis partibus.*) Simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesiâ damnatas, rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo. (*Hæreseon quas Ecclesia damnavit catalogum texuimus Sect.* 2. *Cap.* 3. §. 10. *hujusce Partis.*)

His dictis, qui fidei professionem facit, ponit manum dexteram super sancta Evangelia, dicens :

Ego N. hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, et

(H) *Quæ vel* justificationem *spectant vel* peccatum originale *quatuor in locis hocce Opere pertractantur, scilicet in primæ Partis Sectionis primæ Capite tertio ; Sectionis secundæ ejusdem Partis Capite primo, paragrapho* 19. *; tertiæ Partis Sectione præliminari ; denique in Tractatu* de Sacramento Pœnitentiæ *paragrapho decimo tertio.*

veraciter teneo ; eamdem integram et immaculatam, usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè, Deo adjuvante, retinere, et confiteri, (I) atque à meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in meo munere spectabit, teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit curaturum (K), Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. (L) Sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia. *Ultima hæc verba proferens tangit textum sacri Evangelii.*

(I) *In Tractatu* de Ecclesia §. *secundo et seq. demonstravimus* fidem esse unam; et æternam salutem neminem adipisci posse, nisi crediderit omnia et singula quæ sancta Ecclesia tenet ac profitetur : *demonstravimus etiam* nullum extra Ecclesiam posse salvari.

(K) *Dum agemus* de quarto Dei præcepto, *Partis secundæ Sectione tertiâ, probabimus Superiores quoscunque ad ea teneri, quæ hoc articulo continentur.*

(L) *Elucidando* secundum Dei Præceptum *evincemus* sanctum esse ac justum jurare cum veritate, cum justitia et cum judicio. *Porrò hæ jurisjurandi justi conditiones omnes inveniuntur, dùm affirmat quis cum jurejurando se non veraciter tantùm credere, et tenere, immò se curaturum uti alii credant, prædicent, doceant omnia et singula, quæ profitetur, et tenet Ecclesia.*

FINIS PRIMÆ PARTIS, ET TOMI TERTII.

INDEX

TOMI TERTII.

PRIMÆ PARTIS SECTIO ALTERA.

CAPUT III. *De Ecclesiâ.* Pag. 1

§. 1. Quid sit Ecclesia Christi : quæ ejus Visibilitas. Qui characteres eam discernant ab aliis Societatibus, quæ Ecclesiæ nomen falsò sibi vindicant. 1

§. 2. De unitate Ecclesiæ, et de variis ejus membris. 7

§. 3. De communione membrorum Ecclesiæ, quæ communio Sanctorum dicitur. 14

§. 4. De sanctitate Ecclesiæ. 22

§. 5. Cur Ecclesia dicitur Catholica. 38

§. 6. Cur Ecclesia dicatur Apostolica. 46

§. 7. Ecclesiam Catholico-Romanam solam esse Christi Ecclesiam, extra quam nulla salus. 52

§. 8. De præliis Militantis Ecclesiæ ; et primùm de iis quæ sustinet adversùs Dæmones. 67

§. 9. De præliis Ecclesiæ Militantis adversus Ethnicos, Judæos, Hæreticos et Schismaticos. 75

§. 10. Catalogus præcipuarum Sectarum Hæreticarum vel Schismaticarum, quæ hactenùs adversus Ecclesiam insurrexerunt : simul et nomina Conciliorum, in quibus proscriptæ sunt, et Sanctorum Patrum, qui earum errores confutarunt. 84

Primum seculum. 84

Seculum secundum. 102

Tertium seculum. 126

Seculum quartum. 149

Seculum quintum. 185

Seculum sextum. 204

Seculum septimum. 210

Seculum octavum. 222

Seculum nonum. 225

Seculum decimum. 228

Seculum undecimum. 228

Seculum duodecimum. 230
Seculum decimum tertium. 237
Seculum decimum quartum. 240
Seculum decimum quintum. 242
Seculum decimum sextum et decimum septimum. 245
§. 11. De præliis Ecclesiæ adversùs malos in ejus sinu degentes. 250
§. 12. De prærogativis Ecclesiæ in genere. 257
§. 13. De remissione peccatorum, quæ est prima Ecclesiæ prærogativa, quâ patet aditus cæteras Ecclesiæ dotes. 257
§. 14. De iis quæ eventura sunt singulis Ecclesiæ membris, antequam gaudeant æternæ vitæ dotibus; ac primùm de morte quæ subeunda est omnibus omninò hominibus. 265
§. 15. De Judicio particulari. 280
§. 16. De statu uniuscujusque animæ post judicium. 287
§. 17. De fine mundi, de Antichristo, de adventu Eliæ et Enoch, necnon de conversione Judæorum. 297
§. 18. De generali corporum resurrectione in fine mundi futura. 319
§. 19. De ultimo Christi adventu, et de Judicio generali. 330
§. 20. De Vitâ æternâ. 338
§. 21. De Morte æternâ. 348

CONCLUSIO HUJUS PRIMÆ PARTIS. *De Symbolo Apostolorum: quæ est velut summa et brevis enumeratio eorum, quæ hactenùs dicta sunt.* 354

Formula Professionis fidei Catholicæ, Apostolicæ et Romanæ, edita jussu Pii IV. ex Decretis sacri Concilii Tridentini excerpta. 356

FINIS INDICIS TOMI TERTII.

1066